



TOURNE LY
DE
GRATIA
CHRISTI
T. III. P. I. II.

A

20-184






56 5032



1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23


7648877



56 32



117648877



917950

(1)

PRAELECTIONES
THEOLOGICÆ
DE
GRATIA CHRISTI,
Quas in Scholis Sorbonicis habuit
HONORATUS
TOURNELY,

Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor,

Socius Sorbonicus, Regius & Emeritus Professor, Sacro-
sanctæ Capellæ Regii Palatii Parisiensis Canonicus.

*Editio Postrema juxta exemplar Parisiense, quamplurimis Additionibus ac Notis nunc
primum locupletata, quibus Doctrina Auctoris illustratur, ac defenditur.*

TOMI TERTII PARS PRIMA.



P A R I S I I S , M D C G L X V .

Sed prostant V E N E T I I S
Apud NICOLAUM PEZZANA.

ОГРН 19



THEOLOGIÆ CANDIDATIS

P R A E F A T I O.

Mirum forte nonnullis videbitur, dilectissimi Candidati, quod nostras de rebus Theologicis Prælectiones ab intricatissimo, & omnium difficillimo de Gratia Christi argumento auspicemur. Dicam quod res est, non meditato consilio, sed fortuito plane id contigit. Animus nobis fuerat propter intimam materiae connexionem simul proferre in lucem, quæ de Deo, & divinis Attributis, & quæ de scientia, & voluntate Dei, de Prædestinatione, ac Reprobatione, & quæ de Gratia Christi in Scholæ nostræ umbraculis dictaveramus.

Et vero simul prælo ea commissa fuere, ac Typographorum disparti longe diligentia. Vix quippe ad dimidiā partem prior de Deo, ac divinis Attributis Tomus perductus fuerat, cum aliis duo de Gratia Christi absoluti sunt, & prælo subducti. Expectandum ergo censebam, neque prius evulgandum opus, quam integrum, & omnibus suis quasi partibus completum prodire posset, ut simul unitæ, ac collectæ eam, quam separabamus, mutuam sibi opem, ac lucem conferrent.

Non ita visum est iis, quorum judicio, & auctoritati non parere religioni duco. Obsequendum quantocius, ajebant, votis, ac desideriis Theologiæ Candidatorum, qui jam diu istas de Gratia concertationes efflagitant; quas manu scriptas, sed multis deformatas erroribus sollicitæ querunt, ac longe majori, quam par sit, prærio sibi comparant. Quin & ipsam temporum, in quibus versamur, rationem postulare contendebant, ut Candidatos, quorum utilitati hic unice servire volumus, de hisce controversiis, quæ tanto animorum ardore jam diu agitantur, edoceamus, & adversus omnes novitatis fallacias, & æquivocationes, caute præmuniamus. Addebat, nihil periculi timendum, imo commodi non parum ex ista prævia de auxiliis divinae gratiae Tractatione sperandum esse, quod tam aspera, & salebrosa quæstionum intricatissimarum, quæ hic occurunt, multitudine ac varietate, semel fractus, ac subactus Candidatorum animus, abstrusas aliorum Mysteriorum Fidei difficultates facilius sit superaturus.

His ergo rationibus vixtus, ultro sum passus ut separatim prodiret in lucem præsens de Gratia Christi disputatio.

Arduum profecto, ac plenum scopulis aggredimur disputationis argumentum; tot summorum ingeniorum naufragio famosum, ut proprius accendentibus timorem incutiat. Suavitate quidem sua mortalium animos Gratia demulcit; at circumfusa terret obscuritate: blanditur officiis, sed pungit aculeis. Si beneficam Gratiae indolem, si derivata in nos ipsius innumera commoda spectaveritis, nihil ad cognoscendum Gratia salubrius, jucundius nihil. Est illa cælestis auræ particula, qua benigne afflati, ac divinae naturæ participes facti, Dei filii nominamur, & sumus. Est fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam. *Sine illa vel operante, ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis.*

S. Aug. tis opera nihil valens. Quid jueundius debet esse, ait Augustinus, vel in
L. de Gr. firmis gratia qua sanantur, vel pigris gratia qua excitantur, vel volentibus
C. Lib. gratia qua juvantur?

n. 33. Si vero gratiae vim internam, si operandi modum, si mensuram di-
T. 10. p. stributionis, vel cum humana libertate concordiam inspicere proprius,
735. F. ac rimari tentaveritis, quam tenebrosa, quam humanæ menti imper-
Ep. 186. via, & inaccessa divinorum arcanorum Majestas! O altitudo! Occultum
al. 106. est, exclamat S. Augustinus, altum est, inaccessibili secreto ab humana cogi-
c. 12. n. tatione seclusum est, quemadmodum Deus & damnat impium, & justificet im-
n. 39. T. 2. p. pium . . . Quanto convenientius, quanto accommodatus est modulo nostro, expa-
677. A. vescere ubi Paulus expavit, & exclamare! O altitudo divitiarum sapientie, &
L. 2. con- trit. Faust. scientie Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viae ejus!
c. 3. Questio ista, dicebat idem strenuus Gratiae Christi vindex Augustinus,
T. 8. p. ubi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum
352. F. difficultis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur,
Rom. 12. quando autem afferitur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.
L. de Gr. Crescit, ac mire implicatur disputationis obscuritas, non solum ex
c. 47. n. variis, & extreme contrariis haeticorum erroribus, sed etiam ex con-
92. certationibus inter Catholicos subortis. Omnes quidem media, & re-
T. 10. p. g. gia via incedere nituntur; quia tamen illam arcam, & angustam ha-
250. G. retici reddiderunt, vix possunt iter peragere, quin ad dexteram vel ad
sinistram declinare videantur; maxime vero cum nonnulli privata sua
sensa velut totidem Fidei decreta liberius obtrudendo, sese mutua cen-
sura misere discrepunt, ac dilacerant.

Extrema haec ut cautius declinetis, dilectissimi Candidati, totamque
ab omni prolapso in tam lubrico loco constituti viam teneatis, di-
ligenter observe, inter istas de Gratia Christi disceptationes, alias per-
tinere ad dogma Fidei, alias vero ad opiniones Scholæ, quibus Eccle-
sia dogma exponitur, & illustratur. De quibus S. Augustinus L. 2. de
T. 10. p. pecc. orig. c. 23. dicebat: *Salva fide qua Christiani sumus, aut ignoratur*
264. C. *quod verum est, aut aliter quam est, infirma suspicione conjicitur.*

Rursus in iis, quæ spectant æternam hominis salutem per auxilia di-
vinæ gratiae obtinendam, aliqua esse ita obscura, & arcana, ut sciri a
nobis nusquam possint; alia ita manifesta, ut nunquam debeant igno-
rari. Cavete ne ista confundatis, quæ tanto a se invicem distant in-
tervallo. In dogmate Fidei, unitas perfecta; in opinionibus Scholæ,
integra libertas. Hinc varietas, inde vero concordia, rem Catholicam
mirum in modum promovet, ac illustrat.

Ad hoc quippe nati sunt Scholæ Theologi, in eo tota eorum versa-
tur industria, ut salva Fidei veritate, ac maiestate, pro modulo mor-
talibus concessu, abditissima Religionis mysteria exponant, & elucident.

O Doctor, ait eleganter, ac vere Vincentius Lirinensis, si te divinum
In com- munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrina, esto spiritualis Ta-
monit. c. 27. Bibl. bernaculi Besseleel, pretiosas divini dogmatis gemmas exculpe, fideliter co-
PP. apta, adorna sapienter, adjice splendorem, gratiam, venustatem. Intellig atur
T. 7. p. 28. col. te exponente illustrius, quod antea obscurius credebatur . . . Eadem ta-
z. E. men quæ didicisti, doce, ut cum dicas nove, non dicas nova . Atque
hinc tam felix studiorum æmulatio; ac Scholæ nostræ exercitatio tam
utilis.

utilis, tam fructuosa. Procul ergo, qui aut Scholæ methodum superbe despiciunt, aut quas Ecclesia permittit varias, ac discrepantes circa modum explicandi vim, & efficaciam gratiæ opiniones, damnant ac filio censorio inverecunde configunt, Judicio, & auctoritati Ecclesiæ non minus injuriosi, quam sibi metiis contrarii, qui, qua frui volunt sentiendi libertate, alios spoliare nituntur.

Non ea profecto mens, ac sententia fuit S. P. Cælestini in Epistola, quam ad Episcopos Galliæ scripsit; ubi post enumerata, quæ certa sunt ac rata Ecclesiæ circa gratiam decreta, addit: *Profundiores vero difficultioresque partes incurrentium questionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus ea adstruere.*

Ea animi moderatione, & æquitate excipienda vobis sunt, & expendenda, dilectissimi Candidati, tam varia, quæ ad exercitium ingeniorum, & Fidei elucidationem circumferuntur Theologorum, qui in Scholis docent, opinamenta: nec invidendum, sed laudandum magis, si quod præ ceteris sistema fuerit, quo res Catholica minus saltem obscure, & implicate intelligatur. *Per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vestias non intellectum venerabatur.*

Quamquam ad reprimendum humanæ mentis fastum, ac tumorem, fateri necesse sit, in qualibet, inter tot discrepantes sententias, esse semper aliquid ita reconditum, & ab omni cognitione nostra remotum, ut cum Apostolo exclamandum sit; *O altitudo! Cur illum adjuvet, illum non adjuvet; illum tantum, illum autem non tantum ... penes ipsum est, & æquitatis tam secretæ ratio, & excellentia potestatis,* ait S. August. Petrus negat, ait rursus S. Doctor, latro credit. *O altitudo divitiarum! Hoc nos putas perscrutari posse, quod Apostolus expavit! ... Quæris tu rationem, ego expavesco altitudinem ... Tu ratiocinare, ego mirer; tu disputa, ego credam: altitudinem video, ad profundum non pervenio. O altitudo! Nemo quærat a me occulorum rationem.*

Etsi vero istud diuina providentia sapienter ordinatum sit, ut in Oeconomia humanæ salutis multa voluerit arcana esse, & obscura, quæ ignorare nobis utile, curiosius autem scrutari velle crimen est, sunt aliunde clara, & manifesta, quæ ad salutem animarum certo assequendam, ad firmitatem spei Christianæ, conscientiæ pacem, morumque formam abunde sufficiunt, quæ ignorare, vel negligere, periculoseum. Sis ne æterno Dei consilio prædestinatus vel non? obscurum est, arcanum est *Rom. II. uni Deo reservatum. Noli inquirere. Quis enim cognovit sensum Domini!* Aut quis consiliarius ejus fuit? Tibi sufficiat, quod est apertissime declaratum, ac plenum solatii: *Deus vult omnes homines salvos fieri. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Hæc si ad finem usque divina opitulante gratia constanter servaveris, pro certo habendum te de numero esse prædestinatorum. Quapropter merito S. Petrus: *Frates, satagit, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Et S. Paulus: *cum metu, & tremore vestram salutem operamini.*

Pariter quæ sit temporalis donorum gratiæ certa distributio, quæ definita pro unoquoque fidelium mensura, obscurum est, arcanum est.

Tournely de Gratia. Tom. III. Pars I. a 3 *Spi-*

*Joan. 3. Spiritus ubi vult, spirat. Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere
v. 8. pro bona voluntate. Cujus vult, miseretur. Quare illum trahat, & illum non
Phil. 2. trahat, nolli velle judicare, si non vis errare, ait Augustinus. Verum se-
Rom. 9. curus esto, istud certum, & exploratum satis tibi sit, neminem a Deo
v. 18. deserit, nisi prius desertus ab illo fuerit; Deum nolle ut pereat pecca-
Tr. 26. tor, sed magis ut convertatur, & vivat: paratam omnibus, & obla-
in Jo. n. tam a Christo Salvatore gratiam. Venite ad me omnes qui laboratis, &
2. T. 5. 2. onerati estis, & ego reficiam vos... Fugum enim meum suave est, & onus
par. p. meum leve. Quid debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? Sto ad ostium,
494. E. & pulso. Ipsem Augustinus statim post verba mox laudata. Semel ac-
Ezech. cipe, & intellige, ait, Nondum traheris? ora ut traharis. Nemo igitur Deo,
33.v.11. sed sibi unice perditionis suæ caussam imputet, Perditio tua ex te Israel,
Mat. 11. v. 28. tantummodo in me auxilium tuum. Ex eo quod non accepit, nullus reus est,
ait egregie S. Aug. ex eo vero, quod non fecit, quod debet, justus reus
est. Debet autem, si accepit, & voluntatem liberam, & sufficientissimam fa-
cilitatem.*

*15.5.v.4. Denique quibus præcise modis Deus vi gratiæ suæ præpollente, in-
Apoc. 3. tegra, & illæsa remanente libertate nostra, bonas in nobis voluntates
v. 20. operetur, cordis duritiam emolliat, ac frangat contumaciam, obscu-
Osee 23. rum est, arcum est. Miris, & ineffabilibus modis, exclamat Augusti-
v. 9. L. 5. de nus. Si tibi proponam quæstionem, ajebat alloquens Petilianum, quomodo
lib. aeb. Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimisit arbitrio, for-
cap. 16. nassis eam difficile soluturus es. Quomodo enim attrahit, si dimisit, ut quis
n. 45. T. 1. p. quod voluerit, eligat? Et tamen utrumque verum est; sed intellectu penetrare
619. B. pauci valent,*

*Lib. 2. Quantum ergo ad Catholicæ dogmatis substantiam attinet, viro Ca-
cont. Lit. tholico satis est, si agnoscat, ac fateatur: Primo: Summe potentem es
Petil. c. fe vim gratiæ cœlestis ad inclinanda, quo Deus voluerit, hominum cor-
84. n. 180. da. Secundo: Vim illam seu virtutem gratiæ a Deo esse auctore, ac
T. 9. p. parente. Tertio: Sub ea dominatrice liberam semper remanere hominis
270. B. voluntatem, ut ipsi obsequatur, vel resistat. Quarto: Humanam vo-
luntatem divina gratia excitatam, & adjutam active cum eo concurre-
re ad opus bonum, cooperari, & in societatem seu communionem me-
riti venire. Quinto: Denique, indivisam esse, non partitam gratiam,
Tract. de & libertatis quoad opus bonum actionem. Quod a sola gratia cœpium est,
gratiæ, ait S. Bernardinus, pariter ab utroque perficitur: ut mixtim, non signatim;
& liber. simul, non vicissim, per singulos projectus operentur. Non partim gratia, par-
arb. c. 14. T. 1. p. tim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt. Totum
621. F. quidem hoc, & totum illa; sed ut totum in illo, sic totum ex illa.*

*S. Prosper de variis, quæ circa gratiam sciri, vel ignorari debent,
L. 2. de questionibus, hæc statuit causæ nostræ præsenti maxime opportuna,
Vocat. & accommodata. Cum, inquit, de gratiæ profunditate, & altitudine disputa-
gent. c. tur, tribus illis saluberrimis, & veracissimis definitionibus simus innixi. Qua-
30. pag. rum una profitetur aeternum, & proprium divina esse bonitatis, ut omnes ho-
918. A. mines salvos fieri velit, & in agnitionem veritatis venire. Alia simul prædi-
cat, omnem hominem qui salvus fit, quique in agnitionem veritatis venit,
Dei auxilio juvari, & regi, utque in fide, quæ per dilectionem operatur,
permaneat, custodiri. Tertia vero temperanter, & sobrie protestatur, non om-
nem*

nem voluntatis Dei comprehendendi posse rationem, & multas divinorum operum causas ab humana intelligentia esse subductas ... His recte pertractatis, per-
ibid. Dicit, nullius supereft causa certaminis, neque ultra necesse est nos interminabi-
libus quæstionibus occupari.

Utinam tam cauta sapientissimi Doctoris regula accurate observata
fuisse! jam diu deposita omni disputationis acerbitate respiraremus,
ac quisque pro libertate sibi ab Ecclesia concessa, in sua proponenda,
& tuenda opinione placide conquiesceret, absque ullâ offenditione, & in-
vidiosa censurâ nota.

Vos igitur, dilectissimi Candidati, in dogmate Fidei, quod est Ec-
clesiae Judicio, ac sententia definitum, firmi, ac constantes state: in
liberis vero Scholæ opinionibus, modesti, ac sobrii, & sine pertina-
cia refellere, & sine iracundia refelli parati estote. Quæ Ecclesia dam-
nat, cum ea pariter damnate: quæ probat, vel patitur, probate,
sustinet. Ea nos causa, & ratio adduxit, ut in præcipuis quæstio-
nibus, quæ salva Fide inter Theologos contentiosius disputantur,
rem in utramque partem versaremus, propositis hinc, & inde momen-
tis, ut æqua lance libratis, partem, quæ magis placuerit, eligatis. Si
quid vero in animo firmitatis, ac constantiæ vobis fuerit, totum illud
conferatis in defensionem Catholici dogmatis adversus Novatorum er-
rores, non vero ad incertarum propugnationem opinionum.

Duplicem hic famosam hæresim extreme contrariam impugnandam
potissimum habetis, Pelagianam, & Jansenianam. Illa gratiam Dei,
ista hominis libertatem evertit. Illa naturæ integras vires supponit;
ista omnino deperditas. Illa semoto morbo, inutilem medicum reddit.
Crucis beneficium evacuat, innatam hominis nutrit, ac foyet super-
biæ; ista vero fructum Sanguinis Christi, ac effusam Dei pro salute
omnium voluntatem plus æquo restringit, ac coarctat; Spei Christianæ
fundamentum convellit; in socordiam adducit, vel desperationem. Di-
versa quidem, & opposita hinc, & inde hæresis: sed eadem utробique
hæresis indoles, ingenium idem, superbum, contumax, sinuosum: ex-
dem fallendi artes, fucata pietate, simulata modestia, ambigua verbo-
rum significatione, superbo aliorum contemptu, audaci legitimæ auto-
ritatis despicientia.

Mirus doli, ac fraudis artifex erat Pelagius. Sub verbis ambiguis,
ac in speciem Catholicis, errorem suum sic callide, & argute involve-
bat, ut pene deceptus ipsem fecerit Augustinus mortalium sagacissimus.
Fatebatur ille, *Dei esse, quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare.*
Nos indigere semper Dei auxilio, qui nos multiformi, & ineffabili dono gra-
tiaæ cœlestis illuminet, atque oculos cordis nostri aperiat. Gratiam ad singulos
actus dari, nec secundum merita nostra. Sine illa nos nihil boni facere posse.
Imo, & eam in nobis operari velle, & perficere. Operatur, inquietabat,
velle quod bonum est, velle quod sanctum est ... dum revelatione sapien-
tia in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis ... suadet
omne, quod bonum est.

Quisquis hæc audit, & sensum ejus ignorat, dicebat Augustinus, omnino
eum putat hoc sentire quod veritas habet. In his tamen omnibus, pergit S.
Doctor, non recessu a commendatione legis, atque doctrinæ ... sub ambigua C.

L. de Gr.

n. 5.

T. 10. p.

232. G.

Ibid. p.

233. G.

Ibid. p.

234. C.

Ibid. p.

235. B.

Ibid. p.

236. A.

Ibid. p.

237. G.

Ibid. p.

246. E.

C.

generalitate quid sentiret, abscondens, gratia tamen vocabulo frangens invidiam, offendonemque declinans.

Accedebat agendi ratio ad fallendum mire composita. *He*, inquit,
P. Gar. Commentator Marii Mercatoris, *Pelagio artes erant hæresim disseminanti*:
p. 134. *Nihil de suis mysteriis aperte vulgo credere, sed fidis tantum auribus. Si quid*
dogmatum emanasset in publicum; negare palam, quod in cubiculis doceret. Si
aperte proponendus error, alienam inducere personam; si suo nomine loqui co-
geretur, dubitantis more, timidisque afferere, de quo simularet se velle doceri.
Si ex Libris argueretur cuiusdam assertionis, Libros caussari vel non esse suos,
vel prius subreptos, quam emendantur. Si ex confessis urgeri contingeret,
Sententias interpretari verbis perplexis, & in speciem Catholicis. Si necessitas
foret, Ecclesie nonnulla dannanti consentire, dannare libenter omnia; sed, ut
ajebat, Ecclesie sensu, idest, eo, quem postea fingeret ad arbitrium.

Hæ fere sunt artes omnes, quibus Janseniana hæresis animos occu-
 pavit, & illusit Catholicis. Retento capitali Magistri sui errore cir-
 ca delectationem relative, seu per gradus superiore, ac victricem;
 assumpta Thomistarum larva; & vel unius vocis, potentie, ambi-
 gua significatione tecti Irenensis discipulis delitescunt, verbis nobiscum
 concordes, sensu longius remoti. Si justis afferenda mandatorum Dei
 possibilitas, & gratia, qua ipsis possibilia fiant? Ulro assere-
 re. At intelligunt possibilia esse absolute dumtaxat, præcisus actu-
 lis, & ardenter oppositæ terrena delectationis circumstantiis,
 non relative ad illas. *Vigente enim delectatione carnali*, ait Janse-
nius Lib. 4. de Gratia cap. 9. *impossibile est, ut virtutis, & bone-*
183. coi. staris consideratio prævaleat. In ea etiam gratia, quam illi par-
2. B. yam, alii sufficientem appellant, libenter agnoscere ad opus bonum
 potentiam perfectissimam, sufficientissimam, proximam, completissimam.
Paulus
Irenaeus
Disq. 3.
grat. 22. At pace dixerim, dolus est completissima fraus. Completissimam
 quippe ajunt hujus gratiæ potentiam absolute, & abstracte, spe-
 ciatæ dumtaxat natura gratiæ in se, & absolute, non relative ad
 præsentes subjecti dispositiones: in conflitu enim delectationis cæle-
 stis inferioris cum terrena superiori, impedita est hic, & nunc,
 & quasi vinculo constricta gratiæ inferioris potestas; quia fieri nuf-
 quam potest a minori delectatione majorem vinci, ac superari: quo-
 modo fieri non potest, ut pondus gravius, a leviori trahatur. Si in-
 terroges, an gratiæ interiori in præsenti naturæ lapsæ statu resista-
 tur? Heu! exclamabunt, quam sæpe resistitur! Verum subintelli-
 gunt, quantum ad effectum, quem illa absolute in aliis circumstan-
 tiis habere posset; non relative: gratiæ quippe proprie, & accura-
 te loquendo non resistitur, nisi respectu illius effectus, quèm illa po-
 test assequi; sed gratia inferior relative ad superiore cupiditatem effe-
 ctum suum plenum, ac perfectum assequi nunquam potest. Si quæsieris,
 an ad merendum, vel demerendum necessitatem excludant: aut si vo-
 luntas, movente gratia, libera sit, & expedita ad actum oppositum?
 Ulro affirmabunt; sed quo sensu? Necessitatem excludendo absolutam,
 naturalem, fixam, & immutabilem; non vero necessitatem simplicem,
 relativam, transitoriæ ac mutabilem. Pariter libenter affirmabunt vo-
 luntatem sub motione gratiæ liberam esse ad actum oppositum, in sen-
 tientia

sus enim compositus Thomistarum excludit dumtaxat suspensionem actus, propter quem datur physica præmotio; at non excludit ipsam potentiam, seu actum primum. Econtra vero, delectatio superior Janseniana ipsammet immediate afficit facultatem, seu potentiam; dat enim simul actum, & potentiam. *Hoc ipso quod datur*, ait Jansenius, *simul usus ejus, & in-*
fluxus potestatis datur. *Est enim hoc ipsum, quod suapte efficacia facit influere*
facultatem ... Dat enim simul & posse, & operari. T. 3. p.
gr. col.
A.

Neque etiam negabunt Deum velle omnes homines salvos fieri, & Christum pro omnibus esse mortuum; sed dolose omnino, ac fraudulenter: quia scilicet Deus paratus est dare gratias innocentis naturæ, si earum usui dispositam reperiret hominis lapſi voluntatem. At quomodo disposita esset illa lapsi hominis voluntas, si ea tantum ipſi gratia concedatur, quæ propter virium defectum, nonnisi absolutam, & abstractam conferre potest ad opus bonum potentiam, non relativam, nec præsenti naturæ conditioni proportionatam?

Denique, si quinque Jansenii propositiones ab ipsis damnandæ propo-
nuntur, damnare non recusabunt; verum in obvio verborum sensu,
non in sensu Jansenii. Imo contestabuntur se illas damnare in eo omni
sensu, quo sunt ab Ecclesia damnatae: at non omnem earum sensum,
illum nempe, qui Jansenii est, & ab Ecclesia proscriptus, damnabunt.

Videte, Dilectissimi Candidati (Augustini verba sunt) latebras ambigui-
tatis falsitati preparare refugia; offendendo caliginem veritatem. Vel unius vo-
cis æquivocatione, tamquam pestifero quodam afflatu, Janseniani cor-
rumpunt, & insciunt quæcumque in speciem sana, & Orthodoxa dice-
re videbantur. Hac infesta vocis potentiae absolutæ, vel relativæ ambi-
guitate, totius Janseniani systematis quasi medulla, & ultimæ veluti fi-
brae, ac radices reconduntur; illa velut involucro tecti, Catholicis il-
ludunt, ac censuris Ecclesiæ subducuntur.

Qui hæc Jansenianorum mysteria ignorant, vix certo, ac securo pede
eum illis congredi possunt; in mediis tenebris veluti palpando ambulant,
& Andabatarum more clavis pugnant oculis. Interest autem pluriimum
ad vim disputationis, nosse, quæ sit indoles, quæ doctrina, quæ artes,
argutiae, & æquivocationes eorum, cum quibus concertatio instituitur;
ne forte vaga, & tota in apercipi, & incerto disputatione versetur. Quam
multa enim in Catholicis Scriptoribus sana, & innoxia sunt, quæ in vi-
ris suspectis noxia merito damnantur, ob pravam eorum, a quibus pro-
feruntur, interpretationem? *Quæ veraciter, & Catholicice dicta sunt*,
ait Sanctus Augustinus, imo in divinis Libris veraciter scripta, ab isto
(Juliano). *Catholicice dicta non sunt*, quia non intentione Catholicæ pectoris
dicta sunt.

Omnis Janseniani systematis sinus, ac recessus, fallacias, effugia, ar-
gutias, æquivocationes, quantum nobis datum est, pervasimus, excus-
simus: sensum Jansenii in quinque famosis Propositionibus proprium; ac
germanum, qui sub immensa voluminum mole obscuratus, ac velut
pressus diu jacuit, ita nos aperuisse confidimus, ut latere amplius non
possit; sitque istud omnibus manifestum, non inane quoddam, ut per-
tendunt, erroris phantasma, & simulacrum, Ecclesiam per tot annos
insecutam fuisse; sed verum, ac realem errorem, quo Ecclesia, & In-
307. C.
peritii

perii Gallicani pax, atque tranquillitas jam diu infeliciter turbatur.

Frustra Augustini auctoritatem, ac nomen illi reclamant: frustra ex Jansenio multa colligunt, quæ Catholica doctrinæ consentire prima fronte videntur. Quasi vel ipsomet Judice Jansenio, non iste foret *mos solemnis omnium hereticorum*, ut falsis vera misceant, miscendoque perturbent *omnia*, quo *venenum quasi melle circumlitum ab incautis cum securitate hauriatur*. Quasi venerandum in Ecclesia Augustini nomen, & summo apud omnes in loco non foret ejus auctoritas? Verum de mente, ac doctrina sanctissimi Doctoris unice lis hic movetur, non de auctoritate. Augustinum totum suum esse gloriantur Lutherus, & Calvinus. Unam Augustini doctrinam se in Libro suo expressissime confidentis Irenensis Antistes jactitat. At vel unico isto simplici momento luce meridiana clarius demonstramus, Augustini doctrinam toto cælo distare a Janseniana. Ecclesia scilicet Augustini doctrinam circa Gratiam semper probavit, ac summis exornavit laudibus: econtra, eadem Ecclesia doctrinam Jansenii quinque famosis Propositionibus contentam proscriptit, ac gravissima confixit censura, ergo doctrina Augustini toto cælo distat a Janseniana.

Ex his omnibus intelligitis, opinor, Dilectissimi Candidati, quanti momenti sit, quam operosa, & difficilis præsens de Gratia Christi tractatio, quam attento, & ab omni præjudicata opinione libero animo sit a vobis expendenda. Eodem, quæso, animo eam suscipite, quo vobis eam offerimus: non contentiolo, non superbo, novitatis aut rixarum avido, sed placido, modesto, unius veritatis inquirendæ, ac servandæ Scholarum libertatis studio. Non aliud huic Opellæ nostræ præsidium, quam a veritate accersitum volumus; nec alium hic fructum speramus, quam vestrum in rebus Theologicis progressum, Valete: Et *Jacobi* apud Patrem luminum, a quo descendit omne datum optimum, & om*i. v. 17.* ne donum perfectum, mei memoriam habete.

CENSURA.

Prælectiones Theologicas de Gratia Christi a Viro Céleberrimo Hono-
rato Tournelio Doctore, socio Sorbonico, nec non sacra Theologia Regio
Professore nunc emerito, in Scholis Sorbonicis olim habitas magna animi
tum attentione, tum voluptate perlegi, & in eis non modo nihil a
Catholica Fide, bonisve moribus alienum, aut dissonum deprehendi,
sed potius Baii, Jansenii, ac Quenellii errores ad hoc argumentum per-
tinentes nervose simul, ac dilucide confutatos penitusque profligatos,
& a Theologorum Orthodoxorum inter se discrepantium opinionibus
sapientissime discriminatos inveni. Auctoris eruditionem præclaram,
incensum doctrinæ sanæ studium, maximam in dicendo facundiam, ac
denique cautam in dijudicandis aliarum Catholicarum Scholarum, a
quibus ipse nonnunquam modeste dissidet, sententiis moderationem sus-
pexi. Nullus proinde miror has Prælectiones in Galliis fuisse tam avide
passim expetitas, ut, antequam typis vulgarentur, exemplarium dena
facile millia inter studiosorum manus versata fuisse ferantur. Ut fas sit
sperare, Inclitam Nationem Germanicam, si modo ejus alumni Jan-
senismi negotium percallere voluerint, hunc tractatum pari studio,
parique alacritate excepturam; utpote qui Latine scriptus, & parabilis om-
nia pene tam ad Novorum istorum Dogmatistarum historiam, quam
doctrinam spectantia, quæ in sexcentis libris Gallicis sparsa operose
conquisieris, operosius intellexeris, in unum veluti cumulum congesta,
& quasi in epitome redacta complectatur. Quapropter dignissimum eum
censeo, qui typis nostratis ad plurimorum utilitatem recudatur, ce-
teris ejusdem Auctoris meritissimi Theologicis Tractatibus, quos nos spe-
rare jubet, promulgidis instar futurus. Dabam Coloniae Agrippinæ 21. Au-
gusti Anno 1725.

BARTHOLOMÆUS DES BOSES e Soc.
JESU, sacræ Theologiæ Doctor, & Profes-
sor publicus, necnon Serenissimi Archi-Epi-
scopi, & Electoris Colonensis Examinorat
Synodalis m. p.

x

APPROBATIO CENSORIS ORDINARII.

Prælectiones Theologicae de Gratia Christi in Scholis Sorbonicis ab
Eximio, Amplissimoque Domino HONORATO TOURNELY
SS. Theologiae Universitatis Parisiensis Regio Professore nunc Emerito,
Regiique Palatii Parisiensis sacra Capellæ Canonico citra omnem Fidei,
ac morum offensam habitæ, plurimorum eruditioni doctissime elabora-
tæ, typi beneficio publicandæ censemur.

Datum Coloniæ 30. Aug. 1725.

JO: GEORG. MOLITORIS SS. Theol.
Doctor, Perillustris S. Geronis Canon.
Serenissimi Principis Electoris Colon. Con-
filiarius Ecclesiasticus, ejusdemque per
Civitatem, ac Archi-Dicecesim Colonien-
sem Librorum Censor ordinarius m. p.

I N D E X

Q U Ä S T I O N U M

P R I M Ä P A R T I S.

Q U Ä S T I O P R I M A.

D e nomine , definitione , ac divisione gratia .	Pag. 1
<i>Varia nominis gratiae significatio .</i>	ibid.
<i>Definitio gratiae .</i>	3
<i>Multiplex divisio gratiae .</i>	4

Q U Ä S T I O S E C U N D A.

<i>De variis humana natura statibus in ordine ad gratiam .</i>	9
ARTICULUS PRIMUS . De statu naturae innocentis .	10
CONCLUSIO . Homo in ortu suo justitiam originalem , sanctitatem , immortalitatem &c. a Deo accepit .	11
<i>Solvuntur Objectiones .</i>	14
<i>An justitia originalis , sanctitas , & immortalitas fuerit homini naturalis vel supernaturalis .</i>	16
CONCL . Justitia originalis , sanctitas , & immortalitas primi hominis , supernaturalis fuit , non vero naturalis .	17
<i>Quodnam gratiae seu auxilii genus datum , & necessarium fuerit Adamo innocentem , ad bene agendum , & perseverandum .</i>	19
CONCL . Adamus innocens opus non habuit ad bene agendum , & perseverandum , aut gratia physice praeveniente , aut adjutorio quo seu efficaci ; sed cum adjutorio sine quo seu sufficienti perseverare in bono potuisset , si voluisset .	23
<i>Solvuntur Objectiones .</i>	27
ARTICULUS SECUNDUS . De statu naturae lapse , & per Christum reparata .	34
ARTIC. III. De statu naturae purae , an sit possibilis .	35
CONCL . Status naturae pura possibilis est , ac nulla ex parte , sive hominis , sive Dei repugnat .	38
<i>Prima probatio .</i>	ibid.
<i>Secunda probatio . Ex Sancto Augustino .</i>	39
<i>Refelluntur evasions , quibus adversarii Sancti Augustini testimonia eludere conantur .</i>	40
<i>Solvuntur Objectiones contra possibilem naturae purae statum .</i>	45
<i>Objectiones ex ordine hominis ad Deum , tamquam ad suum finem ultimum .</i>	ibid.
<i>Objectiones ex parte ignorantie .</i>	53
<i>Objectiones ex parte concupiscentie .</i>	ibid.
<i>Objectiones ex parte misericordiarum , quibus homo subjacet .</i>	63
ARTIC. IV. De aliis naturae statibus possibilibus ,	66

Q U Ä S T I O T E R T I A.

<i>De variis circa gratiam erroribus .</i>	ibid.
<i>Qui erraverint circa necessitatem gratiae .</i>	ibid.
	Qui

INDEX QUÆSTIONUM.

Qui ante Pelagium gratia necessitatem negaverint.	ibid.
De Pelagio . Ejus paeria , professio , ingenium , mores .	68
Errores Pelagii .	70
Utrum Pelagius gratia alicujus interioris necessitatem aliquando tandem agnoverit ?	70
Qua fuerit illa gratia , de qua tam diurna exarsit contentio inter S. Augustinum Ecclesia parres agentes , & Pelagianos ?	79
Utrum Pelagiani admiserint gratiam interius sanctificantem seu habitualem , & virtutes infusas .	84
Error Pelagi ab Ecclesia proscriptus .	87
Discipuli Pelagii , Calestius , Julianus , & Annianus .	92
De Semipelagianis . Origo , progressus , & exitus Semipelagianismi .	94
Qui fuerit Semipelagianorum error . An interioris gratia & necessitatem ad initium fidei negaverint vel admiserint .	97
CONCL. Semipelagiani omnes gratia interioris prevenientis necessitatem ad initium fidei constantissime negaverunt .	99
Solvuntur Objectiones Jansenii , & discipulorum ejus .	107
De erroribus circa modum agendi gratie .	116
De Predicationis .	ibid.
De Luther , & Calvin .	134
De Michaelo Bajo .	138
Bulla Summorum Pontificum in causa Bajii .	143
Auctoritas Bullarum adversus Bajum .	144
Expenduntur ac diluuntur alia momenta , quibus Bajii , & Jansenii discipuli , Bullarum Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. auctoritatem deprimere , ac eludere consonant .	149
Momenta ex parte materia Bullarum adversus Bajum .	ibid.
Momenta ex parte forma Bullarum adversus Bajum .	155
De Jansenio .	162
Synopsis Historica Jansenismi .	ibid.
Epocha prima .	ibid.
Persona Jansenii .	ibid.
Liber Jansenii cui titulus Augustinus , & quale de ipso Jansenii judicium .	164
Liber Jansenii Urbano VIII. denunciatur , & ab ipso prohibetur .	167
Parisii Habetus , & Syndicus Facultatis Theologica contra novam Libri Jansenii doctrinam insurgunt .	171
SECUNDA EPOCHA . De Canonico examine , ac Judicio Romano quinque Propositionum Jansenii .	174
Institutio , & forma Congregationis .	ibid.
Theologorum ex iraqua parte deputatorum Romam adventus , gesta , Scripta .	176
Quinque Propositionum in Romano examine sensu Jansenii facta discussio .	184
Judicium Romanum , de quinque Jansenii Propositionibus .	189
Constitutionis Innocentii X. aequitas vindicata .	190
EPOCHA TERTIA . De iis , qua subsecuta sunt Innocentii X. de quinque Jansenii Propositionibus Judicium .	197
Janseniani excoxitata distinctione juris , & facti Innocentii Constitutionem elidunt : Episcopi Gallicani Librum Jansenii iterum ad examen revocant , ac de nova contentione monent Innocentium , ejusque successorem Alexandrum VII.	ibid.
Quinque Jansenianiorum Articuli .	202
Epistola Episcoporum Gallie ad Alexandrum VII. Deliberatio Sacra Facultatis Parisiensis circa formulam fidei Cleri Gallicani . Breve Alexandri ad eosdem Episcopos . Constitution , & formula fidei ejusdem Alexandri VII.	207
Varia Jansenianorum circa subscriptionem Formularii sententia .	210
Varia Jansenianorum de quinque Propositionibus sententia .	216
Quatuor Gallicani Presules , facta limitatione , subscribunt formule Alexandri VII. Eam ob rem iis subinfensus S. Pontifex Clemens IX. tum placatus , & qua ratione ?	221
Nonnulli Duacenses Doctrinae Jansenii defensores occulti deteguntur .	225
Additio facta Formulario per aliquos Belgii Episcopos ab Innoc. XII. improbata .	226
Quatuor Propositiones circa Jansenismum a Clero Gallico in Comitiis generalibus an-	nisi

INDEX QUÆSTIONUM.

xiii

n <i>o</i> 1700. proscripta . Famosus conscientia Casus . Bulla Clementis XI. aduersus illum casum .	228
Systema doctrina Jansenii .	234
Janseniana doctrina circa delectationem vitricem ac superiorum brevis ac contracta delineatio .	235
Natura delectationis .	236
Necessitas delectationis .	237
Modus agendi delectationis relative per gradus .	238
Janseniani duplum poneatatem distinguunt , unam absolutam , alteram relativam . Quae distinctio communis clavis est , qua omnes eorum fallacia , & equivocationes in usurpandi Catholicorum loquendi modis , reserantur , ac deteguntur .	240
Delectatio superior seu relative vitrix , Janseniani systematis basis ac fundamentum est .	247
Quinque famose propositiones ex delectatione superiori relativa velut a fonte ac radice a Jansenio derivantur .	ibid.
PRIMA PROPOSITIO. Aliqua Dei precepta . &c.	249
Propositio ex Jansenio legitime extracta .	ibid.
Prima propositio cum delectatione superiori connexa unde a Jansenio eruitur .	252
Quis sit verus ac germanus prima propositionis sensus apud Jansenium .	253
Sensus alieni , & extranei qui prima propositioni maligne affingi possunt , quos tamen legitime sumpta apud Jansenium non habet .	256
Sensus Catholicus errori prima Propositionis oppositus .	260
SECUNDA PROPOSITIO. Interiori gratia in statu natura lapse nunquam resistitur .	266
Propositio ex Jansenio legitime extracta .	ibid.
Secunda propositio cum delectatione superiori connexa , unde Jansenio eruitur .	267
Verus ac germanus secunda propositionis Jansenii sensus .	269
Sensus alieni , & extranei qui secunda propositioni Jansenii maligne affingi possunt , quos tamen legitime sumpta apud Jansenium non habet .	271
Sensus Catholicus errori secunda Propositionis oppositus .	272
TERTIA PROPOSITIO. Ad merendum , & demerendum , &c.	275
Tertia propositio ex Jansenio legitime extracta .	ibid.
Tertia propositio cum delectatione superiori connexa , unde a Jansenio eruitur .	280
Verus ac germanus tertia propositionis Jansenii sensus .	281
Sensus alieni , & extranei , qui tertia propositioni Jansenii maligne affingi possent , quos tamen legitime sumpta apud Jansenium non habet .	282
Sensus Catholicus errori tertia propositioni Jansenii oppositus .	298
QUARTA PROPOSITIO. Semipelagiani admittebant , &c.	299
Propositio ex Jansenio legitime excerpta .	ibid.
Quarta Propositio cum dilectione superiori ac relativa connexa , unde a Jansenio eruitur .	300
Verus ac germanus quarta Propositionis sensus .	301
Sensus alieni , & extranei , qui quarta Propositioni Jansenii maligne affingi possent , quos tamen legitime sumpta apud Jansenium non habet .	302
Sensus Catholicus errori quarta propositioni Jansenii oppositus .	304
QUINTA PROPOSITIO. Semipelagianum est dicere , &c.	307
Propositio ex Jansenio legitime excerpta .	ibid.
Quinta propositio cum delectatione superiori ac relativa connexa , unde a Jansenio eruitur .	ibidem .
Verus ac germanus quinta Propositionis Jansenii sensus .	308
Sensus alieni , & extranei , qui quinta Propositioni Jansenii maligne affingi possent , quos tamen legitime sumpta apud Jansenium non habet .	ibid.
Sensus Catholicus errori quinta Propositionis Jansenii oppositus .	310
Diferimen gratia vitricias per delectationem superiorum relativam sensu Jansenii , tum a præmotione physica Thomistarum , tum a gratia efficaci per delectationem simpliciter vitricem sensu quorundam aliorum Theologorum .	311
Magnus est discrimin inter modum explicandi efficaciam gratia per physicam Thomistarum præmotionem , & per delectationem relative superiorum Jansenii .	ibid.
Magnus est discrimin inter modum explicandi gratiam a se efficacem per delectationem simpliciter	

INDEX QUÆSTIONUM.

simpliciter videlicet sensu aliquorum Theologorum, & delectationem gradibus relativis	
superiorem sensu Jansenii.	320
Expenduntur causas discriminis, quas nonnulli proferunt inter delectationem superiorem,	
ac relativam, quam tuentur, & Jansenit sententiam.	323
Circa primam propositionem.	324
Circa secundam propositionem.	329
Circa tertiam propositionem.	332
Circa quartam propositionem.	334
Circa quintam propositionem.	339
Expenduntur alia nonnulla generalia momenta.	341
* Theologi cuiusdam Epistola I. Auctori duarum Epistolarum Cl. D. Tournelio Regio olim	
Sorbonæ Professori Scriptarum de Äquilibrio ex Gallico idiomate latine redditæ a	
F. A. Z. S. I. T.	363
* Theologi cuiusdam Epistola II. qua secunda Epistola ad Turnelium Doctorem Sorbonicum	
de equilibrio scriptæ responderetur.	380





I

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ

D E

GRATIA CHRISTI.

QUÆSTIO PRIMA.

De nomine, definitione, ac divisione Gratiae.

Varia nominis Gratiae significatio.

1.  Ignificat elegantiam seu venustatem, tum oris, tum sermonis. Hoc sensu, Psalm. 44. ver. 3. dicitur: *Speciosus forma p̄æ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis.* Proverb. ultimo v. 30. *Fallax gratia, & vana est pulchritudo.* Et Lucæ 4. ver. 22. de Christo dicitur: *Omnis testimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiae.* Hoc est, mirabantur suavitatem, sapientiam, ac vim verborum ejus. Quamquam verba gratiae dici merito possunt; quod nempe gratiam salutis annunciant, ac efficerent: quomodo dixit Apostolus, Ephes. 4. v. 29. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Hæc prima nominis Gratiae significatio, aliena proorsus est a præsenti nostro instituto.

2. Significat amorem, favorem seu benevolentiam, qua quis alteri gratus, & acceptus est. Ita Gen. 39. v. 4. Joseph dicitur *invenisse gratiam coram Domino suo.* Et Cap. 30. v. 22. Laban ait socero suo: *Inveniam gratiam in conspectu tuo.* Ac Beatissimæ Virgini, Lucæ 1. vers. 30. Angelus: *Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum.* Neque etiam hæc Gratiae significatio, hujus loci propria est; nisi amor ille, ac benevolentia ad finem supernaturalem referatur. Quo sensu, amor Dei, de quo dicitur Joan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret,* vere gratia dicitur, imo radix ac causa omnium gratiarum, quibus ad æternam salutem promovemur. Est autem discrip-
Tournely de Gratia. Tom. III. Pars I. me-



meritum supponat in objecto , quod amat ; Deus vero , meritum illud faciat : unde dona sua ipse coronat , cum meritis nostris mercedem rependit .

3. Significat gratitudinem , & gratiarum actionem , pro acceptis beneficiis . Lib. 2. Regum cap. 2. v. 6. David dicit : *Nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam & veritatem : sed & ego reddam gratiam , eo quod fecisti verbum istud .* Et Apostolus 2. ad Cor. 10. v. 30. *Si ego cum gratia participo , quid blasphemor pro eo , quod gratias ago ?* Et ad Colosenses 3. v. 16. idem Apostolus ait : *Verbum Christi habitet in vobis abundantiter , in omni sapientia , docentes , & commonentes vosmetipos , psalmis , hymnis , & canticis spiritualibus , in gratia (hoc est gratiarum actione) cantantes in cordibus vestris Deo .* Porro , hæc quoque nominis Gratiae significatio , ad præsentem nostrum tractatum non pertinet ; nisi forte quatenus nostra in Deum beneficium gratitudo , cælestis gratiae auxilio excitatur . Gratitudo enim ipsa in se spectata , est peculiaris virtus , vel specialis actus virtutis Religionis , de qua alibi Theologi .

4. Apposite , & accommodate ad præsens nostrum institutum , Gratiae nomine intelligitur quocumque donum , seu beneficium gratis concessum ; hoc est , ex mera Dei benignitate , non ex justitia & præviis ex parte nostri meritis . *Si gratia ,* inquit Apostolus , Rom. 11. ver. 6. *jam non ex operibus ; alioquin gratia jam non est gratia .* Et cap. 4. v. 4. dixerat : *Ei qui operatur , merces non imputatur secundum gratiam , sed secundum debitum .* Inde igitur gratia dicta , quod gratis detur . Sub illa generali , & ampla gratiae significatione , creatio , conservatio , liberum arbitrium , ceteraque naturalis ordinis Dei beneficia comprehendunt possunt : gratis quippe nobis a Deo conceduntur , non autem præviis nostris meritis . Quid enim fecimus , ut crearemur a Deo , ut tali indole &c. instructi nasceremur ? Quapropter Sap. 16. v. 25. providentia divina quæ rerum conservationi invigilat , gratia nuncupatur . *Propter hoc & tunc in omnia transfigurata , omnium nutrici gratiae tuae deserviebat .*

T. 2. pag. Hinc S. Aug. Epist. 177. alias 95. ad Innoc. S. Pont. nu. 7. ait : *Quædam 624. F.G. non improbanda ratione dici gratiam Dei , qua creati sumus , ut nonnihil essemus , nec ita essemus aliquid ut cadaver , quod non vivit , aut arbor , quæ non sentit , aut pecus , quod non intelligit , sed homines , qui & essemus , & viveremus , & sentiremus , & intelligeremus ; & de hoc tanto beneficio Creatori nostro gratias agere valeamus .* Cur autem hæc , & similia , gratiae nomine donari possint , statim aperit S. Doctor : *Quia non præcedentium aliquorum bonorum operum P. 625. A. meritis , sed gratuita Dei bonitate donata sunt .*

Fatendum tamen , communī ac recepto Scripturæ , & Ecclesiæ usū , nomine gratiae , non naturam intelligi , sed donum supernaturale gratituum , naturæ supperadditum . Quapropter mirum videri non debet , Pelagium ambiguitate vocis , Patribus Palaestinis turpiter illusisse . Interrogatus enim an gratiae necessitatē admitteret ; respondit se admittere : at subdolus ille , per gratiam intelligebat naturam , & liberum arbitrium . Illi autem Catholici Episcopi , ut erant simplices , & fraudis ignari , *Nullam aliam Dei gratiam intelligere potuerunt ,* ait S. Aug. Epistola ib. pag. mox citata , *nisi quam in libris Dei legere , & populis Dei prædicare consueverunt . Eam utique ... quæ justificamur ab iniunctate , & quæ salvamur ab infir-*

mitate, non qua creati sumus. Unde monet S. Aug. eam a Pelagio exigendam esse confessionem gratiae, quam doctrina Christiana demonstrat, & praedicat esse propriam Christianorum, quæ non est natura, sed qua salvatur natura. Quæ naturam non auribus sonante doctrina vel aliquo adjumento visibili foget, ib. pag. sicut plantator quodammodo, & irrigator extrinsecus, sed subministratio spiritus, 624.F. & occulta misericordia.

Proprie igitur, nomine Gratiae hic intelligimus donum quocumque, seu beneficium supernaturale creaturae rationali gratis concessum, quo ad finem supernaturalem assequendum adjuvatur. Hoc sensu Psalm. 83. v. 12. dicitur: Gratiam, & gloriam dabit Dominus. Joan. 1. ver. 17. Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum. Rom. 3. v. 24. Justificati gratis per gratiam ipsius. Et cap. 7. ver. 24. Infelix ego homo: exclamat Apostolus, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum.

Definitio Gratiae.

Gratia vulgo definitur, donum supernaturale creaturae rationali gratia a Deo concessum intuitu passionis, & meritorum Christi, ordinatum ad vitam æternam.

Dicitur 1. donum: quæ vox tenet locum generis; convenit quippe donis tum naturalis, tum supernaturalis ordinis.

Dicitur 2. supernaturale: hoc est, supra naturæ debitum, & exigentiam; ut distinguitur a donis naturalibus, quæ nonnisi lato, & impropto sensu gratia dicuntur.

Dicitur 3. creaturae rationali concessum: quibus verbis subjectum gratiae capax, Angelus scilicet, & homo, designatur.

Dicitur 4. gratis concessum: quæ particula *gratis*, excludit omne debitum seu obligationem ex parte dantis, & omnem exigentiam, jus, ac meritum ex parte recipientis, sive personæ illud sit, sive naturæ. Primo excludit omne debitum ex parte dantis: quia Deus nulla lege absolute tenetur, & obligatur ad gratiam conferendam. Secundo excludit omnem exigentiam, jus, ac meritum ex parte recipientis, tum naturæ, tum personæ: quia si gratia personæ operibus debita foret, jam non esset gratia. Rom. 11. v. 6. Si etiam debita foret naturali hominis conditioni, & ad exigentiam naturæ daretur, eo ipso supernaturalis plane dici non posset, quæ supposita hominis creatione, ipsi jure creationis deberetur. Hanc plane gratuitam gratiae conditionem revertunt, qui cum Bajo, & Jansenio docent, impossibilem esse puræ naturæ statum, in quo homo sine peccato, & gratia conderetur. Necesse enim est, ut assentantur, gratiam ad exigentiam & connaturalem creaturae rationalis statum concedi, adeoque integritatem primæ creationis, non fuisse indebitam humanæ naturæ exaltationem, sed naturalem ejus conditionem: quæ reipsa 27. est Propositio inter Bajanis, a SS. Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. proscriptas.

Dicitur 5. donum a Deo concessum intuitu passionis, ac meritorum Christi: quibus verbis designatur causa, tum efficiens gratiae, nimurum Deus, tum meritoria, nempe Christus mediator. Quo pacto gratia status innocentis naturæ a nonnullis distinguitur a gratia naturæ lapsæ,

& reparatæ; quod illa gratis a Deo concessa fuit independenter a meritis Christi; ista vero tota fundatur in illis meritis. *Nec enim aliud nomen est sub celo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Act. 4. v. 12. *In quo (Christo) habemus redemptionem per Sanguinem ejus, remissionem peccatorum,* Ephes. 1. v. 7.

Dicitur denique, donum ordinatum ad vitam æternam: ut nempe *finalis gratia causa denotetur.* *Gratia enim est,* ait S. August. Epist. 625. A. jam citata 177. alias 95. *qua prædestinati vocamur, justificamur, & glorificamur.*

Multiplex divisio gratiae.

Varias Gratia divisiones, ex professo ad sextam hujus Tractatus questionem fusius exposituri, summatim dumtaxat, ac strictim eas hic attingemus; ut non tam de rebus ipsis, quam de verborum significacione, quibus in decursu hujus Tractatus usuri sumus, agere videamus. Itaque

Gratia dividitur 1. in gratiam Dei, & gratiam Christi, de qua mox dictum fuit, juxta mentem nonnullorum Theologorum.

2. In gratiam externam, & internam. Externa dicitur ea, quæ est extra hominem; seu quæ hominem exterius afficit, & multis est communis: ut lex, doctrina seu prædicatio Evangelii, miracula, exempla & Christi &c. Ipse pariter amor, quo Deus sic ab æterno mundum dilexit, ut pro eo unigenitum Filium suum daret; prædestination &c. aliternam & internam. In gratiam externam sunt gratiae, sed æternæ, & increatae, ex quibus, velut ex caussis, defluunt in tempore quæcumque auxilia supernatura quibus homo ad finem suum assequendum juvatur. Interna vero dicitur gratia, quæ hominem interius afficit; sive inhærendo, qualis est gratia habitualis, & sanctificans; sive movendo tantum, per illuminationem mentis, & excitationem voluntatis, qualis est gratia actualis. De hac interna gratia Apostol. Rom. 5. vers. 5. ait: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Charitas diffusa, hoc in loco, est gratia interna, inhærens, creata: Spiritus vero Sanctus, qui datus est nobis, est gratia increata, interna; non inhærens, sed speciali modo assistens, habitans, regens, movens, & adjuvans hominem.

3. Dividitur Gratia, in gratum facientem, & gratis dataem. Gratia gratis data, dicitur ea, quæ per se ac primario, non in propriam recipientis, sed in aliorum utilitatem ac commodum conceditur: de qua dicit Apostolus 1. Cor. 12. 2. 7. *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem, scilicet aliorum.* Cujus quidem gratiae novem species ibid. numerat a v. 8. ad 11. *Alii quidem, inquit, per spiritum datur sermo scientia: alii autem sermo scientia, secundum eundem spiritum: alteri fides in eodem spiritu: alii operatio virtutum: alii prophetia: alii discretio spirituum: alii genera linguarum: alii interpretatio sermonum.*

Quamvis autem omnis gratia sit gratis data, alias non esset gratia, Rom. 1. v. 6. usu tamen communi invaluit, ut nomine gratie gratis data intelligatur ea, qua quis ad utilitatem alterius cooperatur. Cujus duplex adduci solet ratio: prima, quia Christus Dominus hujus generis gratias Apostolis conferens;

expresse monuit eas , & gratis acceptas esse , & gratis concedendas . Matth. 10. v. 8. *Infirmos curate , mortuos suscitate , leprosos mundate , da mones ejicite , gratis accepistis , gratis date .* Secunda ratio est , quia vulgo solet nomen generis ignobiliori speciei accommodari : gratia porro gratis data , ignobilior est gratia gratum faciente . Hæc enim Deo immediate coniungit , eique hominem gratum & acceptum reddit ; non ita gratia gratis data . Inde est , quod Christus Lucæ 10. v. 19. dicat Apostolis suis : *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones , & super omnem virtutem inimici , & nihil vobis nocebit . Verumtamen in hoc nolite gaudere , quia spiritus vobis subjiciuntur : gaudete autem , quod nomina vestra scripta sunt in celis .*

Gratia gratum faciens , est donum supernaturale gratis a Deo concessum ad propriam & spiritualem uniuscujusque salutem primario & per se ordinatum ; quo quis Deo gratus & acceptus redditur , sive formaliter , si sit gratia habitualis sanctificans , sive dispositiva ac præparatoria , si sit gratia actualis . Inde nascitur

Quarta divisio Gratiae , in habitualem & actualem .

Habitualis seu permanens dicitur ea , quæ per modum habitus seu ^{4. In gratiam habitualem} qualitatis fixæ & permanentis conceditur : de qua Christus Joann. 14. vers. 23. ait : *Si quis diligit me , sermonem meum servabit , & Pater meus & actus diligit eum , & ad eum veniemus , & mansionem apud eum faciemus .* Est item , hæc gratiæ species perfectissima , per quam homo unus fit cum Deo spiritus ; dicente Apostolo 1. Corinth. 6. vers. 17. *Qui adhæret Domino , unus spiritus est .* Talem inharentem & habitualem gratiam dati , manifeste ostendit exemplum paryulorum qui baptizantur . Non enim aliam recipere illi possunt , qua justificantur , gratiam , præter eam , quæ per modum habitus & qualitatis ipsis infundat , ut & inhæreat . Hujus habitualis gratiæ duplum effectum distinguit hic S. Thomas 1. 2. qu. CXI. art. 2. unum formalem , alterum effectivum . Prior in eo est , ut hominem Deo gratum & acceptum faciat : posterior , ut eum inclinet ad opera bona ; pro naturali scilicet conditione omnium habituum , qui semper inclinant ad actus sibi conformes . Ratione prioris effectus , ait S. Doctor , dicitur gratia operans : ratione posterioris , gratia cooperans .

Gratia actualis dicitur ea , quæ per modum actus seu motionis Dei transeuntis conceditur . Unde a SS. Patribus vocatur Dei motio , inclinatio , auxilium , quo Deus intellectum veri cognitione illustrat ; & voluntatem boni amore accedit . *Sicut enim ,* ait S. Aug. Lib. de natura , & gratia cap. 26. nu. 29. *oculus corporis plenissime sanus , nisi canore lucis adjutus non potest cernere ; sic & homo etiam perfectissime justificatus , nisi æterna luce justitie divinitus adjuvetur , recte non potest vivere .* Et Lib. de gratia Christi Cap. 12. gratiæ actualis varios effectus enumera , ait : *Qua gratia agitur , non solum ut facienda noverimus , verum etiam ut cognita faciamus ; nec solum ut diligenda credamus , verum etiam ut credita diligamus .*

Hujusmodi actualis gratiæ auxilium necessarium est ad eas omnes hominis actiones , quæ vires ipsius naturæ superant ; seu ad omnes pietatis actus .

^{T. 4. pag. 167. Col. 2. G.} *Tribus autem modis ,* ait Bellarm. lib. 1. de gratia , & libero arbitrio

Tournely de Gratia . Tom. III. Pars I.

A 3 Cap. 2.

Cap. 2. operatio aliqua vires naturae superare potest. Primo simpliciter & absolute, ut si ex genere suo operatio sit ordinis altioris, quam sunt res naturales, quales sunt actus virtutum Theologicarum, Fidei, Spei, & Charitatis, que non acquiruntur per iteratos & frequentes actus, sed divinitus in animam infunduntur. 2. Non simpliciter, sed ratione status peccati: quemadmodum enim homo ex-grotus movere non potest ingentem aliquam molem, nisi juvetur ab alio, quam ipse idem, si sanus esset, solus movere potuisset; sic homo per peccatum debilitatus, multa non potest sine auxilio speciali efficere, que in statu innocentiae, sine tali auxilio, facile effecisset. 3. Ratione modi, temporis, personae, aut alterius circumstantiae. Sæpe enim accidit, ut id, quod neque ex genere suo, neque ratione status, vires naturae superat, eosdem tamen superet ratione circumstantiae; ae, ut in exemplo posito perseveremus, poterit homo sanus per se, molem quamdam loco movere, non tamen poterit sine alterius auxilio, si alteram manum tantum adhibere cogatur, aut si loco parum commodo vel moles, vel ipse sit constitutus. Ita poterit homo justus præceptum aliquod decalogi facile adimplere, si nulla extrinsecus diabolica tentatio accedat; si vero tentatio ejusmodi accedat, sine speciali auxilio id facere non poterit. Hactenus Bellarminus.

^{T. 4. Con.} In gratiam operantem & cooperantem. Utramque hanc gratię speciem describit S. Aug. Lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 17. his verbis: *Quis istam eti parsam dare cœperat charitatem, (S. Petro de quo hic loquitur) nisi ille, qui pœparat voluntatem, & cooperantem perficit, quod operando incipit? Quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui voluntibus cooperatur perficiens.* Propter quod ait Apostolus: *Certus sum quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Jesu Christi. Philipp. 1. v. 1.* Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum operatur; tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.

De eadem divisione S. Thom. I. 2. q. CXI. art. 2. in corpore ait: Operatio alicujus effectus non attribuitur mobili, sed moventi: *In illo ergo effectu, in quo mens nostra est mota & non movens (solus autem Deus movens) operatio Deo attribuitur: & secundum hoc dicitur gratia operans. In illo autem effectu, in quo mens nostra & movet, & movetur, operatio non solum attribuitur Deo, sed etiam anime: & secundum hoc dicitur gratia cooperans.*

Gratia igitur operans dicitur ea, quam Deus in nobis sine nobis operatur; qualis est omnis illustratio mentis, & voluntatis ad bonum subita excitatio, quam Deus primo, seu, ut loquitur S. Aug. incipiens in nobis operatur. Sine nobis autem hanc operari dicitur, non quidem sine nobis active concurrentibus, (quandoquidem sunt actiones vitales, que a principio interno necessario debent oriri) sed sine nobis libere concurrentibus; quia sunt subiti & indeliberati motus, qui a nostra non pendent voluntate.

Gratia cooperans dicitur ea, per quam Deus facit, ut quod voluerimus, impleamus: cooperans dicitur, quia simul cum humana libertate ad bonum faciendum cooperatur. *Gratia Dei tecum:* ait Apost. I. Corint. 15. v. 10.

^{T. 4. Con.} De utraque illa gratia, tum operante, tum cooperante, loquitur Conc. p. 1660. Arausicanum 2. Can. 9. & 20. In priori ait: *Quoties bona agimus, Deus in E. Ib. p. nabis, & nobiscum ut operemur, operatur.* In posteriori: *Multa Deus facit in 1670. C. boni-*

homine bona, quæ non facit homo: nulla vero facit homo bona, quæ non præstet Deus, ut faciat homo. Quæ verba sunt Augustini Lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum Cap. 8.

6. Gratia dividitur in excitantem, & adjuvantem; quæ divisio in mox expositam coincidere videtur. Gratia quippe operans, etiam excitanter, sicut & cooperans, adjuvans appellatur: quia illa nos quasi a somno peccati excitat, per illas subitas & indeliberatas ad bonum motiones; hec vero excitatos ad efficacem boni prosecutionem adjuvat. Utramque hanc gratiam a Deo postulat Ecclesia, cum ait: *Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere.*

7. Dividitur gratia in prævenientem, consequentem, & concomitantem.

Hanc divisionem nonnulli confundunt cum precedente gratiæ operantis seu excitantis, & cooperantis seu adjuvantis.

Verum distinctione opus est: namque gratia præveniens, & subsequens ita potest appellari, vel per respectum ad liberum voluntatis consensum; vel per respectum ad invicem. Si gratia præveniens, & subsequens dicatur comparate ad liberum voluntatis consensum, rursus distinguendum est: vel enim gratia illa præveniens & subsequens, voluntatis consensum includit, vel non: si prius, gratia præveniens distinguitur a gratia operante, sicut & subsequens a cooperante: si posterius; non distinguitur. Porro hic per prævenientem & subsequentem gratiam, intelligimus eam, quæ voluntatis consensum includit. Utramque hanc gratiæ prævenientis, & subsequentis speciem agnoscit S. Aug. T. 6. p. in Enchiridio ad Laurentium cap. 32. *Præcedit, inquit, bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia: quæ autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa. Nam utrumque legitur in sanctis eloquii; & Misericordia ejus præveniet me; & Misericordia ejus subsequetur me. Nolentem prævenit, ut velit, volentem subsequitur, ne frustra velit.*

Cum vero gratia præveniens non includat voluntatis consensum, necesse est admittere in hac divisione tertium aliquid membrum, seu genus gratiæ, quæ concomitans dicatur, quia voluntatem comitatur & adjuvat, ut bonum efficaciter velit. Cum enim ille voluntatis actus, quo consentit seu vult bonum, sit a gratia Dei, neque includatur in præveniente, aut in subsequente gratia, necesse est, ut sit a gratia concomitante. Hanc triplicem gratiam designare videtur Concilium Trid. Sess. 6. Cap. 16. *Quæ virtus, inquit, (nempe Christi) in ipsis justificatorum jugiter influit, bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur.*

Si vero gratia præveniens, & subsequens, comparate ad se invicem considerentur, tunc, præveniens gratia dici debet prima gratia, per quam homo ad bonum excitatur: subsequens vero, quæ primam illam sequitur. Hoc sensu gratiam explicasse videtur S. Augustinus Lib. de natura, & gratia cap. 31. *Misericordia ejus, inquit, prævenit nos. Prævenit autem ut sanemur, quia & subsequetur, ut etiam sanati vegetemur; prævenit ut vocemur, subsequetur ut glorificemur: prævenit, ut pie vivamus, subsequetur, ut cum illo semper vivamus: quia sine illo nihil possumus facere.*

S. Thomas qu. jam citata CXI. art. 3. docet gratiam in prævenientem , & subsequentem dividit per ordinem ad diversos effectus . *Sicut gratia dividitur, in operantem & cooperantem secundum diversos effectus, ita etiam in prævenientem & subsequentem . . . sunt autem quinque effectus gratiæ in nobis, quorum primus est, ut anima sanetur: secundus, ut bonum velit: tertius est, ut bonum quod vult, efficaciter operetur: quartus est, ut in bono perseveret: quintus est, ut ad gloriam perveniat.* Et ideo gratia secundum quod caussat in nobis primum effectum, vocatur præveniens respectu secundi effectus: & prout caussat in nobis secundum, vocatur subsequens respectu primi effectus . Et sicut unus effectus est posterior uno effectu, & prior alio, ita gratia potest dici præveniens & subsequens secundum eundem effectum, respectu diversorum . Ita S. Thomas, qui sententiam hanc suam confirmat ex S. August. loco mox citato ex Cap. 31. Lib. de natura , & gratia .

8. Gratia dividitur in gratiam simpliciter, & gratiam pro gratia.

Gratia simpliciter ea dicitur, quæ conceditur a Deo ex meritis Christi , absque ullo ex parte hominis præcedente merito etiam ex Gratia .

Gratia vero pro gratia ea dicitur, quæ datur propter meritum præcedens , quod ex ipsa gratia oritur . Talis est gloria seu vita æterna , quæ simul & merces , & gratia dicitur : merces , quia meritis rependetur ; gratia , quia merita hæc ex gratia profluent . Tale pariter est augmentum gratiæ in homine justificato , quod impetrat bonis suis operibus ex gratia elicitis . De quo auxilio gratiæ dicit Regius Psaltes T. 10. p. 728. B.C. Psalmo 7. vers. 11. *Justum adjutorium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde.* Divisionem hanc agnoscit S. Augustinus Lib. de gratia & libero arbitrio Cap. 8. his verbis : *Si vita bona nostra nihil aliud est, quam Dei gratia, sine dubio & vita æterna, quæ bona vita redditur, Dei gratia est: & ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illi, cui datur. Sed illa, cui datur, tantummodo gratia est: hæc autem, quæ illi datur, quoniam præmium ejus est, gratia est pro gratia, tamquam merces pro justitia.*

Dividitur ultimo gratia in sufficientem , & efficacem : quæ divisio , omnium celeberrima est propter dissidentes Theologorum, circa utrumque ipsius membrum, opiniones .

Gratia sufficiens idea , & notio varia est , pro diverso ipsius apud Theologos usu .

& efficax. Qui ad nativam & obviam significationem sufficientis gratiæ attendunt; eam intelligunt, quæ sola sufficit ad bonum operandum, absque ullo novo superaddito auxilio : ac consequenter, voluntas pro sua innata libertate illa gratia utitur , vel non utitur , ut operetur bonum , vel non operetur . Unde fit, ut ab efficaci gratia sufficiens non distinguatur, nisi solo eventu seu actione , non autem propria & interna natura : adeoque una & eadem gratiæ entitas , & natura in uno efficax est, in alio mere sufficiens : efficax in eo , qui cum illa gratia bonum operatur; mere sufficiens in alio, qui non operatur: quod discrimen ex sola hominis libertate nascitur .

Apud alios gratia sufficiens sola sufficit ad astus dumtaxat faciles, cum

nem-

nempe nulla urget tentatio, non vero ad actus difficiliores, seu ex objecto, seu ex circumstantiis, tentatione, habitu, exemplo &c. Atque in ea opinione, qui gratia sufficiente bene utuntur in facilibus, efficacem in arduis, ac difficilioribus a Deo impetrant. Differt autem, ac distinguitur gratia sufficiens ab efficaci, juxta defensores hujus opinionis, in eo, quod efficax certo ac infallibiliter effectum suum semper assequatur, non ita sufficiens.

Alii gratiam sufficientem nomine tenus dumtaxat agnoscunt: qui re ipsa, nonnisi efficacem in praesenti naturae lapsae statu dari arbitrantur: ac sufficientem appellant eam parvam ac debilem, quae ad infirmos quosdam ac debiles pietatis motus excitandos a Deo destinatur, quos cum semper excitet, & obtineat, eo respectu semper est efficax: respectu vero operis boni, pleni atque perfecti, est vere insufficiens, propter defectum virium, ait Jansenius L. 3. de Grat. Ch. C. 13. Hoc est, quia illa parva gratia, viribus seu gradibus inferior est opposita concupiscentia.

Alii vero, gratiam sufficientem definiunt eam, quae veram propriam & expeditam, relative ad oppositam cupiditatem superandam & bonum operandum, potentiam confert; tametsi nusquam illud efficiat, nisi novo ex parte Dei accidente auxilio efficaci. Gratia igitur sufficiens dat posse agere: gratia vero efficax dat ipsum agere.

Additur in ea definitione, vox illa *relative*, ad præcavendam scilicet fraudem & equivocationem Jansenianorum, qui potentiam gratiae sufficientis nobiscum appellant veram, propriam, perfectam, completam, imo perfectissimam, completissimam &c. at non sine dolo ac fraude. Perfectissimam enim eam dicunt, & intelligunt, absolute & præcisissimis omnibus circumstantiis; non vero relative ad oppositas praesentis concupiscentiarum superioris vires. Sed de hoc argumento, quod est totius systematis Jansenii veluti medulla, plenius suo loco differemus.

Gratia efficax, prout sufficienti opponitur, ea dicitur, quae suum effectum certo, ac infallibiliter semper assequitur.

Q U A E S T I O S E C U N D A.

De variis humanæ naturæ statibus in ordine ad Gratiam.

Nomine status, aliud intelligitur in Jure Civili, & Canonico, aliud apud Morales, & Scholasticos Theologos.

Status in Jure Civili, significat certam personæ conditionem, secundum quam sibi vel alieni juris est; serva, vel ingenua & libera.

Status in Jure Canonico, significat genus illud vivendi, cui immobiliter homo est alligatus, ut status Matrimonii, Religionis, & sacrorum Ordinum.

Status, apud Theologos Morales, generatim significat hanc uniuscujusque privatam conditionem, secundum quam vel est in statu gratiae, vel in statu peccati.

Denique apud Scholæ Theologos, & apposite ad præsens de gratia Christi argumentum, status significat certam conditionem, seu modum se habendi totius humanæ naturæ, in ordine ad suum finem ultimum, secundum legem Divinæ providentiaz. Sicque quia generatim duplex est ordo hominis ad ultimum

timum finem, quo nempe vel jam fruitur, vel ad quem tendit; idcirco duplex generatim distinguitur humanæ naturæ status: unus termini seu fruitionis & patriæ, qui proprius est beatorum in cælis degentium: alter viæ, seu tendentia ad terminum. De hoc posteriori hic agimus.

Status autem ille viæ duplex rursus distinguitur: unus, qui de facto fuit, & adhuc ex parte existit; alter, qui nusquam fuit, sed videtur possibilis.

Status naturæ, qui de facto fuit, triplex distinguitur.

Primus naturæ innocentis, in quo primi parentes conditi fuere. Secundus naturæ lapsæ, in quo sunt omnes Adæ posteri ante Baptismum. Tertius naturæ lapsæ, & reparatæ per Christum, in quo sunt omnes homines per merita Christi redempti.

Status naturæ, qui nusquam fuit, sed videtur possibilis, iterum triplex distinguitur. Primus naturæ puræ, in quo homo fuisse, sine peccato & gratia, obnoxius tamen iisdem infirmitatibus, quibus nunc premitur. Secundus naturæ integræ, in quo homo esset sine peccato & gratia, saltem habituali seu sanctificante, at non sine auxilio quodam sine naturali, sine supernaturali, quo immunis redderetur ab iis infirmitatibus, quibus nunc subjacet. Tertius naturæ lapsæ non reparatæ, aut non reparandæ, in quo fuisse homo post peccatum, si Deus ex infinita sua misericordia eum non liberasset. De his omnibus statibus breviter hic differendum: ac primo de iis, qui extiterunt; tum de possibilibus.

ARTICULUS PRIMUS.

De statu naturæ innocentis.

TRIA hic sunt expendenda.

1. An homo in ortu suo justitiam originalem, sanctitatem, & immortalitatem a Deo acceperit.

2. An hæc originalis justitia, sanctitas, & immortalitas fuerit homini naturalis, vel supernaturalis.

3. Quodnam gratia seu auxilii genus datum, & necessarium fuerit Adamo innocentí, ad bene agendum & perseverandum.

An homo in ortu suo justitiam originalem, sanctitatem, & immortalitatem a Deo acceperit.

Negarunt Pelagiani, contendentes tales hominem jam nasci, qualis primum conditus fuerat, sine peccato & gratia. Ut sine virtute, ita & sine vito procreamur, inquit Pelagius apud S. Aug. Lib. de peccato originali Cap. 13. Item: Adæ peccatum ipsi soli obfuit, & non generi humano: & infantes, qui nascuntur, in eo statu sunt, in quo fuit Adam ante prævaricationem. Ibidem.

Sociniani, qui omnes fere veteres hæreses jam diu extintas rursus excitant ac revocant, fatentur quidem Adamum absque corruptione peccati quæ nunc est, conditum fuisse; at eum sapientem, & justum, & sanctum fuisse pernegant: ita ut innocentia quidem & parentia peccati tribui illi possit, non vero justitia. Quo semel jacto fundamento, facili-

liorem sibi parant viam ad impugnandum dogma peccati originalis, quod illi cum Pelagianis pariter negant. Ita Socinus prælectionum Cap. 3.

Nonnulli Schola Magistri, sicut observat S. Th. I. parte q. 95. art. I. distinguunt justitiam originalem a gratia sanctificante; illam reponunt in rectitudine quadam, & sanitatem tum corporis, tum animæ, qua poterat homo facilissime ea, quæ sunt naturalis ordinis, adimplere; ac contendunt, prius in illa originali justitia conditum hominem fuisse; tum vero illum a Deo sanctificantem gratiam accepisse.

Quantum vero ad immortalitatem primi hominis in statu innocentiae, omnes quidem nostri fatentur, eum liberum quidem fuisse a lege, seu necessitate moriendi, quæ non nisi per peccatum inducta fuit; verum, existimant aliqui, eum non ita fuisse hoc in primo statu immortalem, quin mori absolute potuerit, si ferro, igne, vel alio quocumque modo, vis ejus corpori illata fuisse ab aliquo, qui innocentiam primam defruiisset: nihilominus nihil tale eventurum fuisse, eo quod Deus per suam providentiam omne periculum avertisset. Addit Scotus, primum hominem, omnesque ejus posteros naturæ necessitate tandem morituros fuisse, idque propter elementorum pugnam ac contrarietatem, ex quibus compositum est corpus humanum; nisi Deus antequam illud accideret, eos transferret ad statum immortalitatis; atque mortem hujusmodi, si accidisset, non magis homini, quam bestiis pœnalem futuram fuisse, sed utrisque naturalem.

Communis Theologorum sententia est, Adamum a Deo primitus conditum fuisse rectum, justum, immortalem; non eo tantum sensu, quod immunis, seu liber fuerit a lege & necessitate moriendi, sed etiam quod non potuerit mori, non quidem absolute, & simpliciter, quasi aliter condi a Deo homo non potuerit, sed in sensu composito, seu coniuncto justitiae originalis; in sensu enim diviso, ut peccare potuit, ita & mori. Qua ex parte, discrepat immortalitas Adami præterita a futura beatorum in cælis: isti enim, ut a sua felicitate excidere nusquam possunt; ita nec ab immortalitate. Econtra, primus homo peccando, & innocentem perdidit, & immortalitatem.

C O N C L U S I O.

Homo in ortu suo justitiam originalem, sanctitatem, immortalitatem &c. a Deo accepit.

Probatur. Quia homo a Deo conditus fuit rectus & perfectus, tum in anima, tum in corpore. Hæc autem perfectio, necessario includit ex parte animæ plenam rerum omnium cognitionem in intellectu, & gratiam in voluntate: ex parte appetitus inferioris, subjectionem, & obedientiam rationi: ex parte denique corporis, immortalitatem & immunitatem ab omni miseria, in quibus posita erat justitia originalis.

Primo quidem, Adamum ea omni rerum naturalium cognitione instrutum fuisse, quæ suæ conditioni congruebat, significat Scriptura, cum de primis parentibus ait, Ecclesiastici 17. v. 5. & seq. *Disciplina intellectus replevit illos. Creavit illis scientiam Spiritus, sensu implevit cor illorum: & mala & bona ostendit illis. Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum.*

Hugo
Victor.
L. 2. de
Sacra-
mentis,
Alefis
2. parte
summe
Q. 96.
Scotus
in 2. Sen-
tent.
dist. 29.
Eustius
in L. 2.
Sentent.
dist. 18.
§. 2.

Non tantum vero naturali, sed & supernaturali per fidem, cognitione mysteriorum donatum fuisse Adamum, inde maxime constat quod, pronuntiante Apostolo Hebr. 2. v. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo: & accedentem ad Deum credere oporteat, quia est, & inquirentibus se remuneratur sit.*

II. Quantum ad voluntatem, gratiam habuit tum habitualem seu sanctificanteem, tum actualem.

Habitualem designant hæc Scripturæ verba. Ecclesiastes 7. v. 30. *Fecit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuit questionibus.* Seu, ut vertunt 70. *Et ipsi quererunt cogitationes multas: aut, ut habet Symmachus: ipsi operati sunt curiositatem.*

Hæc autem rectitudo, non mera est carentia peccati, & injustitiae negatio, ut Socino placet, sed positiva rectitudo, seu justitia & innocentia interior, per quam primus homo Deo gratus erat, ac supremæ legi conformis. Unde Apost. Ephes. 4. v. 23. hortatur, ut eam primam reparamus gratiam, in qua primus homo conditus fuerat, & quam peccando amissit. *Renovamini, inquit, spiru mentis vestrae; & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.*

T. 10. p. *Actualem quoque gratiam accepit, qua indigebat ut bonum opus su-*
140.A.B. *per naturale exiceret. Sicut enim, ait S. Aug. Lib. de natura & gratia*
Cap. 26. n. 29. oculus corporis etiam plenissime sanus nisi candore lucis adju-
tus non potest cernere; sic homo etiam perfectissime justificatus, nisi æterna lu-
ce justitiae divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.

T. 4. Conc. *Utrumque hoc gratiæ genus humanæ naturæ primitus in ortu suo con-*
p. 167.B. *cessum fuisse agnoscit Conc. Arausicanum 2. Can. 19. his verbis: Natura*
humana, etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo mo-
do se ipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret: unde cum fine Dei gra-
tia salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo fine Dei gratia poterit
reparare quod perdidit?

T. 14. *Et Concilium Trid. Seff. 5. in decreto de peccato originali* Can. 10. sic
Conc. p. *statuit: si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei*
751. *in paradyso fuisse transgressor, statim sanctitatem & justitiam, in qua consti-*
tutus fuerat, amisisse &c. anathema sit. Et Can. 12. *Si quis Adæ prævarica-*
tionem sibi soli, & non ejus propagini afferit nocuisse, & acceptam a Deo san-
ctitatem & justitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam eum perdi-
disse . . . anathema sit.

Constans hæc est SS. Patrum doctrina; tum eorum, qui exponentes istud Geneseos: Factus est homo ad imaginem & similitudinem Dei, distinguiunt inter imaginem & similitudinem, illam in donis naturalibus, istam in supernaturalibus reponunt. Ita SS. Irenæus Lib. 5. cap. 6. Basilus Hom. 10. in Hexameron. Chrysost. Hom. 9 in Gen. Damascenus Lib. 2. de Fide Orthodoxa Cap. 12. Bernardus serm. 1. de Annunciatione; tum eorum, qui aperte declarant Adamum in ortu suo gratiam a Deo accepisse: ita in primis

T. 10. p. *S. Augustinus Lib. de correptione & gratia Cap. XI. n. 29. Quid ergo,*
766. B. *inquit, Adam non habuit gratiam? Imo vero habuit magnam. Et postea n. 32. . . .*
P. 767.F. *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat,*
qui fecerat rectum. Bona autem voluntas in phrasí Augustiniana est charitas, si-

et ipse docet Lib. 1. de gratia Christi cap. 21. Quasi vero, ait, aliud sit lib. pag. bona voluntas quam charitas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo, & a Patre datam, ut filii ejus essemus.

Et Lib. 12. de Civitate Dei cap. 9. docet non Angelis tantum, sed etiam hominibus diffusam fuisse charitatem in cordibus, per Spiritum Sanctum, qui datus est eis. Atque cum velit parem fuisse hominis, & Angelorum conditionem in donis creationis, de Angelis autem pronunciet, Deum in illis condidisse naturam & largitum fuisse gratiam: procul dubio contendit, primis parentibus in ortu suo concessam a Deo gratiam fuisse.

III. Appetitus Adami inferior ita perfecte subditus fuit ejus rationi, ut nusquam in hoc felici statu, contra, vel præter ejus præscriptum moveretur: hoc enim postulabat primi status rectitudo; ut quamdiu anima Deo mancipata & subdita remaneret, ipsi pariter animæ appetitus, & aliæ facultates perfecte obtemperarent.

Hanc ergo (obedientiam) priusquam violassent, ait S. Aug. Lib. 2. de peccato. & remiss. cap. 22. placebant Deo, & placebat eis Deus; & quamvis corpus animale gestarent, nihil inobediens in illo adversum se moveri sentiebant. Faciebat quippe hoc ordo justitiae, ut quia eorum anima famulum corpus a Domino acceperat, sicut ipsa eidem Domino suo, ita illi corpus obediret, atque exhiberet vitæ illi congruum sine ulla resistentia famulatum. Hinc & nudi erant, & non confundebantur.


Et Lib. 4. contra Julian. cap. ult. nu. 82. Gratia Dei magna ibi erat, inquit, ubi terrenum & animale corpus bestiale libidinem non habebat. Et lib. 5. cap. 5. num. 22. Absit, ut credamus, aliquid fuisse unde sensum nostrum, sive intrinsecus, sive extrinsecus aut dolor pungeret, aut labor fatigaret, aut pudor confunderet, aut ardor curaret, aut algor stringeret, aut horror offendere.

IV. Denique, Adamum immortalem a Deo conditum fuisse liberum ab omni miseria, patet: 1. quia moriendi necessitas est pena peccati, quam Deus ipse primis parentibus interminatus fuerat. Gen. 2. ver. 17. In quocumque die comedeleris, morte morieris. Hinc Apostolus Rom. 5. ver. 12. Per unum hominem, ait, peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.

2. Quia Deus mortem non fecit. Sap. 1. v. 13. & cap. 2. v. 23. Deus creavimus inextinguibilem, & ad imaginem similitudinis sue fecit illum. Invidia autem diaboli, mors introivit in orbem terrarum.

Inepte prorsus ad citatum Geneseos textum reponebant Pelagiani, intelligi eum debere de morte animæ, non vero corporis; nam, ut recte arguit S. Aug. Lib. 1. de peccato. meritis, & remiss. cap. 2. pena quam Deus hic comminatur, de eo intelligitur, de quo Deus ait Genes. 3. v. 17. Quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comedeleris ... in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris. An vero de anima hæc dici possunt, quæ plane immortalis est?

3. Ex definitione Conciliorum: Milevitani secundi Can. 1. ubi dicuntur: Placuit . . . ut quisunque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore,



pore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.

T.4.Conc. Arausicanii secundi Can. 2. Si quis soli Adæ prævaricationem suam, non
p. 1667. & ejus propagini, afferit nocuisse; aut certe mortem tantum corporis, quæ
B. C. pœna peccati est, non autem, & peccatum quod mors est animæ, per unum
hominem in omne genus humanum transiisse testatur, injustitiam Deo dabit, con-
tradicens Apostolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in mundum,
& per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes pec-
caverunt. His similes leguntur in Concilio Tridentino Sess. 5.

T 7.pag. 4. Denique, ex S. Aug. ut alios omittamus, qui Lib. 14. de Civitate
376.D.E. Dei, Cap. 26. eximie describit primævam hominis dignitatem ac felici-
tatem his verbis: Vivebat, inquit, sine ulla egestate, ita semper vivere ha-
bens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret; potus, ne stiret; lignum vita, ne
illum senecta dissolveret. Nihil corruptionis in corpore vel ex corpore ulla mo-
lestias ullis ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus me-
tuebatur extrinsecus. Summa in carne senitas; in anima tota tranquillitas. Si-
cut in paradyso nullus æstus aut frigus, ita in ejus habitatore nulla ex cupiditi-
tate vel timore accedebat bonæ voluntatis offensio. Nihil omnino triste, nihil
inerat inaniter letum &c.

Solvuntur Objectiones.

Objec. 1. Sanctum Gregorium Nyssenum Oratione prima in hæc verba: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram; ubi docet prius hominem conditum fuisse ad imaginem secundum naturalia, tum ad similitudinem secundum supernaturalia.

Resp. Quidquid sit de eo discrimine, quod nonnulli veteres ponunt inter imaginem & similitudinem Dei, ad quam homo factus est; negamus S. Gregorium Nyssenum afferuisse hominem prius prioritate temporis creatum fuisse in puris naturalibus, tum supernaturalibus donis instructum, & ornatum a Deo fuisse: simul enim & naturam, & gratiam accepit.

Objec. 2. S. Cyprianum Epist. 74. ad Pompejum, ubi sic loquitur:
Edit. Ri-
galr. p.
131. Non per manus impositionem quis nascitur quando accipit Spiritum Sanctum,
sed in Baptismo; ut spiritum jam natus accipiat, sicut in primo homine
Adam factum est. Ante enim Deus eum plasmavit, & tunc insufflavit in
faciem ejus statum vitae. Nec enim potest accepi spiritus, nisi prius fuerit qui
accipiat.

Propositorum S. Doctoris eo loci, est ostendere sanctificationem per Ba-
ptismum debere tempore præcedere plenitudinem Spiritus Sancti, quæ in
Confirmatione datur; idque probat exemplo Adami, qui prius a Deo con-
ditus fuit, quam spiritum vitae acceperit: quo in exemplo, necesse est
S. Doctorem prioritatem temporis intellexisse: alias, frustra illud fuisse.
Favet & oratio, quam subiecta, neimpe spiritum accipi non posse;
nisi ab eo, qui jam est. Qua ipsa ratione usi sunt nonnulli ex nostris Scho-
laisticis, ut ostenderent necesse fuisse, ut prius Adamus crearetur, quam
justitiam & sanctitatem a Deo acciperet.

Resp. Ad intentum S. Cypriani satis esse, quod aliqua prioritate seu
temporis, seu tantum naturæ, creatio Adami præcesserit ejus sanctifica-
tio-

tionem, vel animæ infusionem. Comparatio quippe, qua utitur, duobus modis potest intelligi: primo, ut loquatur non de sanctificatione Adæ, sed de animatione per infusionem animæ rationalis; quo in exemplo, vera est temporis prioritas, & comparatio videtur perfecta. Sicut enim prius tempore corpus Adami conditum fuit, quam spiritum vitæ accepit; ita prius tempore homo per Baptismum renascitur, quam plenitudinem Spiritus Sancti accipiat per Confirmationem. Secundo, ut loquatur de sanctificatione Adami per gratiam, quam ejus creatio præcessit, non prioritate quidem temporis, sed tantum naturæ: qua ex parte, paritas manca est, & imperfecta. Porro S. Doctor vim non facit in ordine temporis, neque ad hoc paritatem instituit; sed tantum ad declarandum ordinem præsuppositionis, seu distinctionis inter actiones, quarum una supponit effectum alterius; sive ordo ille sit temporis, sive naturæ: hoc enim ad causam, quam agebat, nihil conferebat. Ad rationem vero, quam subjicit, facile reponitur, sufficere prioritatem naturæ, quam non negamus: necessariam vero non esse prioritatem temporis.

Objicies 3. S. Augustinum tribus maxime in locis docere, Adamum in primo creationis instanti non recepisse spiritum gratiæ, sed solum spiritum animæ rationalis.

Lib. 13. de Civitate Dei Cap. 24. adductis his S. Pauli verbis 1. Corinth. 15. v. 45. *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritu vivificantem: sed non prius quod spiritale est, sed quod animale: postea quod spiritale,* ait: *Primus homo de terra terrenus, in animam viventem factus est, non in spiritum vivificantem, quod ei per obedientie meritum servabatur.*

Libro 2. de Genesi contra Manichæos Cap. 8. nu. 10. expresse asserit, *T. 1. p. 668. F.* Adamum gratia donatum non fuisse, nisi postquam in paradisum translatus est. *Nondum, inquit, spiritalem hominem debemus intelligere, qui factus est in animam viventem, sed abhuc animalem. Tunc enim spiritualis effectus est, cum in paradyso, hoc est, in beata vita constitutus, præceptum etiam perfectionis accepit, ut verbo Dei consumaretur.*

Dénique Lib. de correptione & gratia Cap. 10. nu. 27. ait: *Deum sic ordinasse Angelorum, & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium. Ergo supponit primum hominem cum solo naturali libero arbitrio conditum statim fuisse; tum deinde gratiam accepisse.*

Resp. ad primum, ex Lib. 13. de Civitate Dei Cap. 24. S. Doctorem *T. 10. p. 765. A.* de gratia sanctificante Adamo concessa nullatenus hic agere; sed de do- tibus seu conditionibus corporis immortalis, & gloriose, quas primus pa- rens in ortu suo non accepit: non enim sic factus ille fuit, quin posset mori, cum revera mortuus fuerit; sed quas merito obedientiæ, post generalem corporum resurrectionem assecuturus erat: tunc enim plane im- passibilia, immortalia, ac gloria futura sunt corpora Sanctorum. *In corpore ergo animali,* ait Sanctus Doctor eo loci, *primum hominem factum, sic Apostolus loquitur, Volens a spiritali, quod in surrectione futurum est, hoc quod nunc est animale, discernere. Antea dixerat: corpus Adami ci- bo & potu egnisse, ne fame afficeretur ac siti, & non immortalitate illa ab- solu-*

soluta atque indissolubili; sed ligno vita a mortis necessitate prohiberetur, atque in juventutis flore teneretur.

Ad 2. loquitur S. Doctor de omnimoda perfectione status innocentiae; non autem de sola justitia seu gratia sanctificante, qua anima Adami ornata statim a creatione fuit. Mens igitur illius est, Adamum in beata vita, hoc est, in omnibus, quibus affluere debebat, corporis, & animae deliciis, prius constitutum non fuisse, quam translatus fuerit in paradisum.

Ad 3. Non spectat eo loco S. Doctor, nudum seu omni dono gratię destitutum Angelorum, & Adami liberum arbitrium, sed eo tantum dono, quod appellat auxilium *Quo*, seu auxilium efficax perseverantiae: ac contendit, Adamo innocentii datum auxilium dumtaxat sufficiens, seu *sine quo*, cum quo perseverare quidem poterat, sed quod ipsam non dabant perseverantiam: homini vero lapso, necessarium esse auxilium *Quo*, seu efficax perseverantiae. Verum de hoc argumento mox occurret amplius dicendi locus.

Objicies 4. Vix intelligi potest, qua ratione homo primus peccaverit, si statim ab ortu suo tam perfectus, tam justus, & innocens conditus fuit.

Resp. facile intelligi hominem, qui liber conditus est ac dominus viarum suarum, a gratia, quam accepit, potuisse peccando excidere. Imo, si gratiam, qua poterat non peccare, & quae necessaria prorsus est ad non peccandum, non accepisset, haud dubie non peccasset. Justitia scilicet originalis; nec fuit in ipso potentia absoluta peccandi, nec impeccantia simpliciter; sed potentia non peccandi ex justitia mutabili, quae peccandi quidem voluntatem, quamdiu stabat, sed non facultatem auferebat. Omnis etenim creatura, cum sit ex nihilo, deficere potest. *Cur*, T. 7. p. 371. G. inquit S. Aug. Lib. 14. de Civ. Dei Cap. 27. non permitteret (Deus) ut ab illo (Angelo malo) primus homo qui rectus, hoc est, bonae voluntatis creatus fuerat, tentaretur? Quandoquidem sic erat institutus, ut si de adjutorio Dei fideret bonus homo, malum Angelum vinceret; si autem creatorum, atque adjutorem Deum superbe sibi placendo desereret, viceretur.

Quares, an sit de fide primum hominem in primo creationis sua instanti, sanctificantem gratiam a Deo habuisse?

Resp. esse quidem de fide, primis parentibus ante lapsum collatam fuisse justitiam originalem; an vero in ipso praecise creationis momento, an paulo post eam acceperint, de fide non esse. Namque, ut ait In Tra-ctatu de Suarez Lib. 3. de hominis creatione, ac statu innocentiae Cap. 17. prius opere sex dierum. est aperte definitum; posterius non ita certum; quia nec satis expresse in Scripturis continetur, nec definitum invenitur.

An Justitia originalis, sanctitas, & immortalitas fuerit homini naturali, vel supernaturali.

Observandum, multis modis aliquid naturale dici posse. 1. quod a nativitate ipsa obtinetur, seu conceditur, 2. quod est naturae consentaneum, quam nempe ornat, & perficit. 3. quod tametsi donum sit gratuitum, naturam tamen juvat, & perficit in operibus naturalibus, neque eam elevat ad ulla opera supernaturalia; quo sensu, justitia originalis, si distincta foret a gratia sanctificante, donum naturale dici posset.

His modis, naturale hic non usurpamus. Verum, naturale illud dicimus, quod vel est pars naturæ, vel fluit ex principiis naturæ, atque debitum est, & secundum naturæ exigentiam; sine quo manca illa foret, & imperfecta: vel quod est rationi, ac æquitati consentaneum, quodque Deus ex justitia, bonitate, sapientia, & providentia, naturæ dengare non potest.

Hoc dupli posteriori sensu, justitiam originalem naturæ Adami primitus ante peccatum conditæ debitam fuisse ac plane naturalem, docent Novatores Lutherani, & Calvinistæ. *Statuamus*, ait Lutherus, *Commentario in 3. cap. Gen. Justitiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra accederet, separatum a natura hominis, sed fuisse vere naturalem, ut natura Adæ esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum. Hæc tam naturalia fuere in Adamo, quam naturale est, quod oculi lumen recipiunt.* Et infra: Porro, inquit, hæc probant, originalem justitiam esse de natura hominis: ea autem per peccatum amissa, non mansisse integra naturalia, ut Scholastici delirant. Calvinus pariter Lib. I. Institut. cap. 13. nulla alia, quam naturalia, in primis parentibus bona videtur agnoscere, non quidem ita dure ac Lutherus, sed sensu in speciem molliori; nempe divinæ justitiae ac bonitati repugnare, primitus hominem creari sine justitia originali ejus naturæ debita. Atque hinc colligunt Novatores 1. hominem per peccatum in donis naturalibus læsum fuisse; libero in primis arbitrio, cuius nonnisi vanum in nobis reliquum est nomen. 2. lucetam illam carnis ac spiritus, quam vel ipsi Sancti experuntur, verum ac proprium esse peccatum. 3. hominem non potuisse talem initio creari, qualis nunc nascitur: quia videlicet semper ac necessario ex ipsa sui institutione peccasset: unde sequeretur, ejus peccata in Deum naturæ auctorem refundenda fuisse.

Ad hanc Novatorum doctrinam accessit Michael Bajus Doct. Lovan. cuius multas propositiones proscripterunt SS. Pontif. Pius V. Greg. XIII. & Urb. VIII. inter quas hæc est 26. *Integritas primæ creationis, non fuit indebita naturæ humanae exaltatio sed naturalis ejus conditio.* 78. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.* Et 79. *Falsa est Doctorum sententia, primum hominum potuisse a Deo creari, & institui sine justitia originali.*

Hac SS. Pontificum censura statim commotus Jansenius, fassus est se harere; at collectis subinde animis, & factus audacior, Baii sententiam impavide defendit.

Omnes Orthodoxi contendunt, originalem justitiam, sanctitatem, & immortalitatem primi hominis, supernaturalem fuisse, non vero naturali, nec ullo titulo debitam. Sit itaque

C O N C L U S I O.

Justitia originalis, sanctitas, & immortalitas primi hominis, supernaturalis fuit, non vero naturalis.

Prob. Quia quod naturæ nec debitum est, nec secundum ejus exigentiam, illud vere supernaturale dicitur; atqui talis fuit justitia originalis: hæc quippe gratiam sanctificantem includebat, quæ naturæ profecto debita non est; alias gratia non esset, sicut arguit Apost. Rom. II. v. 6.

Immortalitas pariter primo homini data, supernaturalis fuit; hoc est, supra naturæ ipsius interna principia, quæ sine dono superaddito, mortem peperissent. Donum illud ex una parte, fuit optima humorum temperies; ex altera, lignum vitæ, cuius virtute reparabatur abunde, quidquid naturalis calor depascebatur; & singularis Dei providentia, quæ omne externum periculum amovebat. Id ita esse aperte significat Scriptura Genes. 3. ubi Deus Adamo post peccatum dicit vers. 19. *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

Amisso scilicet dono immortalitatis, natura sibi permissa morti obnoxia est, cuius in se caussam habet ac nativum principium, compositionem scilicet ex contrariis. Unde Eccles. 40. v. 11. dicitur: *Omnia quæ de terra sunt, in terram convertentur.* Fuit igitur ex singulari Dei privilegio, quod Adamus innocens, perseverante innocentia, liber fuerit a necessitate seu lege moriendi, in quam incidit per peccatum. Atque inde est, ut pro varia ipsius conditione, seu pro vario statu, aut innocentia, aut peccati, immortalis, vel mortalis dicatur. Immortalis, privilegio creatoris; mortalis, constitutione naturæ.

Hanc esse manifestam S. Aug. doctrinam, patet ex Lib. 6. de Gen. ad literam cap. 25. ubi sic loquitur. *Illud (nempe corpus Adami) ante T. 3. p. 1. peccatum, & mortale secundum aliam, & immortale secundum aliam caussam dici p. 210. C. poterat; id est mortale, quia poterat mori; immortale, quia poterat non mori. Aliud est enim non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus: aliud est autem posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis: quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ: a quo ligno separatus est cum peccasset, ut posset mori, qui nisi peccasset posset non mori. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris. Si enim corpus animale, utique mortale, quia & mori poterat Neque enim immortale, quod mori omnino non posset, erit nisi spiritale, quod nobis futurum in resurrectione promittitur.*

Et Lib. 13. de Civit. Dei cap. 20. loquens de immortalitate primorum hominum: *Qui status, inquit, eis de ligno vitæ, quod in medio Paradisi cum arbore vetita simul erat, mirabili Dei gratia præstabatur.* Quod illustrat S. 341. A. Doctor, Lib. 1. de pec. merit. & remiss. cap. 4. comparatione vestimentorum, & calceamentorum Israelitarum, quæ Deo providente per tot annos deterita non fuerunt.

Deinde si immortalitas naturalis foret appendix hominis conditionis, ea per peccatum privatus non fuisset, sicut sua immortalitate privati non fuere propter suam prævaricationem Angeli mali. Quid ita? quia natura sua immortales sunt: naturalia vero post peccatum integra permanserunt.

Denique, si immortalitas, & justitia originalis esset homini ante lapsum debita, sequeretur eum absolute creari a Deo non posse in statu puræ naturæ, hoc est sine peccato & gratia, obnoxium tamen morti, ceterisque miseriis & infirmitatibus, quæ ex natura ipsa consequuntur: atqui paullo ante appellati SS. Pontifices, sententiam hanc damnarunt, ut inferius data opera ostendemus. Inde est, quod vel ipse met Eustius scribens in 2. Lib. Sentent. dist. 19. §. 9. fateatur: *Propositionem*

tionem illam , qua dicitur immortalitatem primi hominis non fuisse gratiae beneficium ; sed naturalem conditionem , merito a Sede Apostolica improbatam fuisse ; maxime si sensus ejus sit , immortalitatem ita esse debitam naturae humanae , ut Deus non potuerit eam creare mortalem . Hoc enim , inquit , constat esse falsissimum .

Dices : Quod est secundum naturae exigentiam , naturale dici debet : atque immortalitas corporis est secundum naturae exigentiam . Namque forma immortalis , qualis est anima rationalis , naturaliter exigit uniri materiae seu corpori immortali : alias , per totam aeternitatem a corpore suo avulsa , in statu violento futura eset : nec consequenter suam asequi posset naturalem beatitudinem .

Resp. nego 1. & 2. minorem propositionem . Ad probationem , nago sequelam . Anima enim in eo statu illud dumtaxat naturaliter appeteret , quod naturaliter consequi posset : cum ergo sui corporis immortalitatem non posset naturaliter asequi , eam non expeteret , nec consequenter foret in statu violento , & omni sua naturali beatitudine privata , si a corpore suo separata & avulsa remaneret . Verum de hoc argumento paullo post fusius dicturi sumus , ubi de possibili statu naturae purae .

Quodnam Gratiae seu auxilii genus datum , & necessarium fuerit Adamo innocentis , ad bene agendum , & perseverandum .

Vel in ipso hujus Tractatus limine , Jansenianæ doctrinæ fundatum , quod distinctione adjutorii quo , & fine quo non , continetur , aggredi nos adgit subjecta de statu naturae innocentis disputatio . Ne vero rerum inferius dicendarum ordo pervertatur , atque ut questionis præsentis status dilucide aperiatur , nonnulla prius sunt observanda .

Observandum I. multiplicem distingui posse gratiam , qua homo potest indigere ad bene agendum & perseverandum . 1. Est habitualis seu sanctificans gratia . 2. conservatio illius . 3. cooperatio Dei cum homine , seu gratia actualis necessaria , ut habitualis in actum erumpat . 4. est singularis Dei motio , seu gratia movens & excitans , quæ voluntatem hominis , vel certissime ad agendum impellit , & dicitur gratia efficax ; vel non certo , nec infallibiliter movet ad agendum , quamquam plenam & perfectam conferat ad opus bonum perficiendum potentiam , & dicitur gratia sufficiens . 5. denique est gratia perseverantiae finalis , quæ vel interna est , seu actuosa illa & efficax gratia , per quam in accepta justitia quis perseverat ; vel externa , &c. ut ita dicam , otiosa , qua finit homo vitam istam , antequam ex bono mutetur in malum , ait S. Aug. T. 10. p. Lib. de corrept. & grat. cap. 9. Illa gratia donantur quotquot nihil tale cogitantes , repentina morte oppressi ex hac vita tum rapiuntur , cum sunt in statu gratiae .

Observandum II. controversiam hic non moveri de triplici primo gratiae auxilio . Apud omnes enim certum , & exploratum est 1. Adamo in primo creationis instanti concessam fuisse gratiam sanctificantem seu habitualem . 2. necesse fuisse , ut Deus gratiam hanc in ipso conservaret .

T. 3. p. 1. Neque enim, ait S. Aug. Lib. 8. de Gen. ad literam cap. 12. n. 25. tale ali-
p. 234. F. quid est homo, ut factus deserente eo qui fecit, possit aliquid agere bene tamquam
ex seipso. 3. necessariam ipsi fuisse gratiam actualem, seu cooperationem
T. 10. p. Dei, ut gratia, nempe habitualis, in actum erumpere posset. Sicut enim,
140. A. E. ait idem S. Aug. Lib. de nat. & gratia c. 26. n. 19. oculus corporis etiam ple-
nissime fanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere; sic & homo etiam per-
fectissime justificatus, nisi aeterna luce justitiae divinitus adjuvetur, recte non po-
test vivere.

Præsens igitur controversia versatur circa auxilium gratiæ efficacis, vel sufficientis, & circa perseverantiam: an nempe Adamus innocens indignerit ad bene agendum, & ad perseverandum in bono, gratia efficaci, seu auxilio quo; vel gratia dumtaxat sufficiente, seu auxilio sine quo.

^{ib. p. 759.} Cui quidem controversia, & distinctione auxilii quo, & sine quo, locum dedit S. Aug. Lib. de corrept. & grat. cap. 12. num. 34. ubi sic loquitur: *Ipsa adjutoria distingenda sunt. Aliud est adjutorium, sine quo ali-
quid non fit; & aliud est adjutorium, quo aliquid fit. Nam sine alimentis non
possumus vivere; nec tamen cum adfuerint alimenta, eis fit ut vivat, qui mori
voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est sine quo non fit, non quo fit ut vivamus.
At vero beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit
beatus. Adjutorium est enim non solum sine quo fit, verum etiam quo fit propter
quod datur. Quapropter hoc adjutorium & quo fit, est, & sine quo non fit: quia
& si data fuerit homini beatitudo, continuo fit beatus; & si data nunquam fuerit,
nunquam erit. Alimenta vero non consequenter faciunt ut homo vivat: sed tamen
sine illis non potest vivere.* Hęc S. August. ex quibus colligit, adjutorium perseverantiae Adamo concessum, adjutorium fuisse sine quo; illud vero, quod Sanctis in regnum Dei prædestinatis modo tribuitur, esse adjutorium quo.

^{Ed. Ror. 1643. T. 2. p. 69. sol. 1. C.} Jansenius Lib. de gratia primi hominis, & Angelorum cap. 57. scribit distinctionem auxilii quo, & sine quo, esse basim ac fundamentum, quo tota Augustini de gratia doctrina substruitur; clavim, qua aditus in scripta ejus aperitur; & sine qua, qui ea molitur ingredi, velut cæcos palpabit in meridie. Esse filum, sine quo e labyrintho scriptorum ejus expedire se ac extricare nemo poterit. Quapropter, ubi fere distinctionem hanc obtrudit; & septuages supra centies, citatam ex Lib. de corrept. & gratia locum includat, ac revocat.

At nemo non suspicabitur, fraudis, & infidarum aliquid latere in eo Jansenii consilio, qui cogitaverit, distinctionem illam auxilii quo & sine quo, semel tantum ab Aug. in fine vitæ, post devictos Pelagianos usurpatam fuisse. Ergone per totos viginti annos, quibus S. Doctor cum Pelagianis congressus est, clavim illam Catholicis celavit, qua aditus in scripta sua aperiendus est? Ergone Christianos carere tamdiu eo filio passus est, sine quo e labyrintho scriptorum suorum extricare se nemo poterat? Quid illis, amabo, factum est, qui fervente cum Pelagianis bello, S. Augustini opera perlegebant? Eos velut cæcos palpante in meridie, nec doctrinæ Augustinianæ caliginem discutere potuisse, fateatur necesse est Jansenius. Atque ex hac una observatione satis intelligi potest, distinctionem adjutorii quo & sine quo, Augustinianæ de gratia doctrinæ basim ac fundamen-
tum.

tum non esse, quomodo existimat Jansenius, qui hac distinctione, duo erroris sui capita stabilire omni arte conatur.

Observandum III. nihil in Jansenio reprehendendum fore, quantum ad præsens institutum, si per famosam distinctionem auxilii *quo & sine quo*, hoc unum contenderet, Adamum scilicet innocentem opus dumtaxat habuisse ad bene agendum & perseverandum, auxilio gratiæ sufficientis, seu *sine quo*; non vero auxilio gratiæ efficacis, seu *quo*. Si intra hos limites ille se continuisset, ab omni centuræ nota liber fuisset. Verum in multis hic maxime aberrat. 1. Quod ex discrimine gratiæ naturæ innocentis, & lapsæ, seu auxilii *quo & sine quo*, inferat, non aliam in præsenti naturæ lapsæ statu dari gratiam, quam efficacem, seu auxilium *quo*; sufficientem vero, quæ sit ab actu perfecto sejuncta plane rejiciendam. 2. Quod doceat per gratiam efficacem induci in homine lapso bene agendi necessitatem antecedentem, ineluctabilem & insuperabilem, eo quod semper conjunctam habeat præviam, & indelibera-
tam, ac relative superiorem delectationem, secundum quam hominem semper agere necesse sit. Quæ duo præcipua sunt totius systematis Janseniani fundamenta. 3. Quod auxilium *sine quo*, seu sufficiens, confundat cum adjutorio possibilis, de quo tandem Catholicos inter ac Pelagianos certatum fuit. Namque certum est, Pelagium nusquam admisisse auxilium possibilis quod daret simpliciter posse agere, sed tantum illud, quod necessarium dicebat ad facilius operandum. S. vero Aug. loquens de Pelagio, adjutorium possibilis, seu auxilium *sine quo & sufficiens*, illud intelligebat, quod erat necessarium, non tantum ad facilius, sed ad bene agendum simpliciter, & absolute. *Vult inrelinqui*, ait S. Aug. Lib. de Grat. Christi cap. 28. *ad hoc esse auxilium, ut facilius fiat per gratiam, quod etsi minus facile, tamen putat fieri præter gratiam*. 4. Ex eodem discrimine gratiæ utriusque status colligit Jansenius Lib. citato cap. 16. gratiam, & perseverantiam ita in libero Adami innocentis arbitrio positas fuisse, ut nec merita, nec perseverantia, fuerint in statu naturæ innocentis specialia Dei dona: quæ doctrina, ea ipsa videtur esse, quæ in Bajo proscripta fuit, cuius hæc est prima Proposito: *Nec Angeli, nec primi hominis abhuc integri merita, recte vocantur gratia*. Tertia vero Propositio hæc est: *Et bonis Angelis, & primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, non gratia*.

Hæc porro omnia Janseniani dogmatis consecutaria fusius hic non prosequimur, de quibus suis erit in decursu hujus Tractatus aptior dicendi locus. In una jam hæremus distinctioni adjutorii utriusque status, sepositis impræsentiarum, quos inde Jansenius colligit, erroribus.

Unum obiter observa, duobus scilicet modis sumi posse adjutorium *quo* aliquid sit: nimirum, pro causa efficiente, vel pro formali. Fingit Jansenius, S. Aug. primo sensu illud sumpsisse; adeoque contendit, eum agere de actuali gratia, quam Deus Sanctis impertitur ad suscipiendam perseverandi voluntatem, vel potius qua ipsam perseverandi voluntatem certo & efficaciter in eis operatur. Bene multi econtra Theologi existimant S. Doctorem secundo sensu illud sumpsisse; pro ipsa nimirum perseverantia formali, qua nempe homo formaliter fit perseverans: quemadmodum per beatitudinem, formaliter

T. 4. p. 1666. F. fit beatus. Quo exemplo ipsemet utitur S. Aug. citato cap. 12. Lib. de corrept. & gratia: vel, ut alibi loquitur in Psalm. 147. num. 22. sicut *calidus calore calescit, frigidus frigore frigescit, velox velocitate velox fit.* Quæ omnia, de causa formalis longe melius, quam de efficiente intelliguntur. Quo sensu, per perseverantiam fit aliquis formaliter perseverans.

Observandum denique, circa propositam quæstionem tres maxime circumferri Theologorum opiniones.

Sententia Thomistorum. Prima est Thomistarum, qui cum præmotionis physicæ necessitatem repetant ex naturali subordinatione & dependentia causæ secundæ a prima, consequenter arbitrantur, in statu naturæ innocentis necessariam fuisse gratiam physicæ promoventem; totumque discrimen gratiæ utriusque status in eo collocant, quod in præsenti naturæ lapsæ statu, duplice titulo necessaria sit gratia præmovens, nempe titulo dependentiæ, & corruptionis: in statu vero naturæ innocentis, titulo dumtaxat dependentiæ necessaria fuerit.

Quid de prædeterminatio physica sentiat. Jansenius, qui Thomistarum larvam, ut simplices fallat, sepius induit, hanc Thomistarum sententiam sugillat Lib. 8. de gratia Christi cap. 2. *Prædeterminatio physica*, inquit, *necessaria statuitur omnibus agentibus ex via causæ secundæ, quæ essentialiter tam in operari, quam in esse suo subordinatur primæ, a qua ad agendum præmoveri debet.* Addit paullo post: *Prædeterminatio physica in agentibus liberis insuper exigitur, propter naturalem indifferenciam voluntatis, quam, ut aliquid agere possit, prædeterminare debet.* Quid porro de ejusmodi opinione sentiat: subjungit in hęc verba: *Qui medicinalem Christi Salvatoris gratiam sic defendere conantur, ut eam in talem prædeterminationem physicam transforment, magis profecto Aristotelici, quam Augustinianorum sunt.* Nam talis prædeterminatio sic asserta, non solum nullo testimonio ejus probari potest, sed potius universam doctrinam ejus innumeris locis traditam inexplicabili confusione perturbat. Tollit enim differentiam integræ, lаsque voluntatis: tollit necessitatem duplicitis adjutorii quo, & sine quo non, cum quorum altero Adamus velle, stareque potuit, & Angeli re ipsa voluerunt steteruntque: lapsi homines velle, aut stare non possunt. Tollit obscuratque veram radicem necessitatis gratiæ medicinalis; nec sinit intelligere veram naturam ejus, dum æqualiter statuit illam prædeterminationem omnibus necessariam. Denique cogitur inferre non exiguum vim Scripturis Sacris, quæ singularem Dei gratiam actus nostros bonos operantem prædicant. Ita Jansenius de sententia Thomistarum, quorum tamen nomine, & patrocinio gloriatur.

Secunda opinio eorum est, qui, rejecta physica Thomistarum præmotione, sentiunt Adamo, & Angelis in ortu suo datum, ac necessarium fuisse auxilium quo, seu gratiam efficacem ad primum illum amoris Dei actum eliciendum, in quo boni creati sunt; ad subsequentes vero bonos actus, & ipsammet in bono perseverantiam, ajunt Angelis quidem bonis concessum auxilium quo seu efficax, non autem Adamo, qui re ipsa non perseveraverit, sed perseverare potuisset, si voluisset, cum auxilio gratiæ sufficientis, seu sine quo. Totum ergo discrimen gratiæ utriusque status in eo reponunt illi Theologi, quod nimis gratia innocentis naturæ solam includeret mentis illustrationem; gratia vero naturæ lapsæ, præter illam illustrationem mentis exigat præviā voluntatis excitationem, ac motionem, qua sana voluntas originali gratia instruta non indigebat.

Ter-

Tertia denique opinio eorum est, qui Adamo & Angelis solum auxiliū ^{3. Sententia.} sine quo non, seu gratiam sufficientem versatilem datam ac necessariam fuisse arbitrantur. In assignanda vero ratione discriminis utriusque naturae status innocentis, & lapsæ, non omnino consentiunt. Jan-senius cum suis discrimen illud in eo reponit, quod in praesenti statu non aliud detur auxilium gratiae, quam efficax, seu quo: in statu vero innocentiae, non aliud fuerit, quam sufficiens ac versatile libero arbitrio permisum. Alii vero sentiunt, in praesenti statu utrumque auxilii genus sufficiens & efficax dari, ac necessarium esse: diversi autem sunt inter se circa naturam auxillii sufficientis; quod datum est naturae innocentis. Alii putant, auxilium illud in sola mentis illustratione positum fuisse: alii vero, in illustratione mentis simul, & motione voluntatis. His positis sit

C O N C L U S I O.

Adamus innocens opus non habuit ad bene agendum, & perseverandum, aut gratia physice premovente, aut adjutorio quo seu efficaci; sed cum adjutorio sine quo, seu sufficienti, perseverare in bono potuisset, si voluisset.

Probatur prima pars, non iis tantum communibus argumentis, quibus Philosophi & Theologi bene multi, physicam præmotionem generatim impugnant velut inutilem, creatæ libertati noxiā, sanctitati divinæ parum consentaneam &c. verum, propriis, & praesenti nostro instituto accommodatis ex doctrina S. Aug. momentis.

1. Si natura innocens opus habuit gratia physice premovente, ad bene agendum, & perseverandum, ruit funditus discrimen, quod Sanctus Augustinus statuit esse inter gratiam nature lapsæ & innocentis, par enim & equalis omnino fuit in utroque statu physicæ præmotionis necessitas.

Antec. ostenditur. Quia in mente, & doctrina Thomistarum, physica prædeterminatio ejus naturæ est, ut ea supposita, certo creature sequatur actio; ea vero non supposita, non sequatur. At in mente S. Aug. natura innocens opus non habuit eo adjutorio, quo posito, actio certissime poneretur, non posito, non poneretur: sed eo dumtaxat indiguit adjutorio, sine quo bona fieri non poterat actio. Primo homini, ait S. Doctor Lib. de corrept. & grat. cap. 12. n. 34. datum est adjutorium perseverare non posset. ^{T. 10. p. 769. B.C.}

2. Stante præmotione physica, & in sensu illius composito, liberum non est creatæ voluntati eam rejicere, sed voluntas semper, & invicte facit id, ad quod physice premovet: ait, S. Aug. teste, adjutorium Adæ & Angelorum ejusmodi non fuit; utpote quod eorum libero reliquum fuerit arbitrio, ac cum illo re ipsa perseveraverint boni Angeli, Adamus vero non perseveraverit. Nec ipsum (hominem) ait S. Aug. cit. ib. p. 767. Lib. cap. 11. n. 31. Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio.

3. Physica prædeterminatio nusquam a creatæ voluntate deseritur; quin potius ipsa efficit, ut nusquam a voluntate deseratur: at tale profecto

Ibid. D. non fuit adjutorium Adami innocentis. Quod adjutorium, ait S. Aug. Cap. 11. mox citato, si homo ille per liberum non deservisset arbitrium, semper esset bonus, sed deseruit, & desertus est. Tale quippe erat adjutorium, quod desereret, cum vellet, & in quo permaneret, si vellet; non quo fieret, ut vellet.

4. Si Adamo innocentii ad bene agendum, & perseverandum necessaria fuisset physica præmotio, a culpa merito potuisset excusari, quod nec bene egerit, nec perseveraverit: quia nempe absque ullo suo præcedente vitio caruisset eo auxilio, quod plane necessarium supponitur, ut quis bene agat, & perseveret. Dicant enim adversarii, quid causæ fuerit, cur Deus Adamo innocentii, & ante omne ipsius peccatum, tale auxilium subtraxerit? Cum Adamum prius deseruerit per subtractiōnem hujus auxilii, quam ab ipso per peccatum desertus fuerit? Hoc ipsum est S. Aug. ratiocinium; Lib. citato, Cap. 11. n. 32. *Si*, inquit, *hoc adjutorium vel Angelo, vel homini cum primum facti sunt, defuisse;* *quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere, si vellet, non utique sua culpa cecidissent: adjutorium quippe defuisse, sine quo manere non possent.*

Frustra reponeres, S. Aug. hic loqui de auxilio *sine quo non*, seu sufficiēte, quod si Adamo denegatum fuisset, non utique sua culpa cecidisset; non vero de auxilio *quo*, seu efficaci, quo etiam denegato, adhuc homo reus est peccati, quia sufficiens habet adjutorium, cum quo potest agere. Namque 1. auxilium gratiæ efficax non denegatur a Deo, nisi in pœnam præcedentis peccati: quomodo igitur Adamus innocens, ante quodlibet peccatum eo auxilio privatus est? Quomodo desertus a Deo, antequam ipsum deseruerit? 2. Gratia sufficiens, in principiis Thomistarum, nunquam in actum erumpit nisi accidente physica præmotione: ad quid igitur Adamo innocentii utilis esse potuisset gratia illa sufficiens, per quam absolute quidem bene operari poterat, sed quæ præmovente Dei auxilio destituta, & quidem absque ullo prævio hominis demerito, nusquam actum secundum assūtura erat?

5. Necessitatem auxilii quo creata voluntas ad bonum infallibiliter inclinatur, unice repetit S. Aug. ex infirmitate & corruptione naturæ lapsæ: non ergo ex necessitate physiciæ promotionis. *Ut ergo*, ait S. Doctor, Capit. 12. n. 37. Lib. de corrept. & grat. non acciperet *hoc donum Dei*, id est, in bono perseverantium primus homo; sed perseverare vel non perseverare in ejus relinqueretur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex se ipso concupiscentialiter resistebat, ut digno tantæ bonitati, & tantæ bene vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium Nunc vero posteaquam est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam donis adjuvanda remansit infirmitas.

Ibid. p. 771. F. Secunda pars conclusionis, nempe adjutorium *quo*, seu efficacem gratiam Adamo innocentii necessariam non fuisse, nec ipsi a Deo concessam.

Probatur 1. argumentis mox expositis, quæ non minus efficacem simpliciter gratiam, quam physice præmoventem excludunt a statu naturæ integræ, & innocentis.

2. S. Aug.

2. S. Aug. Lib. citato de Corrept. & grat. Cap. 12. num. 34. postquam, verbis antea citatis; exposuit distinctionem adjutorii *quo*, & *sine quo non*; ac exemplis alimentorum, & beatitudinis eam illustravit, sic pergit: *Primo itaque homini qui in eo bono quo, factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adjutorium perseverantie, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non tale adjutorium perseverantium datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur: non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint.* Cujus quidem discriminis caussam, & rationem colligit ex diversa naturæ integræ, vel lapsæ conditione, sicut n. 5. mox retulimus.

Et Cap. 11. ejusdem L. jam scripserat: *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Imo vero habuit magnam, sed disparem . . . Ille opus non habebat eo adjutorio, quod implorant justi, cum dicunt: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ . . . Istim gratiam non habuit homo primus, qua nunquam vellet esse malus, sed sane habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset; & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset. Et infra: Dederat adjutorium, sine quo non posset permanere si vellet, (in ea scilicet bona voluntate in qua creatus est) ut autem vellet, in ejus reliquit arbitrio . . . sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa est, cuius meritum fuisse, si permanere voluisse: sicut fecerunt Angeli Sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi.*

Dixerat etiam cap. 10. n. 27. *Saluberrime confitemur, quod rectissime credimus, Deum . . . sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset & gratia suæ beneficium, iustitiaque judicium.* Cum ait S. Doctor, Deum ^{A.} voluisse primum ostendere quid posset hominis, & Angeli liberum arbitrium, omnem ab eis non excludit gratiam, sed eam dumtaxat efficacem ac robustam, qua indiget homo lapsus.

Denique Lib. de dono persev. Cap. 17. n. 13. de gratia, qua perseveratur, ait: *Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt, fuerant in homine antequam caderet.*

Ex his omnibus, luce meridiana clarius efficitur amplum illud discrimen, quod S. Aug. statuit esse inter adjutorium gratiæ naturæ lapsæ, & adjutorium naturæ sanæ & integræ, in eo unice reponi, quod innocentia & integræ naturæ datum solummodo fuerit adjutorium *sine quo non*, seu gratia sufficiens & possibilitatis; quia ea sola indigebat, cum suas integras vires haberet ex iustitia originali. Econtra vero, natura per peccatum vitiata ac multum depressa, uberiori jam opus habet auxilio, seu adjutorio *quo*, & gratia efficaci, per quam non tantum possit bene agere & perseverare si velit, sed etiam, per quam velit re ipsa bene agere, ac perseverare.

3. Necessitatem adjutorii *quo* seu gratiæ efficacis in praesenti statu, repetit S. Aug. ex noxia concupiscentia; ex corruptione, & infirmitate naturæ per peccatum vitiata; ex prævia & indeliberata, qua indiget, ut ad bonum

*Ibid. p.
756. B.*

C.

*Ibid. p.
767. C.*

Ibid. F.

*Ibid. p.
768. A.*

*Ibid. p.
818. C.*

num certo inclinetur, motione, delectatione, ac suavitate gratiae victricis. Atqui ejusmodi causae & rationes, locum non habuere in statu naturae innocentis & integræ. Quapropter gratiam sanitatis nusquam S. Aug. appellat nomine delectationis, voluptatis, præviae suavitatis aut motionis & excitationis victricis, quemadmodum gratiam medicinalem sèpius appellat. Imo Lib. de nat. & grat. cap. 48. ait, eam fuisse tamquam lumen sanis oculis, quo adjuti videant. In mente igitur S. Doctoris, gratia innocentis naturæ solam includebat mentis illustrationem; cui, pro præfenti statu, semper opponit gratiam voluntatis.

Ibid. p. 150. G. Antec. patet ex S. Aug. citato jam toties Lib. de corrept. & grat. 766.C. D. cap. 21. *Adamus, inquit, non opus habebat eo adjutorio, quod implorant justi, cum dicunt: Video aliam legem &c.* Rationem subjicit: *Quoniam, inquit, in eis caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem; atque in tali certamine laborantes ac periclitantes, dari sibi pugnandi vincendique virtutem per Christi gratiam poscunt. Ille vero nulla tali rixa de se ipso adversus se ipsum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur.* Et Serm. T. 5. p. 41. alias 29. ex hom. 50. num. 3. quærens quomodo te a te liberat Deus? 210. E. respondet: *Dando tibi vires pugnandi adversus concupiscentias tuas, inspirando virtutem, dando menti tuae cælestem delectationem.* Et Lib. de continentia c. 3. T. 6. p. 301. C. *Contra suavitatem noxiam, inquit, qua vincebat concupiscentia, Dominus dat suavitatem beneficam.* Denique Lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 19. num. 32. de gratia medicinali verba faciens, tum mentis illustrationem, tum voluntatis suavitatem, ac delectationem in ea includi affirmat. *In-* 57. A. *telligamus, inquit, si possumus, Dominum Deum bonum, ideo etiam sanctis suis alicuius operis justi aliquando non tribuere vel certam scientiam, vel victri- cem delectationem, ut cognoscant non a seipso, sed ab illo sibi esse lucem, qua illuminentur tenebrae eorum, & suavitatem, qua det fructum terra eorum.*

Ibid. p. 152. A. Confirmatur ex eo, quod Pelagio affirmanti, ipsam non peccandi possi- bilitatem, non tam in arbitrii potestate, quam in naturæ necessitate esse, respon- *Ibid. C.* det S. August. Lib. de natura, & gratia cap. 51. num. 59. *Si iste, qui bunc Librum scripsit, de illa hominis natura loqueretur, quæ primo inculpata,* *Ibid. p. 151. D.* *& sana condita est, utcumque acceptaretur hoc dictum.* Quod etiam paullo ante cap. 49. familiari comparatione explicuerat. Nam inculcanti Pela- gio, non peccandi possibilitatem, velimus, nolimus, insitam esse naturæ; in hæc verba responderat: *De homine sanis pedibus tolerabiliter dici potest, velit, nolit, habet ambulandi possibilitatem: Confractis vero, & si velit, non habet. Vitiata est natura, de qua loquitur.* Observa istas particulas immi- nuentes: *utcumque, tolerabiliter;* quibus utitur S. Aug. His quippe innuit, hanc Pelagii possibilitatem non peccandi, admetti nequidem posse in natura innocentie sine gratia. In mente igitur S. Augustini, natura sa- na, & integra eam habebat non peccandi possibilitatem, quam Pelagi agnoscebat in natura lapsa, & per peccatum vitiata: at possibili- tas illa non peccandi, quam admittebat Pelagius, solam includebat mentis illustrationem, seu revelationem Spiritus Sancti, nullam vero voluntatis motionem, & præviam excitationem: aut saltem nomine possibilitatis putabat S. Doctor, eam a Pelagio intelligi, quam Catho- lici fatebantur, quæ nempe gratiam habitualem includeret. Existimabat igitur S. Aug. Adamum innocentem habuisse dumtaxat gratiam possi- bili-

bilitatis, seu adjutorium *sine quo non* poterat bene agere & perseverare: non autem gratiam actionis, seu auxilium *quo certo*, & infallibiliter bene ageret, & perseveraret.

Ergo, inquires, Pelagianum dogma, ad statum innocentiae traducimus?

Fatemur, illam Pelagiani dogmatis partem, qua motionem voluntatis, seu delectationem cælestem præviam, & indeliberatam ad bene a-gendum necessariam esse pernabant, in natura integra locum habuissé: verum in tribus maxime hic distat nostra sententia, ab errore Pelagianorum. Primo, contendimus necessariam fuisse Adamo ad bene a-gendum, habitualem gratiam, quam naturalis ejus possilitas comple-
tæbatur, sicut vel ipse agnoscit, ac demonstrat Jansenius Lib. de gra-tia primi hominis cap. 9. At vero Pelagiani funditus istud inficiabantur, ut idem Jansenius ostendit L. 2. de hæresi Pelagiana cap. 7. Secun-dæ, affirmamus non potuisse Adamum bene agere, saltem sine vero, & interno adjutorio cognitionis: Pelagiani vero, et si adjutorium illud ad facilius operandum concederet, negabant tamen absolute necessaritatem esse: ut constat ex S. Augustino, Lib. de gratia Christi, cap. 40. & 41. Tertio, volebant Pelagiani, propter merita naturæ, gratiam interioris illustrationis concedi: nos vero gratiam plane gratuitam esse, nullisque nostris meritis debitam fatemur.

Totum igitur discrimen gratiæ naturæ innocentis, & lapsæ spectat 1. perseverantium, quæ jam donum est singulare, quo fit, ut quis in bono finaliter perseveret, atque ex hac vita rapiatur, cum est in sta-tu gratiæ: in statu vero innocentis naturæ, libero Angelorum, & ho-minis arbitrio relicta fuerit. Hinc existimant bene multi, Sanctum Au-gustinum in Lib. de Corrept. & Gratia cap. 11. & 12. de solo illo dono perseverantiæ, qua quis formaliter perseverat, non autem de gratia actuali interiori ad singulos actus bonos necessaria, intelligendum esse; quam controversiam suo loco agitabimus. Spectat 2. adju-torium quo, quod quidem in præsenti statu necessarium est præter auxilium sine quo non; in statu vero naturæ innocentis necessarium non fuit, cui satis erat auxilium sine quo non.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. auctoritatem S. Aug. Lib. 12. de Civit. Dei cap. 9. ubi manifeste docet omnes Angelos in bona voluntate, seu amore casto conditos a Deo fuisse: bonos in eo perseverasse, ampliori auxilio gratiæ adjutos; malos vero ab eo defecisse, quia minorem acceperunt di-vini amoris gratiam.

Istam (bonam voluntatem) inquit, quis fecerat, nisi ille, qui eos cum bo-na voluntate, idest, cum amore casto, quo illi adhærerent, creavit, simul eis scilicet A. & condens naturam, & largiens gratiam? Unde sine bona voluntate, hoc est, Dei amore, nunquam Sanctos Angelos fuisse, credendum est. Ipsi autem, qui cum boni creati sunt, tamen mali sunt, mala propria voluntate... aut minorem acce-perunt amoris divini gratiam, quam illi, qui in eadem persistierunt, aut si utri-que boni æqualiter creati sunt.... ipsis mala voluntate cadentibus, illi amplius adju-

adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, per venerunt: sicuti jam etiam in Libro, quem sequitur iste... tractavimus. Hoc est in Lib. 11. de Civ. Dei cap. 13. ubi dixerat: Restat, ut aut imparies fuerint, aut, si pares fuerunt, post istorum ruinam illis certa scientia suæ semperitæ felicitatis accesserit. Audis asserentem S. Doctorem, Angelos, qui propria voluntate mali facti sunt, vel minorem divini amoris gratiam accepisse; vel bonos ampliori auxilio adjutos fuisse. Amplius autem illud adjutorium, est donum singulare perseverantiae, quod ab Augustino Lib. de Correptione, & Gratia cap. 12. dicitur *adjutorium quo*. In mente igitur hujus Sancti Doctoris, boni Angeli acceperunt amplius, præ malis, gratiae adjutorium, quo re ipsa in amore casto perseverarunt.

Resp. nego ant. Amplius quippe illud adjutorium, quod acceperunt Angelii boni, non fuit adjutorium viæ, seu ad perseverandum concessum, sed adjutorium patriæ, & termini; ipsa scilicet plenitudo beatitudinis, seu certa scientia, quo cognoverunt se nusquam a beatitudine casuros: quæ quidem perpetuae beatitudinis certitudo, ac securitas, ipsis a Deo concessa fuit, in præmium suæ in bono perseverantiae. Hanc esse S. Doctoris mentem, aperte declarant vel ista ipsius verba citata: *illi amplius adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, per venerunt.*

Quæ quidem S. Doctoris sententia, ut penitus introspiciatur, altius repetenda est. Scilicet Lib. 11. de Genes. ad Literam cap. 17. & sequentibus, quæstionem istam moverat S. Aug. an boni Angeli præscii fuerint æternæ suæ beatitudinis; & mali, sui casus, ac futuræ damnationis. Ratio dubitandi hæc erat, quod omnes beati pariter conditi fuerunt: stare autem & conciliari non potest illa beatitudo, vel cum scientia futuræ damnationis, vel cum anxietate felicitatis aeternum duraturæ. Hanc vero quæstionem, citato in Libro non solvit, sed in suspense reliquit, quam rursus agitat Lib. 11. de Civ. Dei cap. 13. ubi anceps adhuc, & dubius ait: *Aut imparies fuisse in donis gratiae Angelos; aut si pares fuerunt, post malorum ruinam, bonis certum scientiam suæ semperitæ felicitatis accessisse.*

Demum, lib. de Correptione & Gratia cap. 20. eamdem quæstionem revocans, & affirmate dissolvens, docet 1. Angelos bonos nunc certos esse se perpetuo beatos fore. 2. malos Angelos ignorasse se in miseriæ casuros, antequam re ipsa caderent. 3. Angelos bonos certiores factos fuisse de sua æterna beatitudine, in præmium suæ in bono perseverantiae; atque tum primum complete ac plene beatos fuisse, eum antea plenitatem beatitudinis non magis habuerint, quam ipsi met malii. *Angeli quidam*, ait S. Doctor Lib. de Corrept. & Gratia cap. 10. num. 27. *quorum princeps est qui dicitur diabolus*, per liberum arbitrium a Domino Deo refugæ facti sunt... Ceteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt, eamque de suo casu nunquam futuro certissimam scire ibid. D. meruerunt. Et postea: *Diabolus vero, & Angeli ejus, eti beati erant antequam caderent, & se in miseriæ casuros esse nesciebant, erat tamen quod eorum adhuc adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stessent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem, tamquam præmium ipsius per-*

T. 10. p.
765. B.

mala

mansionis acciperent, id est, ut magna per Spiritum sanctam data abundantia charitatis Dei, cadere ulterius omnino non possent, & hoc de se certissime noscent. Hanc plenitudinem beatitudinis non habebant: sed quia nesciebant suam futuram miseriam, minore quidem, sed tamen beatitudine sine ullo vitio fruebantur. Nam si suum casum futurum noscent aeternumque supplicium, beati utique esse non possent, quos hujus tanti mali metus jam tunc miseros esse compelleret. Sic & hominem fecit cum libero arbitrio, & quamvis sui futuri casus ignarum, tamen ideo beatum, quia & non mori, & miserum non fieri in sua potestate esse sentiebat. Hec S. Augustinus, ex quibus liquido intelligitur, in Libris de Civitate Dei 11. cap. 13. & 12. cap. 9. eum loqui de ampliori adjutorio, non quod daret ipsam perseverantiam, sed quod esset perseverantiae merces, ac præmium; seu de adjutorio termini, & patriæ, non de adjutorio viæ, ac certaminis: tale vero adjutorium patriæ, fuit plena securitas ac certitudo beatitudinis aeternum possiden-dæ. Id ita esse, patet vel ex eo maxime, quod locis citatis ex cap. 13. Libri undecimi, & ex c. 9. Libri duodecimi de Civitate Dei, asserat omnes Angelos æqualiter beatos conditos fuisse; atque amplius illud bonorum Angelorum adjutorium, ipsis, non nisi post maloram ruinam, concessum esse. Sed tale adjutorium, patriæ fuit, non viæ: tum quia, si viæ fuisset, falso supponeret Aug. omnes Angelos æqualiter beatos conditos fuisse, quandoquidem, qui perseverarunt, ampliori auxilio adjuti perseverantiam accepissent in adversa sententia: tum quia, eodem instanti mali Angeli a gratia, in qua creati fuerant, per liberum arbitrium exciderunt, ac damnati sunt, quo boni in accepta gratia per liberum arbitrium perseverantes, pervenerunt ad illud amplius adjutorium, hoc est, ad beatitudinem, per quam certi facti sunt se nusquam ea privandos fore. At adjutorium, quod datur post bonorum Angelorum perseverantiam in bono, & ruinam malorum, non est adjutorium perseverantie seu viæ, sed patriæ, & termini; quod, ut dictum est sapientis, consistit in ea plena securitate ac certa scientia, qua boni Angeli se nunquam a beatitudine casuros esse cognoverunt; de qua una quæstionem moverat S. Aug. in libris citatis de Gen. ad Literam, & de Civitate Dei.

Instabis 1. Si hoc adjutorium, quo beati Angeli dicuntur adjuti in mente S. Aug. esset ipsa beatitudo, sensus S. Doctoris redderetur ineptus: scilicet Angelis collatam esse beatitudinem, qua ad beatitudinem pervenirent. Hec quippe verba: *amplius adjuti pervenerunt*, satis indicant loqui S. Doctorem de adjutorio, quo adjuti sunt ad perseverandum; non vero de cognitione futura beatitudinis aeternæ, quam accipere postquam pervenerunt: alias non dixisset; *amplius adjuti pervenerunt*, sed potius: *postquam pervenerunt, amplius adjuti sunt*.

Adde S. Doctorem toto hoc capite disputare de causa efficiente bonæ, melioris, & perseverantis voluntatis in rationali creatura, maxime in Angelis, quam causam concludit esse Deum: ergo loquitur de adjutorio dato ad perseverandum, non autem de adjutorio dato post perseverantium.

Resp. ad 1. Nego ineptum esse verborum S. Aug. sensum; neque vero ille est, quem fingit Estius, quasi beatitudine adjuti Angeli, ad beati-

In pri-mum
dis. 41.
para. 15.

tudinem pervenissent ; esset enim identica , ut dicunt , propositio : at sensus est , ipsa beatitudine tamquam ampliori auxilio adjuti boni Angeli pervenerunt ad certam scientiam aeternae suae felicitatis , de qua una disputaverat S. Doctor in citatis Libris de Genesi ad Literam , & de Civitate Dei .

Ad 2. Negandum est S. Aug. loqui de ampliori adjutorio , quod fuerit causa efficiens perseverantiae bonorum Angelorum : hanc enim perseverantiam ad eorum refert liberum arbitrium divina gratia instructum . Loquitur ergo de causa formalis perseverantiae , seu de ipsa perseverantia , qua quis fit formaliter perseverans ; quemadmodum ipsa beatitudine fit formaliter beatus ; atque contendit perseverantiam , qua quis in praesenti naturae lapsa statu fit perseverans , esse donum Dei singulare , quo nempe sic hominis vitam Deus dirigit , ac disponit , ut homo opportune eam finiat , quando gratia sanctificante instructus est ; in statu vero naturae innocentis , perseverantiam relictam fuisse libero Angelorum , & Adami arbitrio .

Instabis 2. adjutorium , quo pervenitur ad terminum , est adjutorium viæ ; atqui adjutorio , quo Angeli boni amplius adjuti sunt , pervenerunt ad terminum ; ergo fuit adjutorium viæ seu perseverantiae .

Resp. Distinguo maj. Adjutorium quo pervenitur ad terminum , hoc est simpliciter ad beatitudinem , est adjutorium viæ , concedo : quo pervenitur dumtaxat ad certam scientiam beatitudinis aeternum possidenda , nego . Disting. min. adjutorio quo boni Angeli amplius adjuti sunt , pervenerunt ad certam illam cognitionem , qua securi facti sunt se aeterni beatos fore , concedo : pervenerunt simpliciter ad beatitudinem , nego .

Instabis 3. Securitas nusquam excidendi a beatitudine , est formaliter ipsam beatitudinem : neque enim ille vere beatus esse potest , quem metus amittenda beatitudinis miserum reddit , & excruciat , teste S. August. L. de Corrept. & Gratia cap. 10. Ergo eo ipso , quo boni Angeli perseverando ad beatitudinem pervenerunt , etiam pervenerunt ad illam securitatem felicitatis nunquam finienda , adeoque auxilium , quo dicuntur amplius adjuti pervenisse , non potest esse beatitudo , sed ipsummet perseverantiam donum prorsus singulare .

Resp. nego ant. Formalis enim beatitudo in visione Dei intuitiva & amore consistit ; cui tamquam effectus consequens , annexa est plena illa securitas , ac certitudo nusquam excidendi a beatitudine .

Instabis 4. Securitas seu certa scientia aeternae felicitatis , in mente S. Aug. est plenitudo beatitudinis ; atqui amplius illud adjutorium , quo boni Angeli adjuti pervenerunt ad illam beatitudinis plenitudinem , est perseverantia : ergo perseverantia est adjutorium illud amplius , quo boni Angeli pervenerunt ad securitatem , seu certam scientiam felicitatis aeternæ .

Resp. nego min. Perseverando quidem , Angeli boni pervenerunt ad plenitudinem beatitudinis ; at perseverantia non fuit donum illud maius , quo Lib. de Civitate Dei 12. cap. 9. S. Aug. ait bonos Angelos adjutos fuisse : perseverantiam enim illam non fuisse tunc donum singulare , quale jam est , sed libero Angelorum & Adami arbitrio permisum , diserte affirmat . Quamquam igitur in premium suae perseverantiae boni Angeli pervenerint ad illam certam scientiam beatitudinis aeternæ .

num permanens, perseverantia tamen non fuit in illis donum singulare, neque etiam fuit amplius illud adjutorium, quo adjuti ad illam scientiam pervenerunt; sed adjutorium illud, ex dictis, fuit ipsamet beatitudo formalis, seu Dei aperta fruitio.

Instabis 5. Adjutorium, quo boni Angeli amplius adjuti ad beatitudinis plenitudinem pervenerunt, est in doctrina S. Aug. citato Lib. de Corrept. & Gratia cap. 10. *abundantia charitatis data per Spiritum Sanctum*: sed abundantia illa charitatis est ipsummet perseverantia adjutorium: ergo &c.

Resp. nego min. Abundantia enim illa charitatis est ipsamet beatitudo, quae est consummata, ac perfecta charitas, qua beati in Cælis perfunduntur, ubi Deus sine fine videtur, sine fastidio amatur, sine fatigacione laudatur.

Instabis 6. S. August. Lib. 12. de Civitate Dei cap. 9. docet, Angelos bonos accepisse a Deo gratiam, quæ efficeret velle: gratia porro illa fuit adjutorium quo.

Antecedens patet; quia docet, Angelos accepisse a Deo bonam voluntatem, & conditos in amore casto. *Istam*, inquit, *qui fecerat, nisi ille qui eos cum bona voluntate, idest, cum amore casto, quo illi adhærerent, creavit, simul eis & condens naturam & largiens gratiam?* Et antea . . . *profecto & bonam voluntatem, qua meliores essent, nisi operante adjutorio Creatoris habere non possent.*

Resp. distinguo ant. S. Aug. docet, Angelos bonos accepisse a Deo gratiam, quæ efficeret ipsum velle, idest, sine qua non potuissent illi bene velle, aut agere, concedo: idest, quæ certo & infallibiliter dederit & velle, & agere, nego. Duas citato in loco S. Doctor opiniones proponit; quarum altera, Angelos amore casto nunquam caruisse; altera, sine eo aliquamdiu illos fuisse, contendebat. Tum ex utraque illud certum colligit, ac demonstrat, voluntatem scilicet bonam, nonnisi a Deo esse; neque enim Angeli ex propriis suæ naturæ viribus Deum amore illo casto dilexerunt, sed ex gratia naturæ superaddita. Qualis vero fuerit illa gratia, an efficax, an sufficiens, ibi non expendit S. Doctor, ratus sibi esse, si demonstrasset necessariam fuisse charitatem in Angelis diffusam, per quam Deum amore casto diligere possent. Perinde autem nobis est, si nomine bona voluntatis, intelligatur aut ipsamet bona volitio, seu voluntas in actu secundo gratia actuali adjuta, aut voluntas habitualis, seu in actu primo, instructa scilicet gratia sanctificante: utraque enim gratia & Angeli, & Adamus opus habuere. Modo tamen observes, gratiam illam actualem necessariam, non fuisse auxilium quo, seu efficax, quod certo, & infallibiliter daret velle, & agere; sed fuisse dumtaxat auxilium sine quo non, seu sufficiens, sine quo non potuissent sive Angeli, sive primus homo, bene agere, & cum quo poterant.

Instabis 7. Idem S. Aug. Concione in Psal. 32. Enarr. 3. n. 5. docet, Angelos, quos ibi Cælorum nomine designatos fuisse ait, *a Deo firmatos, & solidatos fuisse in virtute. Verbo Domini, inquit, Cæli solidati sunt. Quid est autem solidatos esse, nisi habere stabilem & firmam virtutem?* Ergo supponit S. Doctor, Angelos bonos a Deo ampliori gratiae auxilio firmatos, in accepta gratia sanctificante perseverasse.

Resp. distinguo ant. Docet, Angelos a Deo firmatos, & solidatos fuisse

fuisse per auxilium gratiae sine quo; seu sufficiens; sine quo nec bene velle, nec bene agere potuissent, concedo: per auxilium quo, seu efficax, nego. Non aliis est eo loci S. Doctoris scopus, quam ut ostendat, Angelos opus habuisse divina gratia, non tantum habituali, sed etiam actuali: *Neque enim, ait ibidem, aliquid ex se ipsis habuerunt,* Et, ut lo-
*T. 10. p. 140. A. quitur L. de natura & gratia cap. 16. sicut oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere: sic & homo etiam perfe-
*B. clissime justificatus, nisi aeterna luce justitiae divinitus adjutus, recte non potest
*Tom. 1. vivere:** Et Synodus Arausicana Can. 19. *Natura humana, inquit, etiam si
*Conc. p. 1670. B. in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo se ipsam, Crea-
*tore suo non adjuvante, servaret.** Qualis porro fuerit ea gratia, non exponit S. Augustinus citata Concione in Psalmo 32.**

*Instabis 8. Ad Angelos non minus, quam ad homines, hæc Apostoli
Ed. Gerb. p. 62. A. verba: Quis te discernit? quid habes, quod non accepisti? pertinere docent SS. Anselmus, & Augustinus. Primus, Libro de causa diaboli cap. 1. quærenti discipulo, an illud Apostoli, *Quid habes, quid non accepisti?* hominibus tantum dicatur, an & Angelis respondet: *Nulla creatura ha-
*T. 3. p. z. p. 27. bet aliquid a se. Quid enim se ipsum a se non habet; quomodo habet a se
*D. aliquid?** Inde colligit cap. 2. ideo Angelos perseverantiam habuisse quia acceperunt; & ideo accepisse, quia Deus dedit. S. pariter Aug. Lib. 11. de Genes. ad lit. c. 8. n. 10. ait, omnem creaturam non nisi in Domino gloriari debere, *cum cognoscit non suum, sed il-
*lius, esse, non solum ut sit, verum etiam ut non nisi ab illo bene sibi sit, a
*quo habet ut sit.** Et narratione in Psal. 70. Serm. 2. num. 2. num. 5. *Ne putas, inquit, hominem solum pertinere ad gratiam Dei. Quid erat An-
T. 4. p. 737. D. gelus antequam fieret? quid est Angelus, si deserat qui creavit? Ergo supponit illos singulare accepisse perseverantia donum.****

*Resp. Nego conseq. Nulla quippe creatura potest in se ipsa gloriari, que ex se ipsa nihil prorsus habet. Tota igitur discretio in gratiam Dei refundi debet, sine qua nihil omnino boni, quod ad salutem pertineat, homo potest operari. Et quamquam gratia libero ipsius permittatur arbitrio, ut ipsi consentiat, vel non consentiat, etiam cum ipsi consentit, altero reluctante, a se ipso non discernitur, sed per gratiam, quæ boni totius caussa est principalis. Neque enim, ait S. Aug. L. 12. de Civitate Dei c. 9. *Angeli se ipsis meliores fecerunt, quam a Deo facti sunt, sed in eadem bona voluntate permanerunt, in qua primum conditi fuere.**

*Instabis 9. Ex dictis inter probationes nostræ conclusionis, auxilium quo includit motionem voluntatis, per quam illa ad opus bonum certissime inclinatur: atqui S. Aug. docet, gratiam, quæ Adamo concessa est, re ipsa conjunctam habuisse voluntatis motionem. Si. (Adami) volunta-
*T. 7. p. 370. E. lantas, inquit L. 4. de Civitate Dei cap. 13. in amore superioris immu-
*364. F. tabilis boni, a quo illustrabatur, ut videret, & accendebatur, ut amaret, sta-
*bilis permaneret, non inde ad sibi placendum averteretur, &c. Ergo S. Do-
*ctor existimat gratiam illam fuisse auxilium quo.*****

*Resp. distinguo min. Atqui S. Aug. docet, gratiam, quæ Adamo concessa est, conjunctam habuisse voluntatis motionem, idest, gratiam actualem necessariam ut habitualis in actum erumperet, quæ libero Adami arbitrio relicta fuit, concedo: idest, motionem præviam, seu inde-
*libe-**

liberatam illam delectationem, quæ voluntatem ad opus bonum certissime, & infallibiliter inclinat, & quæ ab Augustino vocatur auxilium *quo*, & gratia viætrix, nego. Talem quippe gratiam non habuit homo primus, qui re ipsa in accepta bona voluntate non perseveravit; sed talem habuit, si ne qua perseverare non potuisset, & cum qua perseverasset, si voluisset.

Instabis 10. S. Aug. L. 12. de Civitate Dei cap. 9. & Concione in Ps. 70. docet, bonam Angelorum, & Adami voluntatem, in qua conditi sunt, ac perseverantiam bonorum Angelorum, fuisse specialia Dei dona.

Et Lib. de Correptione, & Gratia cap. 10. de Adamo in statu in-^{T. 10. p.} nocentia ait: *non habuit perseverantiam*; & si non habuit, non utique accep-^{764. II.} pit. Supponit igitur S. Doctor, Adamum opus habuisse singulari do-
no perseverantiae, eunque idcirco non perseverasse, quia tale donum non accepit. Econtra, perseverasse bonos Angelos, quia speciale illud donum a Deo acceperunt.

Resp. ad 1. distinguo ant. Docet, bonam illam voluntatem ac per-
severantiam, fuisse dona Dei specialia, hoc est, fuisse gratiam gratui-
tam, sine qua nec bona voluntas, nec perseverantia in ipsis esse po-
tuisset, concedo: fuisse specialia Dei dona, qualia sunt in præsenti sta-
tu naturæ corruptæ; hoc est, gratiam efficacem, & viætricem, seu au-
xilium quo certo, & infallibiliter datur & bene agere, & perseverare,
nego. Atque inde est, quod S. Doctor asserat perseverantiam, quæ in
statu innocentiae futura erat merces meriti Adami, nunc plane gratui-
tum esse ac speciale divinæ misericordiæ donum. Quæ, inquit c. 11. n.

^{ibid. p.} 32. L. de Corrept. & Gratia, futura erat & homini, sicut facta est An-^{768. D.} gelis sanctis, merces meriti; nunc autem fer peccatum perditō bono merito, in
bis, qui liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.

Et c. 106. Enchiridii: Hanc: inquit, acceptura est per gratiam, quam fuerat, ^{T. 6. p.} si non peccasset, acceptura per meritum: quamvis sine gratia nec tunc ullum me-^{236. E.} ritum esse potuisset. Quæ S. Doctoris sententia, non est ad sensum Baii,
& Janienii sic intelligenda, quasi perseverantia in statu innocentiae non
fuisse gratuum divinæ gratiæ donum: Neque enim tunc, ait S. Aug.
mox citatus, ullum sine gratia meritum esse potuisset; atque in gratiam ip-
sam, tamquam in nobiliorem caussam, referri semper debuisset perseve-
rantis a non perseverante discretio: Sed hoc sensu debet intelligi, quod
cum hæc gratia fuerit dumtaxat auxilium *sine quo*, permisum libero
voluntatis Adami arbitrio, nec ullam præviam, & indeliberatam mo-
tionem ac delectationem voluntatis adjunctam habuerit, qua non indi-
gebat integra & sana natura; idcirco non dicitur singulare, ac speciale
donum fuisse, quale nunc est; ac merces meriti, potius quam gratui-
tum, hoc est, speciale donum appellatur. Quapropter in statu innocentiae,
voluntas per suum liberum arbitrium gratia divina elevatum, diceba-
tur agere: nunc vero dicitur Deus in ea agere, non quod voluntas nihil
agit, aut gratiæ moventi non cooperetur (procul tale Calvini impium
figmentum!) sed quod speciali, & efficaci Dei auxilio indigeatur, ut
bonum operetur, quo Adamus innocens non indigebat.

Ad 2. ex c. 10. Lib. de Corrept. & Gratia, Respondeo, ex ipsa le-
ctione textus manifestum esse, citata verba continere objectionem S.
Aug. propositam, non vero propriam ipsius sententiam. Sæpius quip-
Tournely de Gratia. Tom. III. Pars I.

pe repetit eo in libro, Adamum cum eo adjutorio gratia, quod accep-
perat, perseverare potuisse, si voluisset.

Objicies 2. auctoritatem SS. Fulgentii, & Bernardi, qui docent bo-
nos Angelos singulari dono perseverantiae adjutos, in ea bona voluntate
permansisse, in qua conditi fuerant.

Ed. Par. 1684. p. 90. S. Fulgentius L. 2. ad Trasimundum cap. 2. *Profectio*, inquit, cognoscitur, uniformi cunctos (Angelos) opprimi potuisse ruinæ confortio, nisi quos vellat, a casu pravitatis virtus illa defenderet. Et c. 3. Non alia stan-
tem Angelum a ruina potuit custodire, nisi illa, quæ lapsum hominum post rui-
nam potuit reparare. Una est in utroque gratia operata; in hoc, ut surgeret; in illo, ne caderet; in illo, ne vulneraretur; in hoc, ut sanaretur.

T. 1. p. 1336. B. S. Bernardus serm. 22. in Cantica n. 6. Qui erexit, inquit, hominem
dedit sancti Angelo ne laberetur: sic illum de captivitate eruens, sicut
hunc a captivitate defendens.

Resp. testimonia hæc, si ad rigorem literæ urgeantur, plus efficere,
quam ipsi velint adversæ opinionis patroni. Efficerent scilicet, nullum
esse discriminem inter gratiam utriusque status; ac parem illius esse non
modo necessitatem, sed etiam efficaciam ac modum agendi. Atqui tam-
en discriminem aliquod esse, in confessio est apud omnes.

Laudata igitur testimonia evincunt dumtaxat, gratiam, quoad sub-
stantiam, æqualiter necessariam esse ad bene agendum, & perseveran-
dum naturæ innocentia, & lapsæ; quod unum procul dubio volunt SS.
Fulgentius, & Bernardus. Quantum vero ad vim, & efficaciam, seu
agendi modum illius, disparem fuisse non negant illi; quamquam eo
loco non exponat, qua in re discriminem illud positum fuerit.

Instabis. Ea gratia æqualis fuit, quo efficaciam, & modum agendi
pro utroque statu, quæ concessa fuit a Deo, ex speciali voluntate di-
scernendi bonos a malis: atqui talis fuit gratia Angelis concessa, ex
S. Fulgentio: ergo &c.

Resp. nego min. Gratia enim omnibus Angelis concessa fuit, ut cum
ea perseverarent in bono, si vellent; & sine qua perseverare non po-
tuissent: cum qua boni re ipsa perseverarunt; mali vero, perseverare
noluerunt. Neque vero ex laudatis S. Fulgentii verbis effici potest,
Deum ex speciali voluntate bonis majorem contulisse gratiam, qua
certo ad perseverandum inducti sunt; scopus enim S. Doctoris iste unus
est, ut probet gratiam quoad substantiam plane Angelis, & Adamo ne-
cessariam fuisse; sine qua, omnes æuali ruinæ confortio involvi, &
opprimi potuissent.

ARTICULUS SECUNDUS.

De statu naturæ lapsæ, & per Christum reparatæ.

Duos illos status naturæ, utpote conjunctios, conjungimus: de qui-
bus cum toto hujus Tractatus decursu ex professo dicturi simus,
observasse hic sufficiat; statum naturæ lapsæ illum esse, in quo versa-
mur post lapsum Adami, in quo omnes peccaverunt, ac nascuntur filii
ita, & indignationis, obnoxii peccato, morti, ceterisque hujus vite mi-
seriis,

seriis, quas quisque proprio sensu & experientia melius percipit, quam verbis exprimere valeat. Unde Ecclesiastici 40. vers. 1. dicitur. *Grave jugum super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturae in matrem omnium.* Statum vero naturae per Christum reparatae illum esse, in quo per merita Christi liberamur a noxa peccati originalis, ceterisque actualibus, atque restituimur primaevo illi juri, quod habebamus ad vitam aeternam, ex quo per peccatum primi parentis excideramus. In hoc statu reparatae naturae, non omnia per peccatum Adami inficta vulnera sanantur; sed omnes fere penalitates, ad agonen, & virtutis exercitium in nobis remanent. *Virtus enim in infirmitate perficitur.* 2. Cor. 12. vers. 9.

ARTICULUS TERTIUS.

De statu naturae purae, an sit possibilis?

STATUS NATURAE PURÆ ille dicitur, in quo nasceretur homo sine gratia; & sine peccato; obnoxius tamen morti, ceterisque miseriis, quæ naturam ipsam consequuntur.

Distinguitur status ille a statu innocentiae, quia careret omni dono supernaturali: a statu naturae lapsæ, quia nullum in eo esset peccatum naturæ, seu originis; a statu naturae integræ, quia nullum esset auxilium ordinis naturalis, quo natura in officio contineri posset: denique, a statu naturae lapsæ non reparatae, vel etiam non reparandæ: 1. Quia finis hominis in statu naturae puræ, esset merces naturalis; non ita in statu naturae lapsæ non reparatae, vel etiam nusquam reparandæ. 2. Quia in statu naturae puræ, nasceretur homo sine peccato. 3. Quia in statu naturae puræ, carentia gratiæ esset per modum simplicis negationis: in statu vero naturae lapsæ, per modum privationis, quia privatur homo eo dono, quo antea ornatus fuerat; & discrepat uterque ille status, sicut homo nudus a spoliato; hic nempe amisit, quod alter nondum habuit. 4. denique, quia ignorantia, concupiscentia, mors, & aliae naturæ nostræ miseriae, in statu naturæ puræ non essent effectus, & penes peccati, sicut in statu præfenti; sed essent appendices naturæ humanae: seu, ut loquitur S. Aug. postea laudandus, primordia naturalia.

Homo igitur in eo statu, eas omnes haberet perfectiones, quas ejus natura exigit, simul & imperfectiones, que ex natura ipsius consequuntur.

Questio est, utrum status ille sit possibilis, vel non? an repugnet ex parte hominis, vel ex parte Dei?

Cujus quidem questionis status, ut clare, ac dilucide intelligatur; revocandum est, quod superius jam fuit observatum, nempe, pluribus modis rem aliquam dici posse naturalem.

1. Quia ab ipsa nativitate conceditur. 2. Quia naturæ consentanea est, quam ornat, & perficit. 3. Quia est rei ipsius essentia, seu natura; vel saltem ejus proprietas, & quedam appendix naturam ipsam consequens. 4. Quia est rationi, & equitati consentanea; ita ut sine lesionе rationis atque justitie denegari non possit.

De duobus prioribus modis hic quæstio non movetur. Certum enim est, hoc duplice sensu, justitiam originalem dici posse homini naturalem.

Sensus igitur præsentis controversæ duplex dumtaxat fingi potest.

Primus. Justitia originalis estne homini hoc sensu naturalis, ut sit vel ejus essentia, vel saltem pars seu proprietas, & appendix essentiæ ipsius? quomodo ad naturam hominis pertinet, ut sit animal mente, ac ratione prædictum; & ad ejus proprietatem, ut sit animal risibile.

Secundus. Supposito, quod justitia originalis sit homini adventitia, & extranea, potestne Deus, ex potentia virtutibus justitiae, sapientie, bonitatis, ac providentie temperata, hominem creare innocentem, & tamen obnoxium morti doloribus, ac omnibus miseriis, quibus subjacemus? estne illud contrarium ejus justitiae, sanctitati ac providentie? Si ita est, prorsus impossibile judicari debet: Deus enim se ipsum negare non potest: 2. ad Timot. 2. v. 13. nec quidquam moliri, quod suæ justitiae, sanctitati, ceterisque virtutibus adversetur. In Deo, ait S. Anselmus Lib. 1. cur Deus homo c. 10. quantumlibet parvum inconveniens sequitur impossibilitas. En status questionis, circa quam errarunt.

*Ed. nov.
p. 79. col.
1. C.* 1. Pelagiani, qui statum illum, de quo disputamus, non tantum possibilem, sed re ipsa extitisse voluerunt, in quo nascimur omnes sine gratia, & sine peccato. Illos strenue ac invictè repressit S. Augustinus auctoritate scripture, quæ docet hominem a Deo rectum esse conditum, omnibus justitiae originalis donis, ac prærogativis ornatum: tum ex ipsis humanis virtutib[us] miseriis, ignorantia, concupiscentia, morte &c. quæ in præsenti rerum statu, qualem Deus instituit, effectus sunt, & pœnæ peccati originalis. Per unum hominem, ait Apost. Rom. 5. v. 12. peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Frustra Jansenius multa ex Aug. colligit, congeritque testimonia, quibus id efficiat, quod nullus inficiatur Catholicus. Agit quippe S. Doct. ex hypothesi (quam demonstrat) præsentis naturæ status, in quo certissimum est, miseras, quibus subjacemus, penas etiæ noxæ originalis. Quæstio vero quam hic versamus, est de statu possibili, in quo miseria illæ forent hominis primordia naturalia; nec haberent pœnæ seu puniotionis, ac vindictæ rationem.

2. Lutherus loco antea citato in 3. caput Geneseos, justitiam originalem homini tam naturalem fuisse contendit, quam naturale est oculo, ut lumen percipiat. Verba superius relata sunt.

3. Durum loquendi modum Lutheri temperavit, ac emollivit Calvinus. Is enim repugnantiam status pure naturæ, in quo primitus homo conderetur sine originali justitia, unice repetere videtur ex justitia, bonitate, ac providentia Dei. In contumeliam Dei recideret, ait ille L. 1. Instit. c. 15. n. 1. si quid vitii naturæ inesse probaretur. Et Lib. 2. c. 1. n. 6. Minime consentaneum est, Deum fieri mortis auctorem. Fatendum est, quotquot impossibilem asserunt naturæ pure statum, eos non alio, quam Calvini sensu, id asseruisse.

4. Hie ipse fuit Baii Doctoris, ac Cancellarii Lovaniensis sensus, hec sententia, sicut & Jansenii, qui Tomo 2. tribus Libris integris, præsens versat argumentum, ac fuse ostendere conatur, statum illum naturæ pure pugnare cum justitia, providentia, & bonitate Dei: qua sit, ut homino.

mo creari aliter a Deo non potuerit, quam cum gratia, & ordinatione ad finem supernaturalem, additque, contrariam sententiam unum fuisse ex præcipuis erroris Pelagiani capitibus, atque ad Manichæismum pertinere.

AD D I T I O.

(*)

Bajum sequuti sunt Gerardus Van Vverm die 9. Aug. 1656. Thes. I. Aegidius Gabrielis in Mor. Christ. §. 71. & alii: verum ne cavillationibus ansa detur, animadverte esse Theologos quosdam, qui sententur, potuisse a Deo creari hominem obnoxium concupiscentiæ motibus, ita tamen ut auxilia ei necessaria præberet ad resistendum, & hoc modo putant possibilem esse statum puræ naturæ.

Distinguunt alii statum naturæ quaæ motibus concupiscentiæ obnoxia sit, & statum puræ naturæ, buncque cum P. Bellelli de statu creat. ration. l. 3. c. 1. nihil aliud esse statuunt, quam naturam rationalem sine gratia, & sine culpa, aut habitu vitiioso, seu concupiscentia, ut idem sit status puræ naturæ, qui ab aliis Theologis status vocatur naturæ integræ & sanæ. Jamvero quod ad statum naturæ spectat concupiscentiæ motibus obnoxiae, aliqui sunt, qui impossibilem hunc statum doceant; alii cum doctissimo Norisio in Vind. Aug. c. 3. §. 2. negant quidem concupiscentiæ subjectionem datam primo homini ex exigentia rei creatæ; sed illam ajunt datam ex pura puta decentia; atque hinc debitam, non rigoroso debito in natura fundato, sed ex decentia solius creatoris derivato; ajunt ergo impossibilem esse hunc statum ex decentia solius creatoris.

Quod vero ad alterum statum pertinet, considerari cum is possit l. Relate ad gratiam, qua carevet. 2. Relate ad finem ultimum. 3. Relate ad vitæ ærumnas, atque miseras, Theologi nonnulli in variis abjere sententias. Plerique ex iis, qui a Molinismo maxime abhorrent, cum Bellelli lib. 3. de statu creat. ration. c. 26. contendunt exemptionem a morte, ceterisque hujus vitæ miseriis homini innocentie debitam fuisse, atque ex hac parte semper & in quacumque hypothesi statum puræ naturæ repugnare, nisi forte, inquit Bellelli, in illa, in qua aut fingamus creaturam rationalem non esse rationalem, hoc est legibus justæ providentiæ regulandam; aut Deum non esse Deum. Ad priora duo quod adtinet, Gratia inquam carentiam, & destinationis ad supernam beatitudinem.

Sunt inter Theologos nonnulli, qui metaphysica, & subili quadam abstractione, divinam omnipotentiam a ceteris perfectionibus Dei præscidentes, ajunt; respectu quidem divinae Omnipotentiæ non repugnare statum naturæ puræ, sed tantum habita ratione divinae justitiae, bonitatis, ac providentiae.

In his est Macarius Havermans Tract. 2. Tyrocin. c. 7. §. unic. n. 19. & P. Bellelli de statu creat. ration. l. 3. c. 7. & c. 21. ad 2.

Temperamento utitur P. Berti in Apologia pro se ac P. Bellelli pag. 251. temperamentum autem, inquit, est statum puræ naturæ esse impossibilem, non spectata ABSOLUTA omnipotentia Dei, sed de potentia, ut loquuntur Scholæ, ORDINARIA, quatenus creatura rationalis, ut est imago Dei, & comparate ad ultimum finem, a quo divulsa incidit in summam miseriam, OPOREBAT ut supernaturali divinorum auxilio-

Tournely de Gratia. Tom. III. Pars I.

rum fulcimento ornaretur. Praiverat Berto P. Contensonius T. I. l. 8. c. I. qui tamen a P. Bero systemate multum distat; concedit enim potuisse absolute hominem a Deo relinqui in statu negationis gratiae ad dominium suum demonstrandum, aliaque rationes partim notas, partim latentes.

Contra vero plerique Theologi cum S. Thom. I. 2. q. 109. & Scoto in 2. dist. 28. q. un. possibilem docent purae naturae statum: ita ex Thomistis praeter Gonetum, & Salmanticenses nuperime doctissimus P. de Rubeis in Tract. Theolog. de pecc. origin. ex Benedictinis Card. de Aguirre Tract. 5. de Nat. pura disp. 105. Sect. 1. seqq. e Scotis Frazensis Tract. 3. disp. 1. art. 1. q. 1. ex Jesuitis Bellarminus de grat. primi hominis L. unico c. 7. Suarez Prolegom. 4. de grat. c. 2. Ripalda T. 3. de ante supern. disp. 8. Accedit ad hos præstantissimus Viennensis in Gallia Archiepiscopus tum in Bajanismo redivivo, tum in documento Pastorali an. 1750. in commentitiam apologiam &c. p. 1. artic. q. His ita præmissis sit.

(*)

CONCLUSIO.

Status naturae puræ possibilis est, ac nulla ex parte, sive hominis, sive Dei repugnat.

Probatur 1. Quia ex dictis, status naturae puræ ille est, in quo primus homo a Deo crearetur sine peccato, & gratia, ceterisque donis ejus naturae indebitis; quoniam tamen morti, omnibusque hujus vitæ miseriis: atqui possibilis est status ille, nec repugnat sive ex parte hominis, sive ex parte Dei.

1. Non repugnat ex parte hominis. Tum quia gratia, & justitia originalis titulo naturae, seu creationis ipsi debita non est: quod enim ordinis est supernaturalis, ac pure gratuitum, quo sublato, natura in integro subsisteret, naturae debitum dici non potest; alias, gratia non est, sicut arguit Apostolus Rom. II. v. 6. Atqui gratia, & justitia originalis gratuita est, & ordinis supernaturalis: eaque sublata, natura in integro subsisteret; ergo naturae hominis non est debita. Hinc merito a SS. Pontificibus Pio V. Greg. XIII. & Urbano VIII. proscripta fuit ista Baii Propositione n. 27. *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.* Tum quia natura humana ex se esse capax est doloris, ac tristitiae, perinde ac gaudii, & voluptatis; ergo ipsius nativis, & internis principiis non repugnant; eo in statu primitus a Deo eam collocari, in quo dolori, tristitiae, ac miseriis subjaceat.

2. Non repugnat ex parte divinæ justitiae, bonitatis, ac providentiae: quia absque ullius injuria, & lassione sua justitiae, ac bonitatis, potest Deus id omne denegare, quod pure gratuitum est, quod ex mero suo beneplacito dependet, ac nemini debetur: atqui talis est originalis justitia: ergo &c.

Frustra reponerent Baii Apologistæ, integratem primæ creationis, isto dumtaxat sensu indebitam fuisse, quod neque sit ipsa hominis natura, neque pars, aut proprietas ipsius: quamvis alio titulo, nempe justitiae, ac bonitatis divinæ, debita merito dici possit. Namque SS. Pontifices mox dictam Baii Propositionem in sensu ipso Baii damnaverunt;

runt: at non ita fatuus ac stupidus ille fuit, ut putaverit unquam, integritatem primæ creationis homini debitam isto titulo fuisse, quod sit vel ipsam hominis natura, vel saltē illius pars, aut proprietas: ergo hoc sensu damnata dumtaxat fuit Propositio, quod integritas primæ creationis debita fuerit titulo justitiae ac bonitatis divinæ; quasi Deus non potuisset homini, cum primum conditus est, justitiam originalem denegare, nisi violatis justitiæ, ac bonitatis suis iuribus.

SECUNDA PROBATIO.

Ex Sancto Augustino.

Probatur 2. auctoritate S. Aug. Lib. 3. de libero arbitrio cap. 20. n. 56. ubi disputat adversus Manichæos, qui duos distinguebant Deos, unum bonum, alterum malum; huncque Creatorem vituperabant tamquam auctorem mali, propter illam, quam patimur, ignorantiam, & bene vivendi difficultatem. Atque ut ab hac blasphemia Deum Creatorem vindicet, quatuor supponit modos *incarnationis*, ut loquitur, animarum, hoc est, modos quibus animæ produci possunt, & cum corporibus conjungi, in quibus Deus peccati auctor non esset nec culpandus, sed potius laudandus.

Primus modus est, si omnes animæ ex una peccatrice, via seminali, per carnalem propaginem traducerentur: qua in hypothesi, *quis potest dicere*, inquit, n. 56. *non se peccasse, cum primus ille peccavit?*

Secundus modus est, si singulæ animæ in singulis corporibus a Deo per creationem infundantur: qui modus peccatum aliquod supponit, vel non supponit: in utroque autem casu docet S. Aug. non esse culpandum Deum, quod cum ignorantia, & difficultate nascamur, sed magis laudandum. Modus iste aperte includit, & probat nostram de possibili statu naturæ puræ hypothesim, ut mox ostendemus.

Tertius modus est, si omnes animæ in secreto aliquo loco prius existentes, ad informanda corpora mittantur a Deo.

Quartus, si ad ea corpora sponte sua delabantur.

Quisam autem ex illis modis verus sit, ibi non definit S. August. *Hanc* T. 1. p. rum, inquit, cap. 21. n. 59. *quatuor de anima sententiarum, utrum de pro-* 34. G. *pagine veniant, an in singulis quibusque nascentibus novæ fiant, an in corpora* nascentium jam alicubi existentes, *vel mittantur divinitus, vel sua sponte lan-* bantur, nullam temere affirmare oportebit.

Ex quatuor illis modis incarnationis animarum, secundus continet hypotheses status naturæ puræ, ejusque probationem. Supponit enim S. Aug. aliquam animam, ante peccatum, & ante omnem vitam suam culpabilem, talem nasci, qualis nascitur post peccatum; idest cum ignorantia, difficultate, ceterisque vitæ hujus arumnis: docetque tali animæ sic nascenti, ignorantiam, atque difficultatem non fore suppli- cium peccati, sed proficiendi admonitionem, & perfectionis exordium. Audiatur S. Doctor citato Lib. 3. de libero arbitrio cap. 20. num. 56.

Si ergo, inquit, *altera (anima) talis esse cœpit, non solum ante* *Ibid. p.* *peccatum, sed ante omnem vitam suam, qualis alia post vitam culpabilem fa-* 632. F. *citatur*.

Ita est, non parvum bonum habet, unde Conditori suo gratias agat; quia ipse ortus ejus, & inchoatio quovis perfecto corpore est melior. Non enim mediocria bona sunt, non solum, quod anima est, qua natura jam omne corpus præcedit; sed etiam quod facultatem habet, ut adjuvante Creatore se ipsam excusat, & pio studio possit omnes acquirere, & capere virtutes, per quas, & a difficultate cruciante, & ab ignorantia cæcante liberetur. Quod si ita est, non erit nascentibus animis ignorantia, & difficultas supplicium peccati, sed proficiendi admonitio, & perfectionis exordium. Non enim ante omne meritum boni operis parum est accepisse naturale judicium, quo sapientiam præponat errori, & quietem difficultati, ut ad hæc non nascendo, sed studendo perveniat.

Ibid. p. 638. d. Et cap. 22. n. 64. Ignorantia, inquit, & difficultas, si naturalis est, inde incipit anima proficere, & ad cognitionem, & requiem, donec in ea perficiatur vita beata, promoveri.

Ibid. p. 638. b. Et cap. 23. docet parvulos nullius peccati reos, posse subjici vitæ humanæ laboribus, & ærumnis, propter majoris alicujus boni compensationem, quam illis reservet Deus. Quis ergo novit, ait n. 68. quid ipsis parvulis in secreto judiciorum suorum bona compensationis reservet Deus, qui quamquam nihil recte fecerint, tamen nec peccantes aliquid ista perpetræ sunt?

*Refelluntur evasionses, quibus adversari Sancti Augustini
testimonia eludere conantur.*

Jansenius L. 3. de statu naturæ puræ c. 17. & sequentibus, ejusque discipuli multa reponunt, ut istud ex Augustino argumentum elevent.

I. Evasio Respondent itaque i. hypothesim S. Aug. e qua nos argumentum dicimus, supponere peccatum, & gratiam; adeoque longe alienam illam esse ab hypothesi status naturæ puræ.

T. 1. p. 632. f. Lib. 3. de libero arbitrio n. 56. Ut malum meritum prioris, natura sit sequentis.

Ibid. p. 637. d. illam pio studio posse omnes acquirere virtutes, per quas, & a difficultate cruciante, & ab ignorantia cæcante liberetur. Et c. 22. n. 65. ait, Deum ideo isti animæ difficultate, ac cæcitate naturaliter laboranti tale exordium tribuisse, ut studendo, ac proficiendo ad frugem sapientiae justitiaeque perveniat, tantumque illi præstuisse dignitatis, ut in ejus etiam potestate poneret, si vellet, ad beatitudinem tendere.

Refellitur hæc responsio, quantum ad utramque partem.

*Ibid. p. 632. f. Namque S. Augustinum nullum in ea hypothesi peccatum supponere, demonstrant hæc ipsius verba cap. 20. n. 56. Si ego altera talis esse cœpit, non solum ante peccatum, sed ante omnem vitam suam. Deinde supponit ignorantiam, & concupiscentiam esse primordia naturalia; ergo non supponit ea in hypothesi peccatum: alias, ignorantia, & concupiscentia non dicerentur primordia naturæ, sed supplicia culpæ. Igitur, per malum illud meritum, de quo S. Doctor, non intelligitur peccatum, sed pena peccati, seu mali meriti; & sensus est, si ignorantia & concupiscentia, quæ in una anima est præcedentis pena peccati, in altera vero anima foret naturalis, non esset culpan-
dus, sed laudandus Deus.*

Nallam pariter gratiam ordinis supernaturalis in ea hypothesi S. Aug. supponit: quæ vero hic opponuntur de virtutibus, de fide, de beatitudine &c. non pertinent ad secundum modum incarnationis animarum, ex quo uno argumentum duximus, sed ad 3. modum. Bona vero illa facultas, pium studium, quo seipsum anima excolere posset, omnesque acquirere virtutes, dona, inquam, illa, non immerito dici possent ordinis naturalis, non supernaturalis. Ait quippe S. Doctor animam illam accipere *naturale judicium, quo sapientiam præponat errori.* Quamquam etsi concederemus ea esse ordinis supernaturalis, non idcirco in mente S. Aug. ^{Ib. pag. 633. A.} sequeretur ea tali animæ in ortu suo concessa fuisse, sed in progressu dumtaxat vitæ ipsius. *Quamquam enim ait S. Doct. c. 20. n. 56. in ignorantia, & difficultate nata sit, non tamen ad permanendum in eo, quod nata est, aliqua necessitate comprimitur.*

Nos vero hic loquimur de anima, quæ in primo ortu suo, & ante omnem vitam culpabilem, talis fit, qualis altera post vitam culpabilis facta est.

Respondent II. licet S. Aug. nullum in hypothesi prædicta supponat. ^{Evaſio.} peccatum quod animas inficiat, supponit tamen corpora illarum animarum descendere ex propagine Adami peccatoris. Sic enim scribit ibid. ^{Ib. D.} n. 57. *Caro de propagine veniens peccatoris, venientibus ad se animis hanc ignorantiam & difficultatem facit:* Atqui hoc posito, non repugnat bonitati Dei propter Adamum peccatorem, suppliciis ignorantiae, & concupiscentiae problem ipsius affligere.

Verum, adversarii confundunt, ac perturbant varias hypotheses, quas S. Aug. distinguit. Quæ hic proponunt, pertinent ad 3. hypothesim; nos vero ex secunda dumtaxat argumentamur.

Respondent III. S. Aug. seniorem factum emendasse, quæ junior scri- ^{3. Evaſio.}
perat in suis de libero arbitrio Libris. *Senex,* ait Jansenius Lib. 3. de p. 397. ^{E. R. t. 2.}
statu naturæ cap. 19. *adversus Pelagianos puræ naturæ architectos dimicans*, ^{col. 2. E.}
id quod incertus de parvulis contra Manichæos fuderat, emendavit. Et postea: ^{p. 398.}
Miserias illas naturaliter parvulis innocentibus irrigari posse, tunc quasi suspicando ^{6. 2. B.}
somniaverat. Sic ille de tanto Ecclesiæ Doctore irreverenter, & inurbane scribit.

Probant vero S. Doctorem revocasse, quæ scriperat in Libro illo 3. de libero arbitrio, atque eum ex hypothesi impossibili contra Manichæos egisse; tum ex Lib. de dono perseverantiae cap. 11. ubi postquam exscripsit, quæ Libro 3. de libero arbitrio dixerat, nempe: *Etiam si ignoratio, & difficultas essent hominis primordia naturalia, nec sit culpandus, sed potius laudandus esset Deus.* Quo testimonio ipsi Pelagiani contra ipsummet Aug. abutebantur, ut offendenter, ex miseriis hujus vitæ illum male omnino probare peccatum originale: postquam, inquam, hæc retulit S. Doctor, addit, disputationem hanc suam valere quidem contra Manichæos Scripturam aut rejicientes, aut mutilantes, non vero contra Pelagianos. Probant etiam ex ipsius Epistola 166. alias 28. n. 18. ad Hieronymum, ubi retractans, quæ in citato Lib. 3. de libero arbitrio scriperat de peenis parvolorum, sic loquitur: *Ego quidem non de ingeniis, sed saltē de pœnis parvolorum, quas in hac vita patiuntur, dixi aliquid in Libris illis de libero arbitrio.* *Quod quale sit, & cur nibi in ista, quam habemus in manibus, questione, non sufficiat, intimabo.*

Refellit postea præcipuum, quam aduersus Manichæos protulerat rationem: nempe Deum, parvorum cruciatus aliis bonis compensare; aitque, id dumtaxat dici posse de infantibus vel pro Christo mortem patientibus, vel baptizatis: ceteris vero omnibus præparatam esse certam damnationem, si ante susceptum Baptisma ex hac vita discedant.

Refellitur hæc responsio: quia nusquam S. Aug. legitur revocasse, quod in citato 3. Lib. de lib. arbitrio cap. 20. docuerat, circa secundum illum incarnationis animarum modum. Imo Libr. 1. Retractionum cap. 9. agnoscit, ac confirmat, quod in citato cap. 20. Lib. 3. de lib. arbitrio scriperat; quamquam fateatur hanc suam disputationem aduersus Manichæos valere, non vero aduersus Pelagianos.

Et re ipsa, longe alia erat causa Manichæorum, & Pelagianorum; ac diversis armis illi impugnandi erant ab Augustino. Manichæi, ut ostenderent Deum esse mali auctorem, ac peccatorum nostrorum caussam negabant esse in nobis originale peccatum; atque ita miseras omnes, quibus nascendo, absque ulla prævia culpa, obnoxii sumus, in Deum mali auctorem rejiciabant. Cum vero illi totum vetus Testamentum rejicerent; atque ex Novo ea omnia expugnarent testimonia, quæ originalis peccati fidem confirmant, coactus est S. Aug. confugere ad varias rationes, & hypotheses, ex quibus hoc unum certum, & inconcussum semper efficiebat, Deum scilicet non esse mali auctorem, nec culpandum, tametsi ignorantia, & difficultas essent hominis primordia naturalia. Pelagiani quoque negabant peccatum originale, atque hujus vitæ miseras dicebant esse hominis primordia naturalia; adeoque hominem de facto in puris naturalibus primitus a Deo conditum fuisse. Cum vero illi auctoritatem veteris, & novi Testamenti admitterent, S. Aug. hac auctoritate illos impugnat, ex qua duo certissima sunt. Primum, hominem rectum seu innocentem & justum fuisse a Deo conditum: secundum, hominem ab illo statu justitiae & innocentiae peccando excidisse; atque omnes homines in eo peccasse. Quapropter, cum iidem Pelagiani aduersus Augustinum contorquerent, quod ipsem contra Manichæos dixerat in Libris de libero arbitrio, merito reponebat S. Doctor, non posse Pelagianos tueri se hujusmodi argumentationibus: quia non ex præsenti rerum statu, nec ex auctoritate Scripturae contra illos arguere poterat, sed ex variis dumtaxat hypothesis & ratiociniis, quibus hoc unum saltem constat, Deum non esse mali auctorem; Pelagiani vero, ex Scripturis, & ex præsenti rerum statu confutabantur. Manichæos igitur ex ratione, & hypothesi possibili impugnat S. Doctor; Pelagianos vero, ex Scripturis, & præsenti rerum statu, & ordine. *Quamvis*, inquit S. Doctor lib. 1. Retract. cap. 9. nu. 6. *ignorantia & difficultas etiam si essent homini primordia naturalia; nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset...* *Quæ disputatio contra Manichæos babenda est, qui non accipiunt Scripturas Sanctas veteris Instrumenti, in quibus originale peccatum narratur; & quidquid inde in Literis Apostolicis legitur, detestabili impudentia immisum fuisse contendunt a corruptoribus Scripturarum tamquam non fuerit ab Apostolis dictum. Contra Pelagianos autem hoc defendendum est, quod utraque Scriptura commendat, quam se accipere profitentur. Inde patet, quam falso assertant adversarii, S. Augustinum contra Manichæos disputantem, agere.*

ex hypothesi impossibili: quasi impossibilis ea censeri debeat hypothesis, qua posita, Deus culpandus non foret, sed laudandus? quasi hæreticos jure ac merito confutare potuisset, ex hypothesi, quam impossibilem ipse judicasset? Apage nugas.

Hinc etiam manifestum est, S. Doctorem Lib. de dono perseverantia, & Epistola 166. non revocasse, quod de possibili status naturæ puræ hypothesi scriperat; sed hoc unum contendit, nempe, quod de pœnis parvolorum ea in hypothesi dixerat, eas scilicet a Deo aliis bonis compensari, intelligi dumtaxat de parvulis, qui vel martyrium pro Christo suffissent, vel Baptisnum percipiunt. *Hoc*, inquit citata Epist. non im-<sup>T. 2. p.
591.D.E.</sup> merito dici video de his, qui vel pro Christi nomine, ac vera Religione tale aliquid etiam nescientes patiuntur, vel Sacramento Christi jam imbuti sunt, quia sine societate unius mediatoris liberari a damnatione non possunt, ut possit eis, etiam pro illis malis, quæ hic in diversis afflictionibus pertulerunt, compensatio ista praestari.

Probatur 3. auctoritate SS. Pontificum Pii V. anno 1567. & Gregorii XIII. ann. 1579. qui suis Constitutionibus, quas confirmavit Urbanus VIII. ann. 1641. multas Michaelis Baii Doctoris Lovaniensis (ipsius tam tacito nomine) Propositiones damnaverunt, quarum 26. hæc est: *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.*

55. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur;* (excepto scilicet peccato) neque enim damnari aliter, absque impiete, potuisset ista Propositio.

75. *Immortalitas primi hominis, non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.*

79. *Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari, & institui sine iniustitia originali.*

His omnibus propositionibus significabat aperte Badius, statum naturæ puræ sibi prorsus impossibilem videri. Non ita visum est SS. Pontificibus, a quibus dictæ propositiones sollemni censura notatae fuerunt. Nihil non tentarunt Baii, & Jansenii sectatores, ut hujuscem Romanae censuræ vim, & auctoritatem infirmarent, ac eluderent: eorum momenta inferius, ubi de Bajo, expendemus, ac refellemus.

A D D I T I O.

(*)

Conf. ex damnatione hujus 35. *Quesnellianæ propositionis:* Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita naturæ sanæ & integræ. Nam Quesnelli nomine Gratia Adami dona omnia supernaturalia intelligit, quibus primus homo prædictus fuerat, quibusque per peccatum spoliatus fuit. Clemens ergo XI. eam propositionem proscribens definitivit, nullum ex illis donis fuisse debitum naturæ sanæ & integræ, atque adeo potuisse Adamum condi sine gratia, potuisse ad visionem beatificam non destinari, potuisse denique creari concupiscentiæ, morti, ceterisque hujus vitæ miseriis obnoxium.

Dices 1. cum P. Bellelli: Libenter fatemur, gratiam Conditoris esse indebitam naturæ secundum se; sed dicimus ipsi esse debitam, prout stat

stat sub ejusdem rectissima providentia, quæ creaturæ suæ innocentí non potest deficere in necessariis.

Resp. cum Archiepiscopo Viennensi. Cum aliquid ita debitum dicitur, ut recusari non possit, jam admittitur debitum proprie & rigorose tale; ergo qui docet non potuisse adeo gratiam primo homini denegari; simul admittat necesse est debitam illam eidem fuisse proprie & rigorose. Nec quidquam prodest assertere, Deum illam non creaturæ, sed sibi debuisse, suisque attributis, ac jure providentiaz; hæc enim omnia in idem recidunt, nec debiti naturam immutant, cum non impediunt, quominus Deus injustitiaz se erga primum hominem alligasset, si suam illi gratiam denegavisset.

Dices 2. cum Havermans, gratiam non fuisse debitam naturæ, sed Providentiaz divinæ, ac præterea Bonitat, ac Sapientiaz.

Resp. hinc fieri, ut puræ naturæ status possibilis quidem sit spectata sola omnipotentia Dei, secus si omnipotentia consideretur cum ceteris attributis conjuncta. Porro hoc miserum ineptumque effugium est; impossibile enim est absolute, Deum indecenter, inconvenienter, insipienter, contrarationem agere; sed per adversarios indecenter, inconvenienter, insipienter, contra rationem ageret, condens hominem in statu puræ naturæ; volunt enim Deum, sibi sueque sapientiaz debere, ceterisque attributis, ut in eo statu hominem minime condat; ergo absolute impossibile est, Deum condere hominem in statu puræ naturæ; ergo etiam spectata sola omnipotentia impossibilis est iste status. Confirm. ex P. de Kubeis de pecc. origin. cap. 38. Paulus 2. ad Tim. 2. v. 23. ait: Deus seipsum negare non potest, Deum nempe omnipotentem, sapientem, bonum, & iustum seipsum sive in eo quod facit, sive in eo quod facere potest, negare non posse: sequitur ipsum sicuti omnipotentem, ita semper ostendere sapientem, bonum, & iustum. Rectissime D. Thomas 1. p. qu. 25. art. 5. ad 1. In Deo est idem potentia, & essentia, & voluntas, & intellectus, & sapientia, & justitia: unde nihil potest esse in potentia divina, quod non possit esse in voluntate justa, & in intellectu sapiente ejus. Ergo qui possibilem negant statum puræ naturæ secundum omnipotentiam Dei cum ceteris attributis conjunctam, velint nolint, illum absolute & omni prouersus modo possibilem negent, necesse est. Præterea nihil est in statu puræ naturæ, quod omnipotentia Dei repugnet ut conjuncta cum ceteris attributis.

Dices 3. cum Contensonio, statum puræ naturæ esse impossibilem de potentia ordinaria, possibilem tamen esse spectata absoluta omnipotentia Dei.

Resp. cur status puræ naturæ est impossibilis de potentia ordinaria? quia nempe Sanctitati aut justitiae, aut alteri ex divinis attributis repugnare creditur. At dici nequit, Deum de potentia absoluta & extraordinaria id facere posse quod alicui ex ejus attributis contrarium sit, ac consequenter posse injustitiam, aut aliud crimen admittere. Non isto sensu illa potentia extraordinaria, sive absoluta accipienda est: Deus enim de potentia extraordinaria id facere dicitur, quod contra ordinarium suæ providentiaz cursum facit, non vero quod facere non posset sine suorum attributorum laesione. Nam utraque Dei potentia ordinaria, & extraordinaria regitur convenientiae as decentia rationibus, illa actualibus, hæc possilibus, ac consensionem habet cum ceteris divinis attributis.

Dices 4. cum P. Berti, gratiam Adamo fuisse indebitam ut præcise creatura rationalis est; non vero ut est imago Dei, & comparet ad ultimum finem.

Resp.

Resp. Ecclesiam, dum definiit gratiam naturæ sanæ & integræ fuisse indebitam, hanc suæ decisioni restrictionem non apposuisse, sed absolute & simpliciter statuisse, Adamo non fuisse debitam. Deinde cum imago Dei sit sibi, ut alibi diximus, in intellectrice hominis facultate, in arbitrii libertate, ceterisque dotibus spiritualibus, si gratia indebita fuit Adamo ut præcise rationalis est, indebita quoque illi fuit, ut imago Dei est.

(*)

Solvuntur objectiones contra possibilem naturæ statum.

Quotquot aduersus possibilitatem status naturæ puræ proferunt adversarii momenta, ex quadruplici capite generatim repetuntur.

1. Ex ordine hominis ad Deum, tamquam ad suum finem ultimum.
2. Ex natura ignorantiae.
3. Ex turpitudine concupiscentiarum.
4. Ex humanarum miseriarum acerbitate.

Objectiones ex ordine hominis ad Deum, tamquam ad suum finem ultimum.

Objicies 1. Gratia est medium homini necessarium ad obtainendum finem ultimum: atqui repugnat divinæ providentie producere hominem sine medio necessario ad obtainendum finem ultimum: ergo repugnat divinæ providentie producere hominem sine gratia.

Resp. dist. maj. Gratia medium est homini necessarium ad obtainendum finem ultimum supernaturalem, & in præsenti rerum statu, concedo; finem naturalem, & in alio, quem possibilem defendimus, naturæ statu, nego. Deus equidem clare, & intuitiva videndus, in præsenti naturæ statu finis est hominis supernaturalis; abstractive autem videndus, & quidem per species clariores iis, que in via habentur, est finis naturalis. Utrique autem illi fini suus correspondet proportionatus amor Dei, seu supernaturalis per gratiam, seu naturalis sine gratia. De qua distinctione vide S. Thomam t. 2. q. 109. art. 3. ad 5. & art. 5. ad 3.

Instabis 1. Sola Dei visio intuitiva potest esse finis hominis ultimus: in ea quippe sola potest conquiescere, ac satiari hominis desiderium. Fecisti nos ad te, ait S. Aug. L. 1. Confess. c. 1. & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Ergo &c.

Resp. dist. ant. In præsenti statu, supposita fide, & ordinatione hominis ad finem supernaturalem, concedo: in alio statu, de quo hic disputamus, nego. Ignoti nulla cupido: si ergo homini revelatum non fuisset illum ex Dei gratia ad finem supernaturalem esse destinatum, nullum haud dubie pro illo fine adipiscendo, clara scilicet & intuitiva Dei visione, in ipso excitaretur desiderium; atque in sola Dei cognitione abstractiva quiesceret.

Instabis 2. Bonum illud, quod homo naturaliter appetit, est finis illius naturalis. Omnes beatos esse velle... ait S. Aug. L. 13. de Trinit. c. 8. n. 11. T. 8. p. veritas clamat, natura compellit, cui summe bonus & immutabiliter beatus Crea- 393. Ge- tor hoc indidit. Atqui visio beatifica bonum est: quod homo naturaliter appetit, ergo visio beatifica, est finis hominis naturalis.

Major propositio certa est; minor probatur. Quia cognitio quidditativa primæ caussæ est bonum, quod homo naturaliter appetit. Naturaliter enim viso effectu, desideramus videre primam caussam, ut ratiocinatur S. Thomas Lib. 3. contra Gentiles cap. 50. & 1. parte suæ Summæ quæst. 12. art. 1. Atqui visio beatifica est cognitio quidditativa primæ caussæ: ergo visio beatifica est bonum, quod homo naturaliter appetit.

Resp. dist. maj. Si bonum illud homo appetat, appetitu tum innato, tum elicto, qui appetitus elicitus sit necessarius, & efficax, concedo: si bonum illud homo appetit, appetitu dumtaxat elicto, & quidem non necessario, sed libero, & inefficaci, nego. Etenim, quamvis homo libere velit voluntate inefficaci toti mundo imperare; non inde tamen sequitur, imperium totius mundi esse finem ultimum hominis.

Dist. min. Visio beatifica bonum est, quod homo naturaliter appetit appetitu elicto, libero, & inefficaci, supposita fide, concedo: appetitu innato, nego. Etenim appetitus innatus nihil est aliud, quam propensio rei in bonum, quod naturæ viribus consequi homo potest: alias, frustra natura indidisset ejusmodi appetitum. Atqui nullus homo claram Dei visionem naturæ viribus assequi potest: ergo nullus homo habet innatum appetitum ad visionem beatificam. Hinc fit, ut nullus homo naturaliter desideret desiderio efficaci, videre Deum: quia ex appetitu innato, sequitur efficax desiderium, & quidem necessarium illius boni, in quod propendet appetitus innatus. Nam ex eo, quod homo habeat appetitum innatum ad beatitudinem in communi, movetur desiderio efficaci, & quidem necessario in illam: hinc est, quod nullus velit esse miser, nec velle possit, ut docet S. Aug. L. 13. de Trin. c. 3. & 5. Igitur, cum non detur in homine nativa propensio ad Deum clare videndum; nonnisi ex inefficaci desiderio natura moveri potest erga tantum bonum: quatenus videlicet homo rerum naturalium pulchritudine captus, istud exprimere posset desiderium: Vellein, si fieri posset, cognoscere essentiam primæ caussæ, a qua tot stupendi effectus prodierunt.

Hinc patet solutio ad ratiocinium S. Thomæ. Viso quippe effectu, homo naturaliter desiderat videre primam caussam, desiderio elicto, & inefficaci, cum nempe illa caufsa non est naturaliter visibilis, concedo: desiderio innato, ac necessario, nego.

Instabis 3. S. Thom. 1. p. q. 12. art. 1. in corpore, docet inesse homini naturalem appetitum videndi Deum.

Resp. dist. ant. Docet inesse homini naturalem appetitum secundum quid, concedo: simpliciter & absolute, nego. Appetitus ille naturalis est secundum quid, quia voluntas hominis prævio lumine fidei illustrata, & interiori simul inspiratione afflata, connaturaliter, idest, modo quodam naturali, propendet in visionem Dei beatificam; eo modo, quo intellectus Beatorum elevatorum elevatus lumine gloriae, Deum connaturaliter videt. Appetitus vero ille non est naturalis simpliciter, & absolute in mente S. Thomæ; quia talis appetitus vel est innatus, vel elicitus a sola natura; atqui non loquitur S. Doctor de appetitu innato; hic enī non supponit præviā cognitionem, qualem supponit appetitus ille, quem S. Thom. ait natum esse ex cognitione effe-

Etiam. Non loquitur etiam de appetitu elicito a sola natura: quia loquitur de illo desiderio, quod supponit supernaturalem fidei notitiam, quae quidem visionis beatificæ non modo præstantiam, sed etiam possibilitatem detegit.

Instabis 4. Visio beatifica vera est hominis beatitudo: atqui omnes homines habent naturalem inclinationem ad beatitudinem: ergo habent naturalem inclinationem ad visionem beatificam.

Resp. dist. maj. Visio beatifica vera est hominis beatitudo particularis, ad quam Deus hominem in praesenti statu ex gratia evexit, concedo: est beatitudo in communi, nego. Dist. min. Atqui omnes homines habent naturalem inclinationem ad beatitudinem in communi, concedo: in particulari, nego. Ita docet S. Thom. in 4. sentent. dist. 49.

qu. 1. art. 3. in responsione ad 3. questionem his verbis: *Quamvis ex naturali inclinatione voluntas habeat, ut in beatitudinem feratur secundum com-*^{T. 10. p.}
mannem rationem, tamen quod feratur in beatitudinem talem, vel talem, hoc non^{753. E.}
est ex inclinatione naturæ, sed per discretionem rationis, quæ adinvenit in hoc,
vel in illo summum bonum hominis constare: Et ideo quandocumque aliquis beatitudinem appetit, actualiter conjungitur ibi appetitus naturalis & appetitus rationalis: Et ex parte appetitus naturalis, semper est ibi rectitudo: sed ex parte appetitus rationalis, quandoque est ibi rectitudo, quando scilicet appetitur ibi beatitudo, ubi vere est. Quandoque autem perversitas, quando appetitur ubi vere non est, sic in appetitu beatitudinis potest aliquis vel mereri adjuncta gratia, vel demereri; secundum quod ejus appetitus est rectus, vel perversus. Ita S. Thomas.

Instabis 5. Homo naturaliter inclinatur in beatitudinem etiam in particulari. Namque Platonici nonnulli solo luminis naturalis ductu agnoverunt, hominem non esse beatum nisi per fruitionem Dei; ita testatur S. Aug. Lib. 8. de Civ. Dei c. 8. ubi de Platonicis ait: *Non dixerunt beatum esse hominem fruentem corpore, vel fruentem animo, sed fruentem Deo: non sicut corpore, vel seipso animo, aut sicut amico amicus, sed sicut luce oculus.* Homo igitur, sola duce natura, appetit videre Deum tamquam summum bonum.

Resp. nego ant. Ad probationem, distingo: Platonici solo ductu luminis naturalis agnoverunt, hominem non esse beatum nisi per cognitionem Dei, abstractive saltem cogniti, concedo: intuitive cogniti, nego. Nam Philosophi Gentiles non agnoverunt visionis beatificæ mysterium, quod sola fide revelatur, & creditur, nec ratione demonstratur. *Oculus non vidit, nec auris auditit, nec in cor hominis ascendit quæ preparavit Deus iis, qui diligunt illum,* ait Apostolus 1. Cor. 2. v. 9. Quo igitur sensu, inquires, Platonici docebant, non posse obtineri beatitudinem, nisi Deus ita cognoscatur, sicut cognoscitur lux ab oculo?

Resp. Similitudinem in eo positam fuisse, quod sicut primarium objectum oculi est lumen; sic ad beatitudinem obtinendam, primarium mentis humanae objectum debet esse Deus, qui cuncta alia objecta sua luce collustret, idest nobis manifestet. Hanc fuisse Platonicorum mentem, non obscure indicat S. Aug. Lib. 8. de Civ. Dei cap. 7. in fine, his verbis: *Lumen autem mentium esse dixerunt ad discenda omnia, eundemque ipsum Deum a quo facta sunt omnia.*

Quod

Quod si Platonici, præ aliis Philosophis, de Deo, & ultimò homini finē paullo dignius senserunt, & scripserunt, id deliberarunt ex commercio cum Hebræis, ac lectione Scripturarum.

Instabis 6. Deus abstractive videndus non potest esse ultimus hominis finis seu beatitudo: tum quia non potest perfectissima Dei cognitione etiam abstractive obtineri; adeo varii, & multiplices ac infiniti sunt naturales defectus: tum quia, in illa cognitione abstractiva perfecte non conquiesceret appetitus hominis, qui claram, & intuitivam Dei visionem exoptaret: tum denique, quia homines reprobi tali cognitione abstractiva per scientiam comparata frui possent.

Resp. nego ant. Ad 1. probationem. Esto non possit hac in vita obtemperari perfectissima cognitione Dei abstractiva; in altera saltem vita haberi posset per species a Deo infusas, in præmium bene actæ vita prioris. Sicut enim in præsenti statu, per opera supernaturalia finem supernaturalem assequimur; ita in altero statu possibili, per merita naturalis ordinis homo pervenisset ad suum ultimum finem naturale. Ad 2. Homo in statu naturæ puræ quievisset in cognitione Dei perfectissima abstractiva; quia alium cognoscendi Dei modum possibilem ignorasset. Ad 3. Qui fuissent in eo statu naturæ puræ reprobi, ii perfectam non habuisserent Dei cognitionem etiam abstractivam; Deumque sibi repræsentassent ultorem ac vindicem criminum, ad eoque terribilem: qui vero beati fuissent, ii perfecta Dei cognitione donati, eum sibi repræsentassent tamquam virtutis remuneratorem magnificum, benignum, ac beatificantem.

Instabis 7. Homini peccatum non habenti injuste denegaretur visione beatifica, quia naturaliter in eam inclinatur: ergo homo naturaliter inclinatur in visionem beatificam.

Major ostenditur ex S. Aug. qui Julianum arguit injustitiæ, quod parvulis denegaret visionem beatificam; cum tamen in illis nec gratiam agnosceret, nec culpam. Ita S. Aug. Lib. 3. contra Julianum c. 12. n. 23.

T. 10. p. 565. A. Quare, inquit, nihil mali merentes tot in parvulis imagines Dei, si non baptizentur, non admittis ad regnum Dei? Et postea addit: Quia justitia, quæso, a regno Dei, a vita Dei alienatur imago Dei, in nullo transgressa legem Dei? Ibid. B. Atqui si homo nullam haberet propensionem naturaliem ad visionem Dei, Julianus S. Augustino facillime respondisset, ideo parvulis innocentibus se occludere regnum cælorum, quia cum careant gratia Baptismi, non debetur eis beatitudo supernaturalis.

Resp. dist. maj. Homini peccatum non habenti injuste denegaretur visione beatifica, in præsenti statu, concedo: in statu naturæ puræ, nego. Etenim in hoc statu, Deus promisit hominibus absque peccato ex hac vita migrantibus, visionem beatificam, ut ipsimet Pelagiani fatebantur. Quapropter, cum iidem Pelagiani falso docerent nullo peccato parvulos teneri, optime S. Aug. eos redarguit, quod regnum cælorum denegetur parvulis, & solummodo concederent vitam æternam, quam a regno cælorum insulæ illi distinguebant, sicut ostendit S. Doctor serm. 14. de verbis Apostoli cap. 3. At vero in statu puræ naturæ, Deus non promisisset homini regnum cælorum, seu vitam æternam, ac sui visionem beatificam; adeoque Deus, sine injustitia, tantum bonum potuisset homini denegare.

ADDITIONE.

(*)

Instantibus 8. homo est imago Dei ; ergo non potest ejus visione privari , cuius est imago .

Resp. cum Archiepiscopo Viennensi , duplice modo posse hominem ut imaginem Dei considerari ; vel praeceps quatenus creatura rationalis est , praedita voluntate & intellectu ; vel quatenus per Dei beneficentiam donis supernaturalibus ornatus cum gloriae aeternae promissione . Si primo modo consideretur , nimis ut habens intellectum & voluntatem capacem cognoscendi & amandi Deum , dici non potest , aeternam gloriam illi esse debitam , nisi ad summum ex quadam decentia , qua verum debitum non constituit . Si secundo modo accipiatur , nempe ut donis supernaturalibus gratiae ornatus , cum aeternae gloriae promissione , gloria quidem est illi debita , at debito orto ex pura Dei liberalitate , ac consequenter debito pure gratuito , non rigoroso .

Instabili 9. docent Scotistae in creatura rationali existare naturale desiderium videndi Deum . Præterea Molina , Suarez , Bellarminus , ac Recupitus Jesuitæ admittunt in homine appetitum naturalem videndi Deum intuitive .

Resp. frustra hic objici Scotisticam Scholam ; an enim putes Scotistas pro impossibilitate status puræ naturæ stare posse , cum eorum dux Scotus in 4. dist. 49. qu. 10. n. 2. diserte tradat , potuisse aliquem creari in puris naturalibus , tam sine gratia , quam sine culpa ? Scotistæ ergo cum in creatura rationali Deum videndi intuitive naturale desiderium agnoscunt , nihil aliud intelligunt , quam capacitatem pure passivam quam ipsa habet hujus beatitudinis recipiendæ , ut loquitur Dominicus Soto L. 1. de nat. & grat. cap. 4. Vide sis Frassenium Tract. 3. disp. 1. art. 1. qu. 1. Quod ad Jesuitas illos præstansim spectat , nemo illorum docuit , destinationem specialem ad finem supernaturalem , quæ est visio intuitiva , aut auxilia supernaturalia ad eam obtainendam necessaria , creaturæ innocentia ita deberi , ut sine injustitia Deus illi hæc denegare non posset . Confer P. de Rubeis cap. 38. n. 1. , ubi ostendit , quam longe a Bajanis hæc distet Bellarmini , aliorumque Theologorum opinio . Quin Recupitus disertis verbis fateatur , solum id conveniens fuisse : & ideo , inquit , conveniens fuisse , ut ordinaretur ulterius ad cognitionem ejusdem intuitivam ; non debitum ex rigore justitiae .

(*)

Objicies 2. Homo , in quocumque statu , tenetur diligere Deum : atqui non potest diligere Deum sine gratia ; ergo in quocumque statu indiget gratia . Porro ad divinam providentiam pertinet , dare homini quidquid ipsi necessarium est : ergo , &c.

Resp. dist. maj. Homo , in quocumque statu , tenetur diligere Deum , amore naturali , vel supernaturali , concedo : supernaturali , nego . Distinguо min. sine gratia non potest diligere Deum ; amore supernaturali , qui ordinem dicat ad finem supernaturalem , nempe visionem Dei intuitivam , & beatificam , concedo : amore naturali , qui dicat ordinem ad finem naturalem , cognitionem scilicet Dei abstractivam , nego .

Tournely de Gratia . Tom. III. Pars I.

D Porro

Porro in statu naturæ puræ, de quo loquimur, homo diligeret Deum amore quodam naturali, ad quem, non gratia supernaturalis, sed naturale dumtaxat auxilium sufficeret.

Instabis 1. Vel homo in statu puræ naturæ produceretur a Deo cum mala voluntate, vel cum bona. Non 1. Quia Deus non potest esse auctor malæ voluntatis. Non 2. Nam ex S. Aug. L de Gratia Christi c. 21. n. 22. T. 10. p. 239. G. bona voluntas est gratia. *Quasi vero, ait, aliud sit bona voluntas, quam charitas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo, & a Patre datum.*

Porro in statu puræ naturæ homo esset sine gratia: ergo, &c.

Neque est, quod reponas, hominem in statu puræ naturæ producendum fore cum voluntate media, idest, nec bona, nec mala. Istud enim repugnat S. Aug. qui L. 2. de peccat. mer. c. 18. n. 30. sic scribit: *Voluntas, mirum, si potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit.*

Resp. nego maj. Produceretur enim cum voluntate media, quæ nec mala foret, nec bona: (bonitate saltem supernaturali) naturalem enim bonitatem a Deo creatore acciperet. S. Aug. citato loco loquitur in hypothesi præsenti, in qua certum est hominis voluntatem, vel malam esse, vel bonam: vel enim libera est a peccato originali, & tunc bona est; vel eo infecta, & mala est, ac perversa.

Instabis 2. Vel hominis voluntas, in statu puræ naturæ, justitiam diligeret, & tunc bona foret, vel non diligeret, & tunc foret mala.

Resp. Voluntatem hominis, in statu puræ naturæ, posse diligere justitiam naturalis ordinis, & Deum, tamquam fontem omnis virtutis moralis: non vero justitiam supernaturalis, seu Deum, tamquam fontem sanctificationis. Atque hoc pacto, voluntas humana bona foret bonitate morali; non vero bonitate supernaturali; & ita media foret ejusmodi voluntas moraliter tantum bona, inter voluntatem supernaturaliter bonam, & simpliciter malam. Porro S. Aug. agit de voluntate bona bonitate supernaturali, quia loquitur de voluntate diligente justitiam supernaturalis ordinis, seu Deum, tamquam fontem sanctificationis. Disputat enim adversus Pelagianos, qui admittebant gratiam, qua dimittuntur peccata, atque hoc sensu fatebantur, Deum esse supernaturalis sanctificationis auctorem.

Instabis 3. Si posset homo in puris naturalibus sine gratia diligere justitiam naturalis ordinis, posset homo a seipso fieri melior: atqui hoc repugnat S. Aug. qui L. 12. de Civ. Dei cap. 9. docet, Angelos bona voluntate a divina gratia factos esse, nec meliores a seipsis fieri potuisse.

Resp. dist. sequelam majoris propositionis. Posset homo a seipso fieri melior, in ordine naturali, esto: in ordine supernaturali, nego. Dist. min. Angeli a seipsis meliores fieri non potuerunt, in ordine supernaturali, in quo conditi sunt, concedo: in ordine pure naturali, in quo condi potuerunt, neg. S. porro Aug. non negat hominem posse a seipso, hoc est sine auxilio gratiæ, fieri moraliter meliorem. Constatbit, quippe ex dicendis inferius, hominem, sine gratia, posse facere aliquid bonum opus morale naturalis ordinis, saltem quando nulla urget tentatio: ad opus vero supernaturaliter bonum homo fieri non potest, nisi elevetur auxilio gratiæ.

ADDITIO.

(*)

IN statibus 4. docet Card. Bellarminus, nullam ex solis naturae viribus actionem pietatis elici posse, actionem scilicet, quæ meritoria sit coram Deo, aut quæ nos ad justificationem disponat; atqui amor Dei ut auctoris naturæ est pietatis actione etiam in statu puræ naturæ; ergo Deus in statu puræ naturæ nullo modo amari posset ex solis naturæ viribus.

Resp. nego minorem, futurum scilicet illum amorem actionem pietatis in sensu Bellarmini, idest meritoriam coram Deo & ad justificationem disponentem; id enim est solius pietatis, quæ ex gratiæ supernæ viribus proficiuntur.

(*)

Objicies 3. Repugnat divinæ bonitati hominem in eo statu condere, in quo impossibile sit eum esse beatum: namque rebus omnibus, quædam est a Deo destinata felicitas. Atqui impossibile foret hominem in statu puræ naturæ esse beatum: vel enim beatus esset in hac vita, vel in altera. Neutrum autem dici potest.

Non primum. Beatus enim ille censendus non est, qui ignorantia laborat, & bene vivendi difficultate cruciatur, qui perturbationibus animi, corporis morbis, & ultimo fato est obnoxius.

Non secundum. Nam ejusmodi beatitudo hominis manca foret, & imperfecta: corpus enim ejus non resurgeret; unde anima ipsius desiderio quadam teneretur sui corporis resumendi, quod quidem desiderium satiari nunquam posset.

Confirmatur. Quia in statu puræ naturæ, anima hominis obnoxia foret erroribus, & peccatis: hæc autem duo cum beatitudine cohaerere non possunt. Namque ex S. Aug. Lib. 14. de Civ. Dei c. 25. *Etiam ipse justus non vivit ut vult, nisi eo pervenerit, ubi mori, falli, offendi omnino non possit; eique sit certum ita semper futurum.* Hoc enim natura expedit: nec plene, atque perfecte beata erit, nisi adepta quod expedit. Hæc porro omnia non habet homo in statu purorum naturalium; ergo tunc non esset beatus: T. 8. p. 933. E. ut observat idem S. Doctor Lib. 13. de Trin. cap. 7.

Resp. nego min. Namque posset homo in altera vita consequi suam perfectam beatitudinem naturalem, scilicet perfectissimam Dei cognitionem abstractivam cum amore ipsi correspondente; quæ quidem cognitione homini rependeretur tamquam merces bonorum operum moralium: non secus ac in praesenti statu rependitur intuitiva Dei visio tamquam merces operum supernaturalium.

Hac autem beatitudo posset errorem excludere, quia perfecta foret in suo ordine, tum divini numinis, tum rerum naturalium, atque moralium notitia. Unde posset pariter excludere peccatum, quod semper cum aliquo errore conjunctum est; juxta illud: *Eirant qui operantur malum.* Prov. 14. v. 22. Adde quod amor Dei ex ejus notitia consurgens recte ordinaret voluntatem hominis, eamque a peccato cohiberet. Teste siquidem S. Aug. L. 15. de Civ. Dei cap. 22. *Definitio brevis, & vera virtutis ordo est amoris.* 406. D.

Idem quoque beatus, vel esset perpetuo a corpore separatus, & tunc quidem privaretur homo aliqua perfectione accidentaria beatitudini, nempe corporis confortio: foret nihilominus essentialiter beatus, sicut beati sunt Sancti ante resurrectionem: vel corpori rursus uniretur, & tunc non corporis donum, sed quoddam supernaturale donum penes modum homo acciperet. Naturale quippe foret quoad inclinationem, & entitatem: etenim per resurrectionem natura humana non elevatur supra conditionem suam, adeoque non acciperet homo gratiam proprie, ac stricte dictam.

Quamquam huic objectioni brevius satisfieri posset, si diceremus, per illam impugnari quidem directe perpetuitatem status naturæ puræ, non vero ejus possibilitatem, de qua hic tantum disputamus. Non enim queritur, an homo potuerit semper permanere in statu naturæ puræ, omni auxilio gratiae semper destitutus, sed an potuerit in illo statu primitus produci: istud postremum asserimus; aliud non expendimus.

Objicies 4. Res naturaliter possunt se conservare eo in statu, in quo condi possunt: atqui homo naturaliter conservare seipsum non potest in statu naturæ puræ; quia ad hoc necesse foret, ut a peccatis se praeservaret; quod, nisi gratia roboratus, non potest.

Resp. dist. maj. Nisi obstant extrinseca impedimenta, concedo: si obstant, nego. Ita enim homo condi potest sanus, ut tamen in sanitate se ipsum servare non valeat, sed volens nolens incidit in morbum. Quapropter homo in statu naturæ puræ non posset per proprias vires immunem se facere a morbis animi, scilicet a peccatis: eo quod a concupiscentia tentaretur, & tandem aliquando vinceretur. Potest tamen immunis reddi a peccato per aliquod gratuitum auxilium naturalis ordinis: nec idcirco constitueretur extra statum naturæ puræ. Quemadmodum enim nunc per gratiam Baptismi homo constituitur in statu naturæ reparata; neque tamen in illo remanere potest sine gratiis actualibus: ita non potuisset homo in statu primæ naturæ puræ sine auxiliis saltem naturalis ordinis.

Objicies 5. Licet gratia sufficiens donum sit supernaturale, homini tamen debetur titulo sapientiæ, ac clementiæ Dei, qui nihil præcipere homini potest, nisi simul ei conferat gratiam necessariam, ut mandatum impleat. Ergo pariter homini innocentí debetur gratia sanctificans, tametsi donum sit supernaturale.

Resp. dist. ant. Posito, quod homo ordinetur ad finem supernaturalem, & ipsi imposita sint præcepta supernaturalia, concedo: absolute, nego. Namque potuit homo sine illo ordine, & sine præceptis ad finem supernaturalem tendentibus, produci; unde neganda consequentia. Nam si deberetur homini innocentí gratia sanctificans, deberetur absolute, non autem ex hypothesi præcepti divini.

Objicies 6. In quocumque statu homo viator constituantur, capax est remissionis peccati: atqui homo in statu puræ naturæ, capax non foret remissionis peccati, quæ quidem sine infusione gratiæ obtineri non potest.

Resp. nego min. Nam homo in statu puræ naturæ consequeretur remissionem peccati, vel per condonationem extrinsecam, vel per infusionem

nem alicujus qualitatis naturalis. Adde, quod si pugnaciter volueris, aliter non posse remitti peccata, quam per infusionem gratiae sanctificantis, nihil inde aliud efficies, nisi hominem, a statu puræ naturæ, migraturum ad statum naturæ reparatæ.

Objectiones ex parte ignorantie.

Objicies. In statu puræ naturæ, homo supponitur innocens, & ramen laborare ignorantia; atqui istud impossibile videtur. Namque ignorantia pœna est peccati, teste S. Aug. pluribus in locis: maxime vero Lib. 3. de libero arbitrio c. 18. n. 52. ubi sic compendiose, ac nervose scribit: *Sunt revera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia, & difficultas.* Et Lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione cap. 36. n. 66. 631. D. probat parvulos subiacere originali culpæ, quia subiacent ignorantie. Sic loquitur: *In illas igitur ignorantie densissimas tenebras, ubi anima infantis recentis ab utero, utique anima hominis, utique anima rationalis, non solum indocta, verum etiam indocilis jacet, quare, aut quando, aut unde contrusa est?* T. 10. p. 37. F. G. *Si natura est hominis sic incipere, & non jam vitiosa est ista natura, cur non talis creatus est Adam?*

Resp. nego min. Ad probationem distinguo. Ignorantia est pœna peccati, in praesenti statu, in quo homo creatus est cum justitia originali, concedo: absolute, & in statu possibili, nego. Porro recte S. Aug. adversus Pelagianos, & Julianum demonstrabat existentiam peccati originalis ex ignorantia parvolorum. Nam vel illa ignorantia hoc in statu, homini naturalis est, vel est pœnalis: si naturalis, cur ignarus non est creatus Adam? si pœnalis: ergo peccatum supponit. Loquitur autem semper S. Doctor disputans adversus Pelagianos ex hypothesi praesenti: absolute autem potuit ignorantia esse naturalis homini. In statu enim puræ naturæ, ignorantia non fuisset supplicium peccati, sed proficiendi admittitio, & perfectionis exordium, ut loquitur S. Aug. Lib. 3. de libero arbitrio cap. 20. n. 56. T. 1. p. 633. A.

Objectiones ex parte concupiscentie.

Objic. 1. In statu naturæ puræ, homo fuisset obnoxius concupiscentie: atqui fieri non potest, ut homo a Deo creetur obnoxius concupiscentie.

Prob. min. 1. ex S. Joann. Epist. 1. cap. 2. v. 16. *Concupiscentia carnis,* inquit, *non est ex Patre, sed ex mundo.*

2. Ex Apostolo Rom. 7. v. 23. ubi concupiscentiam appellat, legem membrorum repugnantem legi mentis. *Video, inquit, aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Et ver. 20. eamdem concupiscentiam vocat peccatum. *Si, ait, quod nolo, (malum) illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum.* Atqui nec peccatum, nec lex membrorum repugnans legi mentis potest esse a Deo: quia ejusmodi lex, inordinatio est passiva, cuius Deus auctor esse non potest. Quidquid a Deo est, ordinatum est, docente Apostolo Rom. 13. v. 2.

3. S. Aug. impugnans Julianum, affirmat saepius concupiscentiam non esse aliquod bonum, sicut ille contendebat, sed esse aliquod malum. *Hoc interest,* inquit Lib. 3. contra Julianum cap. 21. n. 49. (inter te & me) 376. D.

quod ego dico me malum frenare, tu autem te bonum: ego dico mihi malum repugnare, tu tibi bonum. Confirmatur objectio. Quia concupiscentia in statu purorum naturalium, vel manaret a natura, vel produceretur a Deo. Neutrum dici potest.

Non manaret a natura: quia concupiscentia homini naturalis non est, nisi quatenus subjecta est rationis imperio: quatenus autem limites rationis transgreditur, vitiosa est, & inest homini contra naturam, ex S. Thom. 1. 2. qu. 82. art. 3. ad 1. nec a Deo produci potest. Non enim magis potest Deus producere concupiscentiam, quam habitum vitiosum.

Prius quam huic objectioni respondeamus, nonnulla praemitti, & observari debent, ad majorem dicendorum lucem.

Observandum igitur 1. per concupiscentiam, hic eam nos intelligere, quæ carnis est, non spiritus. Habet enim & spiritus suam concupiscentiam; aliquando bonam, de qua loquitur David Psal. 118. ver. 20. cum ait: *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas:* aliquando malam, cum nempe tendit in objectum spiritale inordinatum, qualis est v. gr. motus invidiae, superbie &c. De sola carnis concupiscentia hic sermo est, quam S. Aug. frequenter libidinem appellat.

Observandum 2. cum S. Aug. Lib. 4. contra Julianum cap. 14. num. 65. quatuor in concupiscentia distinguenda esse: scilicet vivacitatem sentiendi, utilitatem, necessitatem, & libidinem. *Vivacitas*, inquit, sentiendi est, qua magis alius, alius minus in ipsis corporalibus rebus pro earum modo atque natura, quod verum est, percipit, atque id a falso magis minusve discernit. *Utilitas* sentiendi est, per quam corpori vitæque, quam gerimus, ad aliquid approbandum, vel improbandum, samendum, vel rejiciendum, appetendum, vitandumve consulumus. *Necessitas* sentiendi est, quando sensibus nostris etiam quæ nolumus, ingeruntur. *Libido* autem sentiendi est, de qua nunc agimus, quæ nos ad sentiendum, sive consentientes mente, sive repugnantes, appetitu carnali voluptatis impellit. *Hæc est contraria dilectioni sapientie. Hæc virtutibus inimica.*

Observandum 3. Concupiscentiam considerari posse, vel in actu primo, quatenus scilicet est potentia: vel in actu secundo, quatenus est actualis motus tendens in bonum sensibile.

N. p. 691. G. Concupiscentiam in actu primo sumit S. Aug. pluribus in locis, sed maxime Lib. 6. contra Jul. cap. 18. num. 53. ubi afferit eam esse affectionem quamdam male qualitatis, sicut est languor. Sumit autem in actu secundo, eodem Lib. cap. 19. nu. 60. his verbis: *Ipse quippe motus actus est ejus, quamvis mente non consentiente decti effectus.*

Ib. p. 696. E. Utroque autem modo spectata concupiscentia, sumi potest, vel materialiter ac simpliciter, quatenus scilicet est inclinatio in bonum sensibile: vel formaliter seu cum addito, quatenus est inclinatio in bonum sensibile cum deordinatione; seu quatenus pugnat, & rebellis est contra rectam rationem. Priori modo, est facultas naturalis & legitima inclinatio naturæ in bonum corpori proportionatum, posteriori modo, est vitiosa propensio, ac proprie dicitur concupiscentia.

Idcirco vero concupiscentia, quæ adversus spiritum insurgit, mala est; quia hæc rebellio perturbat rationis officia, mentem avocat a delicatione sapientie, & voluntatem ab operatione justitiae. Hinc S. Aug.

Lib. 4. contra Julianum cap. 14. num. 74. ait: *Ideo in pecoribus malam ib. p. 620. non esse concupiscentiam, quia non adversus spiritum concupiscit, sed eorum D. potius oblectat spiritum.* Et Lib. de peccato originali cap. 40. nu. 46. *Tantæ, inquit, excellentia est in comparatione pecoris homo, ut vitium ho- Ib. p. 274. minis, natura sit pecoris.* Et Lib. 4. Operis imperfecti adversus Julia- T. 10. p. num cap. 56. illum festive subsannans, ita compellat: *Sic ergo & in 1167. B. libidine agnosce, & pecoris naturam, & hominis pœnam, si animam non ha- bens asiniam.*

Observandum 4. duplex hic distingui posse mali genus: aliud est na- turale, aliud vero morale. Malum naturale, est privatio perfectionis naturalis: ut claudatio, cæcitas, &c. Malum morale, est privatio re- ctitudinis, seu perfectionis debitæ actui libero, quæ culpæ imputatur; uno verbo, est ipsum peccatum.

Concupiscentia aliquando est tantum malum naturale; aliquando na- turale simul & morale, cum nempe adjunctum habet voluntatis con- sensum. Concupiscere enim homini naturale est, post concupiscentias vero ire, seu concupiscentia consentire, peccatum. Hoc posteriori modo concupiscebatur ille, qui Ecclesiastes cap. 2. v. 1. dicebat: *Vadam, & effluam deliciis.* Priori vero modo concupiscentiam experiebatur Aposto- lus, cum Rom. 7. v. 23. exclamabat: *Condelector legi Dei secundum interio- rem hominem.* *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* *Infelix ergo homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* *Igitur ego ipse mente servio legi Dei: car- ne autem legi peccati.*

Quamdiu vero hac in mortali vita degimus, concupiscentia malum est naturæ: quia & quando nolumus, & quando non consentimus, nec ei membra nostra, ut impleat quod appetit, exhibemus, habitat tamen in eis, & mentem resistentem, ac repugnantem sollicitat. *Ut ipse con- flitus, etiam si non sit damnabilis, quia non perficit iniquitatem;* *si tamen miserabilis, quia non habet pacem:* ait S. Aug. Lib. 2. de nuptiis & con- cup. cap. 2. n. 6.

Observandum 5. Rem aliquam duobus modis ad malum morale ducere seu inclinare posse: nempe vel per se, vel per accidens tantum. Per se quidem, cum ex nativa sua conditione ad malum impellit: talis est ha- bitus vitiosus. Per accidens, cum nec ex intentione Creatoris, nec ex natura operis, sed tantum ex imperfectione subjecti, in quo est, ad ma- lum propellit: talis est concupiscentia naturaliter ac physice considerata. Hæc enim, ex intentione Creatoris, & ex natura operis, est tantum in- clinatio ad bonum sensibile corpori proportionatum: quod vero hæc in- clinatio, mentem a spiritualibus avertat, & vocet, ex ipsa hominis con- stitutione, & imperfectione naturali oritur: quia nempe plus affici potest, & moveri rebus sensibilibus, quam spiritualibus: qui defectus, non Crea- toris est, sed creaturæ. Sicut quod voluntas hominis a gratia, quam pri- mitus in ortu suo accepit, peccando deficere potuerit, ut re ipsa defecit, defectus est, seu imperfectio ex conditione creaturæ consequens: quæ im- perfectio proprie non efficientem, sed deficientem causam habet: & id circo, non in Deum Creatorem, sed in creaturam ipsam rejicitur.

Observandum denique, concupiscentiam in praesenti naturae lapsa statu, longe ardentius ac vehementius nos ad malum sollicitare, quam fecisset in statu naturae purae: quia jam per peccatum multum imminutae sunt, & inclinatae liberi arbitrii vires ad bonum: quapropter in praesenti statu, vitium concupiscentiae est poena peccati. Cum vero S. Aug. adversus Pelagianos, & Julianum semper arguat ex praesenti rerum statu, in quo homo conditus est a Deo justus, innocens, & immortalis, concupiscentiam, quam haeretici illi bonam esse contendebat, malam esse, ac jam peccati poenam recte demonstrabat S. Doctor. Unde, quod caput erat, probabat esse aliquod peccatum originale, quod omnes nascendo contrahimus.

His prænotatis, facilis, ac plana erit ad propositam objectionem & subsequentes responsio.

Resp. itaque: nego min.

Ad primam ejus probationem ex S. Joanne, distinguo: concupiscentia carnis non est a Patre, sed a mundo; quatenus est malum morale habens adjunctum voluntatis consensum, concedo: quatenus est malum naturale, subdistinguo: non est a Patre; formaliter, & ratione defectus, seu imperfectionis, rebellionis, & luctæ contra rationem seu partem superiorem, quia, ut ait S. Aug. Lib. 1. contra Julianum cap. 8 n. 37. non potest auctorem habere quod nihil est. Hoc est, mali formaliter sumpti non est causa efficiens, sed deficiens, concedo: non est a Patre materialiter seu ratione entitatis, prout est inclinatio naturæ sentientis in bonum sensibile, nego. Ad aliud testimonium pariter distinguo; lex membrorum non potest esse a Deo, ratione rebellionis, concedo: ratione entitatis, nego.

<sup>T. 10. p.
521. E.</sup> Distinguenda pariter ista propositio; Concupiscentia, ex Apostolo, peccatum est, si habeat adjunctum voluntatis consensum; qua ratione verum est ac proprie dictum malum morale, quod a Deo conditore esse non potest, concedo: si non habet adjunctum voluntatis consensum, iterum distinguo: est peccatum impropre dictum, concedo: proprie, nego. Concupiscentia igitur, quæ voluntatis consensum antecedit, peccatum ab Apostolo appellatur, impropto quodam sensu, quia nempe est a peccato, & ad peccatum inclinat, ut ait Conc. Trid. sessi 5. Can. 5. post S. Aug. L. 1. de Nuptiis & Concupiscentia c. 23. Eo fere modo, quo lingua dicitur locutio, quam facit lingua; & manus dicitur Scriptura, quam facit manus, & frigus dicitur pigrum, eo quod pigros facit. Non est vero peccatum proprie dictum: alias in renatis, & baptizatis, in quibus ad agonem, & virtutis exercitium concupiscentia remanet, verum esset peccatum, quod falsum esse pronuntiat Conc. Trid. *Concupiscentia*, inquit, loco mox indicato, quam aliquando *Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere & proprie in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.*

Ad secundam ex S. Aug. Dico mentem S. Doctoris esse, concupiscentiam malum esse naturæ: item, in praesenti statu, juxta quem semper disputat cum Pelagianis, eam esse supplicium culpæ: denique absolute potuisse Deum in alio statu auctorem esse concupiscentię, (non quidem ratione defectus seu rebellionis, sed entitatis) quia tunc non fuisset supplicium culpæ originalis, sed exercitium virtutis.

Quia

Quia vero S. Doctor Julianum impugnans, ex præsenti statu disputatione, in quo homo conditus a Deo fuit justus, & innocens, absque ultra rebellione appetitus sentientis, recte ostendit, in hoc statu concupiscentiam malam esse propter illam rebellionem, quam adjunctam habet; atque Julianum redarguit, quod non satis distingueret inter libidinem concupiscentiarum, & appetitum boni sensibilis. Libidinem quidem illam, quæ repugnat legi mentis, malam esse ac culpæ originalis supplicium, recte demonstrat sanctus Doctor; non vero ipsum præcise appetitum boni sensibilis.

Ad Confirmationem, re ipsa concupiscentia in statu purorum naturarium a natura manaret. Ad probationem vero subiectam, dico concupiscentiam, quæ non est subiecta rationis imperio, homini naturalem non esse; si naturale sumatur respective ad inclinationem partis superioris, concedo: sub hoc enim respectu virtus est homini naturalis, propterea quod pars superior in virtutem propendat, ut in suum bonum: si vero naturale sumatur respective ad inclinationem partis inferioris, nego.

Instabis 1. Deus non potest esse auctor illius rei, cui naturalis est deordinatio, & essentialiter annexus defectus; alias, posset esse auctor mendacii: atqui concupiscentiarum naturalis est deordinatio, & essentialiter annexus defectus: ergo, &c.

Resp. distingo maj. Si defectus sit moralis, concedo: quia Deus non potest esse auctor peccati. Si defectus sit naturalis, subdistingo: Deus non potest esse auctor illius formaliter sumpti, concedo: materialiter & entitative, nego. Uno verbo, potest Deus esse auctor rebellantis concupiscentiarum; non potest vero esse auctor rebellionis illius. Quemadmodum Deus producit fatuos homines, nec tamen est auctor fatuitatis, cum sit sapientissimus. Ita respondebat Julianus S. Aug. Lib. 3. Operis adversus ipsum imperfecti c. 160. *Ejus quippe hominis, inquit, qui fatuus natus est, Deum dicimus, quamvis non dicamus ipsis fatuitatis auctorem.* T. 10. p. 1113. B. *Quæ fatuitas non est natura, atque substantia, quæ non nascitur nisi creante Deo, sed ejusdem natura vitium, quod accidit mente Deo.* Paullo antea dixerat, hanc fatuitatem ex accidente vitio, (nempe originali peccato) non ex natura, qualis primitus instituta est, profluere.

Distinguo min. ad sensum maj. Concupiscentiarum est annexus defectus naturalis, concedo: moralis, iterum distinguo: per accidens, & ratione subiecti, cum nempe adjunctum habet voluntatis consensum, concedo: per se, nego.

Instabis 2. S. Aug. Lib. 4. contra Julian. cap. 14. num. 65. docet, concupiscentiam seu libidinem, quæ nos ad sentiendum, sive consentientes ibid. p. 615. D. mente, sive repugnantes, appetitu carnalis voluptatis impellit, contrariam esse dilectioni sapientiarum, & virtutibus inimicam. At, quod contrarium est dilectioni, & virtutibus inimicum, non potest esse a Deo: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Docet contrariam esse dilectioni per accidens, concedo: per se, nego. Distinguo pariter min. Quod contrarium est dilectioni per se, non potest esse a Deo, concedo. Sic habitus vitiosus avaritiae, incontinentiae &c. quia per se, ac nativa sua conditione inclinat ad actus malos, non potest esse a Deo. Quod est contrarium dilectioni per accidens dumtaxat, & contra intentionem operantis, ac conditionem operis, nego.

Porro concupiscentia , hoc tantum posteriori sensu dici potest contra-
ria dilectioni , non priori .

Instabis 3. S. Aug. disputans cum Juliano , eo ipso sensu contendit concupiscentiam esse malam , quo Julianus asserebat eam esse bonam : atqui Julianus asserebat concupiscentiam , prout est inclinatio in bonum sensibile , eaque ratione pugnat contra spiritum , bonam esse ; libidinem vero ipsam , seu excessum concupiscentię esse malum , non diffitebatur Julianus , testan-
Ibid. p. te ipsomet S. Aug. *Quid te adjuvat* , inquit alloquens Julianum L. 5. adver-
645. A. sus ipsum , c. 7. n. 29. quod reprehendere videris ejus excessum , cuius approbas motum ? Tunc enim excedit licitum limitem , quando ejus motibus ceditur . Ma-
la tamen est , & quando non ceditur ; quia malo resistitur , ne bonum castitatis intereat , si huic malo non resistatur . Et L. 4. c. 14. versus finem n. 73. dixerat : *Excessus , inquis , ejus* (nempe concupiscentię) *in culpa est* . Et L.
Ibid. p. 620. C. 2. de nuptiis , & concupisc. c. 19. n. 34. Julianus dicebat : *Merito , &*
Ibid. p. in bene utentibus genus concupiscentię modumque laudatur : & in turpibus , ex-
318. E. cessus ejus punitur . Nimirum quia , ut ait ibidem , concupiscentiae natura-
lis qui modum tenet , bono bene uitur ? qui modum non tenet , bono male uti-
Ibid. G. tur . Modum vero illum seu limites in usu concupiscentię carnis , defi-
niebant intra terminos legitimi matrimonii ; ita ut excessum illius in
fola fornicatione , & adulterio collocarent . Similiter usu aliarum con-
cupiscentiarum permittere videbantur , dummodo nemini afferrent injuri-
am aut detrimentum . Ergo S. Aug. contendit concupiscentiam , prout
est simpliciter inclinatio in bonum sensibile , esse malam .

Resp. 1. Julianum non satis aliquando distinxisse inter concupiscen-
tiam , & libidinem ; unde utramque bonam esse videbatur affirmare .
Ibid. p. Quod quidem ipsi exprobat S. Aug. L. 4. adversus ipsum , c. 14. n. 65.
615. E. Hanc , inquit , (libidinem) si voluisses , vel voluisses a sentiendi vivacitate ,
utilitate , necessitate discernere , videres , quam superfluo tam multa dixisses .

Resp. 2. distingo maj. S. Aug. &c. in praesenti naturę lapsę statu , con-
cedo : in statu possibili , de quo non disputat S. Doctor cum Pelagianis ,
nego . Distinguо min. Julianus contendebat concupiscentiam in praesenti
statu esse bonam , nec eam ex originali peccato , quod negabat , defluere ,
concedo : in alio statu possibili , de quo nulla tunc erat inter ipsum , & S.
Augustinum controversia , nego . Itaque Julianus contendebat ipsam con-
cupiscentiam in praesenti statu , quatenus adversatur legi mentis , bonam
esse , ac laudabilem : econtra , S. Aug. ostendit eam esse malam , quia ex
peccato venit . Cum enim homo sit a Deo conditus justus ac innocens ,
absque ulla partis inferioris contra superiorem pugna , & rebellione ;
recte demonstrat concupiscentiam , quae nos ad sentiendum , five con-
sentientes mente , five repugnantes , appetitu carnalis voluptatis impel-
lit , malam esse ac supplicium praecedentis peccati .

Resp. 3. distingo aliter maj. propositionem . Julianus contendebat
concupiscentiam esse bonam , ita ut in potentiali concupiscentia nullum
agnosceret vitium , sed solum in actuali ; sicut in potentia visiva non
est vitium , sed dumtaxat in visu vel curioso , vel lascivo , concedo :
ita ut agnosceret vitium in concupiscentia potentiali , seu ipsa facultate
concupisciendi , nego . Julianus enim hanc facultatem læsam non existi-
mabat , qui vulnus originale non agnoscebat .

Quapropter in sententia Juliani, concupiscentia est velut equus bonus cuius equitatio nonnunquam vitiosa est, quando sessor malus illum male regit. At vero in sententia S. Aug. concupiscentia est equus malus; unde Julianum sic arguit, L. 3. aduersus ipsum c. 20. initio: *In. lib. p. 571.* *cipis, inquit, disputare de excessu concupiscentiae, quem reprehensibilem dicis: B.* *quasi in ejus moderatione, cum ea bene utitur conjugatu., equus ipse, qui ma-*
lus est, & non potius sit ejus auriga laudandus.

Nos vero fatemur, concupiscentiam, tum potentialem, tum etiam actua-
lem, malam esse, quoties ratione non regitur. Dicimus, equum illum, &
equitationem, dum ei plusquam decet, habendas laxamus, malam esse,
sicque nostra doctrina longe distat a doctrina Juliani. Itaque Julianus, ac Pe-
lagiani, non in eo errabant, quod concupiscentiam in se generatim sum-
ptam, prout est inclinatio in bonum sensibile, bonam esse dicerent,
vel quod ejus excessum contra rationem culparent; in utroque enim ca-
pite consentientem sibi habebant S. Aug., sed in eo errabant illi.

I. Quod in ipsa concupiscentia, qualis nunc est post lapsum Adami,
nullum defectum, nullum vitium agnoscerent; ac difficultatem, quam
in bono prosequendo jam experimur, ex mala dumtaxat consuetudine,
non ex peccato primi parentis profluere affirmarent. Econtra, demon-
strabat S. Aug. difficultatem illam, ac luctam carnis & spiritus, esse
penam originalis peccati, per quod, amissa naturæ integritate, Adam
cum sua posteritate in deterius mutatus est, ut ait Conc. Trid. sess. 5.
Can. 1. post Arausicanum Can. I.

II. Peccabant Pelagiani in eo, quod in laudes concupiscentiae, præ-
fertim vero carnalis, impudentius fese effunderent: quod saepius ipsis
exprobrat S. Aug. L. 1. contra Jul. c. 3. & 6. Et Lib. 4. c. 2. Et L.
6. de Nupt. & Concup. ultimo.

III. Peccabant in eo, quod difficultatem seu languorem, & infirmita-
tem naturæ tolli dicerent per Baptismum: ac nisi somes concupiscentiae
extinguueretur; fore, ut non tollerentur peccata, sed tantum raderentur,
subinde renascitura capillorum instar, & incrementum acceptura. At econ-
tra, ostendebat S. Aug. 1. Concupiscentiam illam post Baptismum remane-
re, nec culpæ imputari, nisi cum extra limites rationis ex consensu vo-
luntatis excurrit. 2. Per Baptismum omnia peccata penitus tolli, ac de-
lieri, cum nihil damnationis sit in iis, qui sunt in Christo Jesu. Pecca-
bant denique in eo, quod nimis confuse & indistincte affirmarent, con-
cupiscentiam sumptam pro potentia appetendi bonam esse. Quamquam
enim bona illa sit, quatenus simpliciter est inclinatio in bonum sensibili-
le; attamen, quatenus ad motus inordinatos impellit, ac sollicitat, im-
perfecta est, ac vitiosa: quæ imperfectio ex peccato originali profluit.
Quemadmodum, quod intellectus possit verum attingere, perfectio na-
turalis est: quod autem falli possit, & errare, imperfectionis est. San-
ctus porro Aug. disputans contra Pelagianos, nomen concupiscentiae
strictius sumit, & in malam partem: nempe pro inclinatione ad bona
sensibilia repugnante rectæ rationi, & ad peccandum vehementer inci-
tante. Quo sensu etiam a Pelagianis usurpabatur, ac tamquam bona
prædicabatur, quam S. Doctor malam esse contendebat, cum ex malo
eiset nempe peccato, & ad peccatum inclinaret.

Instabis 4. Si posset absolute homo creari cum concupiscentia, immrito S. Aug. adversus Julianum inveheretur, quod libidinem, & concupiscentiam introduceret in paradisum.

Resp. nego ant. S. enim Aug. arguit, ut sapientius diximus, ex supposito praesenti rerum statu & ordine, in quo homo a Deo creatus fuit in justitia originali absque ulla concupiscentia.

Instabis 5. Qui fatetur concupiscentiam esse malum aliquod, & tamem negant eam esse a peccato, ille sentit cum Manichaeis, ac Deum facit auctorem mali; atqui concupiscentia, in statu purae naturae, eset malum aliquod, neque tamen eset a peccato: ergo &c. Ita S. August.

Ip. p. 660. Lib. 5. contra Julian. cap. ultimo n. 66. Fatere igitur, ait, ingenitos esse C. & 661. homini motus malos, contra quos castitas dimicat. Et ne dicere cum Manicheis A. cogaris, alienae mali naturae nobis inesse commixtionem, nostrum potius originalem confitere languorem.

Resp. distinguo maj. Qui fatentur concupiscentiam esse malum aliquod morale culpabile, concedo: malum naturale, non culpabile, subdistinguo: qui hoc fatetur in praesenti statu, cum Manichaeis sentit, esto: in alio statu possibili, in quo concupiscentia foret proficiendi admonitio, & perfectionis exordium, ut loquitur S. Aug. Lib. 3. de libero arbitrio cap. 20. nego.

Instabis 6. Malo naturali licet consentire v. g. morbis, morti, &c. at non licet consentire motibus concupiscentiae: ergo motus illi non sunt malum aliquod naturale.

Resp. distinguo maj. Malo naturali licet consentire, si nullum sit peccandi periculum, concedo: si aliquod immineat peccandi periculum, nego. Porro consentire morbis, morti &c. nullum habet ex se esse adjumentum peccandi periculum; quia natura ab illis malis abhorret: at vero illud peccandi periculum praesens inest in motibus concupiscentiae; propter fragilitatem carnis, & propensionem in res sensibiles; quapropter, ejusmodi motibus consensum praebere non licet.

Objicies 2. Obex sapientiae, & virtutis non potest a Deo produci, quia scandalum est, ex Sancto Thom. 2. 2. q. 43. art. 1. in corpore. Atqui concupiscentia est obex sapientiae, & virtutis, ut liquet: ergo concupiscentia non potest a Deo produci.

Resp. distinguo maj. cum eodem S. Th. loc. cit. in resp. ad 4. Si per se sit obex, vel ex intentione operantis, vel ex conditione operis, concedo: si sit obex per accidens tantum; hoc est, praeter intentionem operantis, & praeter conditionem operis, nego. Hoc enim veri scandalizationem non haberi docet ibid. S. Thom.

Distinguo etiam min. Concupiscentia est obex sapientiae, & virtutis per accidens; hoc est, praeter intentionem operantis, & conditionem operis, concedo: per se, nego. Deus enim eo fine non produxit concupiscentiam, ut sapientiae ac virtuti obicem injiceret: neque etiam concupiscentia ex natura sua tendit in ruinam sapientiae, & virtutis; quandoquidem ex natura sua nihil est aliud, quam inclinatio in bonum sensibile: sed omnino per accidens contingit, tali inclinatione praepediri sapientiam, & virtutem, quia videbitur plerumque fit, ut mentem, quae fertur in bonum spiritale, pars inferior in sensibile propensa remoretur, avocet, & corporea inflectat.

Objicies 3. Non potest Deus producere habitum vitiosum, v.g. infundere alicui habitum luxuriæ: ergo neque habitualem concupiscentiam.

Resp. nego conseq. Ratio disparitatis est, quod habitus vitiosus ex se determinatus sit ad malum: unde non possumus eo bene uti: nullus enim honeste luxuriari potest. At vero concupiscentia non est facultas ad malum ex se determinata, ea siquidem bene utuntur conjugati, docente S. Aug. Lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum, ad Bonifacium cap. 16. num. 33. *Quo male*, inquit, *propter bonum generationis filiorum, bene utuntur pudica conjugia. Solius autem carnalis voluntatis causa libidini consentire, peccatum est; quamvis conjugatis secundum veniam concedatur.* Quapropter mala quidem est concupiscentia, quia pugnat cum rationis inclinatione; sed cum Deus ea pugna uti posset in bonum finem, scilicet in exercitium bonorum operum; posset etiam Deus illam producere.

Instabis. Opus Dei non potest esse pudendum, ex S. Aug. L. 1. ad Bonifacium cap. 15. & 16. Atqui concupiscentia, ex eodem S. Doctori, L. 1. de Nuptiis, & Concupiscentia cap. 22. est opus pudendum: ergo concupiscentia non potest esse opus Dei.

Resp. Distinguo maj. Opus Dei non potest esse pudendum, per modum mali culpabilis, concedo: per modum mali naturalis, subdistinguо: quatenus est opus Dei, concedo: quatenus est opus creature, nego. Eatenus enim est opus deficiens; adeoque pudorem incutit.

Distinguo min. Concupiscentia est opus pudendum, in ordine mali naturalis, concedo: in ordine mali moralis culpabilis, subdistinguо: in praesenti statu, concedo: in alio statu, nego. Nam si concupiscentia foret naturale primordium, Deus non foret culpandus, sed laudandus, ait S. Aug. Lib. 3. de libero arbitrio cap. 20.

Distinguо consequens. Concupiscentia non potest esse opus Dei, quatenus est malum morale, & culpabile, concedo: quatenus est malum naturale, subdistinguо: formaliter, & prout est deficiens, concedo: materialiter, & prout est inclinatio in bonum sensibile, nego.

Itaque, nunc erubescimus de concupiscentia, & in alio quoque statu erubuissemus, sed dispari modo. Nunc enim erubescimus de concupiscentia, eo quod sit opus diaboli, opus Adami peccatoris, opus nostrum, quod a peccato nostro dimanat: nunc ergo erubescimus de concupiscentia, tamquam de stigmate rebellionis. In alio vero statu erubuissemus de concupiscentia, tamquam de malo naturali, non secus ac nos jam pudenit deformitatis alicuius in corpore. Neque tamen pudor ille vitium fuisset ingrati erga Creatorem animi, quia ortus non fuisset ex ipso opere Creatoris, sed ex defectu operi annexo; quapropter concupiscentiae turpitudo in Dei dedecus nullatenus redundasset: sicut quod in ense rubiginem ferrum contrahat, non est defectus opificis, qui possit ipsi ad vitium imputari, sed nativa ferri conditio.

Objicies 4. Quod est inconveniens, fieri a Deo non potest: atqui concupiscentia in homine innocentе est aliquod inconveniens; ergo concupiscentia non potest esse in homine innocentе, nequidem divinitus.

*Ed. Gerb.
pag. 79. col. 1. C.* Major est S. Anselmi L. 1. cur Deus homo cap. 10. ubi sic ait : *Ia
Deo quodlibet parvum inconveniens sequitur impossibilitas.*

Minor est ejusdem S. Doctoris, L. de conceptu virginali, cap. 13.

Resp. distinguo maj. Quod est inconveniens, non potest fieri a Deo; si sit inconveniens absolute seu positive, concedo: quia tunc nullam habere potest rationem convenientiae, ac consequenter a Deo nunquam esse potest. Sic fieri nequit, ut Deus mentiatur; quia mendacium est absolute, ac positive inconveniens. Si sit inconveniens comparativedumtaxat, seu minus conveniens, & diminutive, nego. Nam reparatio v. g. generis humani per satisfactionem puri hominis, est inconveniens comparate, seu minus conveniens; propterea quod multo convenientius fuerit, humanum genus reparari per satisfactionem Verbi Incarnati; nihilominus ramen potuit Verbum non incarnari, & acceptare satisfactionem puri hominis: ergo potest Deus facere aliquod inconveniens comparare.

Distinguo min. Concupiscentia est aliquod inconveniens in homine innocentie, inconveniens comparate, concedo: quia non ita conveniens est, hominem innocentem pati difficultatem in bono operando, ac hominem peccatorem: inconveniens absolute, nego. Nam innocentem homini concupiscentia congenita fuisse ad pugnam, quae peccatori infligitur in poenam.

Instabis 1. Deus non potest facere illud, quod est minus conveniens: atqui hominem innocentem produci cum concupiscentia est aliquid minus conveniens, ex concessis; ergo Deus non potest hominem innocentem producere cum concupiscentia.

Major probatur ex S. Anselmo L. 1. cur Deus homo cap. 10. *Sicut enim, inquit, in Deo quodlibet parvum inconveniens sequitur impossibilitas; ita quamlibet parvam rationem, si majori non vincitur, comitatur necessitas.* Ergo Deus necessario agit id, quod est magis conveniens; adeoque præstare non potest, quod est minus conveniens.

Resp. nego maj. Ad cuius probat. resp. explicando verba S. Anselmi. Si majori non vincitur, id est si non occurrat ratio, nec major absolute, nec major comparate, concedo: si occurrat aliqua ratio major saltem comparate, seu relative ad finem, quem Deus operando sibi proponit, nego. Quamvis enim pluralitas v. g. mundorum, forsitan aliquid melius foret abolute unitate mundi, quatenus scilicet amplior foret divinae bonitatis communicatio, ac manifestatio, attamen relative ad finem, quem Deus mundum creando intendit, melius est mundum esse unicum. Ita licet status naturæ puræ secundum se sit minus perfectus, quam status gratiæ, nihilominus si Deus producere illum vellet, melius dicendus foret relative ad finem, quem sibi proponeret, puta. ad manifestandam dignitatem animæ rationalis, quæ ita rebus corporeis excellit, ut ab eo gradu possit esse ejus ortus, ad quem alterius perditus est occasio: sic docet S. Aug. L. 3. de libero arbitrio cap. 20.

Instabis 2. Concupiscentia nulli bono foret utilis in statu puræ naturæ, quinimo valde noxia.

Resp. concupiscentiam fore causam pugnandi, & admonitionem non superbiendi: sicut enim in præsenti statu naturæ reparata, non penitus

nitus extinguitur in carne continentium Sanctorum illa concupiscentia, ut, dum pugnatur adversus eam, periculorum suorum animus admonetur, ne securus infletur, teste S. Aug. ita pariter in statu puræ naturæ prodest posset concupiscentia, ut homo suæ admoneretur infirmitatis, & ejus virtus in infirmitate perficeretur. Instabis 3. Hæc ratio ostendit concupiscentiam potuisse etiam reperiri in Adamo ante peccatum; atqui consequens illud falsum est. Siquidem S. Aug. graviter Julianum increpat, quod libidinem introduceret in paradisum.

Resp. nego sequelam maj. Etenim Deus, singulari quadam, & gratuita bonitate, Adamum fecit rectum, adeoque libidinis, seu male concupiscentiæ prorsus immunem. Hæc quidem effrenata in res sensibiles propensio, est veluti spiritalis quadam animæ curvitas in terram, iusta istud Psalmi 37. v. 7. *Miser factus sum, & curvatus sum usque in finem.* Adeoque non potuit Deus primum parentem producere cum ejusmodi concupiscentia: tunc enim non rectum produxisset, sed curvum.

Objectiones ex parte miseriарum, quibus homo subjacet.

Objicies 1. S. Aug. pluribus in locis demonstrat contra Pelagianos, tam intimam, ac necessariam esse connexionem inter miseras, quibus affligimur, & peccatum originalis, ut injustus vel impotens foret Deus, si hominem absque ullo prævio peccato iis miseriis, quibus jam subjecet, obnoxium crearet; ergo cum plane impossibile sit, Deum injustum esse, aut impotentem, consequenter impossibile est Deum creare hominem, qui sine ullo prævio peccato, obnoxius sit iis omnibus miseriis, quibus jam premitur. Antecedens probatur verbis ipsis S. Aug.

Lib. 4. contra Julian. cap. ultimo n. 83. *Quid restat, inquit, nisi ut T. 10. p. causa istorum malorum sit aut iniquitas, vel potentia Dei, aut pena primi, 624. C. veterisque peccati? Sed quia nec injustus, nec impotens est Deus: restat, quod D. non vis, sed cogeris confiteri, quod grave iugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium non fuisset, nisi delicti originalis meritum præcessisset.*

Et Lib. 1. Operis imperfecti n. 25. *Nullo modo, inquit, sub cura omni- Ibid. p. potentis & justi (Dei) eadem tam magna miseria naturæ irrogaretur huma- 884. C. nae, nisi in duobus hominibus tota de paradisi felicitate in hanc felicitatem pec- cati merito pelleretur.*

Et Lib. 2. ejusdem operis n. 104. sic Julianum negantem originale peccatum irridet: *Qued nolens videre clavis oculis clamas & justum Dei 994. A. esse judicium, & non esse originale peccatum. Quæ duo inter se quam sint contraria, procul dubio cerneret si sanum caput haberet.*

Resp. distinguo maj. In præsenti nature statu, ac supposita creatione primi hominis in justitia, & sanctitate originali, a qua non nisi per peccatum excidit, & in tantam miseriарum voraginem delapsus est, concedo: in alio statu, qui revera non extitit, sed possibilis est, nego. Itaque S. Aug. ut sepius dictum fuit, contra Pelagianos disputat, non ex hypothesi possibili, quæ nusquam extitit, sed ex præsenti rerum ordine; hoc est, supponendo primum hominem a Deo rectum, & immortalem fuisse conditum, iis scilicet omnibus animi, & corporis dotibus in-

instruētum, quibus perfecte beatus reddebat: a quo quidem felici statū ille non excidit, tot miseriis ac calamitatibus subinde obnoxius factus, nisi in peccatum, ac supplicium peccati. Quare jure merito S. Doctor demonstrat tam arctam, & intimam esse in prælenti rerum ordine connectionem inter miseras quibus affligimur, ac peccatum originale, ut injustus vel impotens foret Deus, si absque illo prævio peccato, hominem, quem tot donis in sua creatione exornaverat, in tot calamitates, ac miseras dejecisset. Igitur vita præsentis miseras, tamquam peccatas ac supplicia peccati merito considerat S. Aug. non vero tamquam malitia naturalia. In alio autem statu possibili, miseras illas fore naturæ primordia, docet idem S. Doctor contra Manichæos Lib. 3. de libero arbitrio cap. 23. ubi scribit, paryulos subdi potuisse miseras, quamvis

T. 1. p. 638. B. innocentias nascerentur: *Sive quia eorum cruciatibus duriā majorum contunditur, aut exercetur fides, aut misericordia probatur: sive propterea, quod nemo novit, quid ipsis parvulis in secreto judiciorum suorum bona compensationis reservet Deus, quamquam nihil recte fecerint, tamen nec peccantes aliquid ista perpetrari possunt.* Ibidem docet belluas, quæ peccato non sunt obnoxiae, multis affligi posse doloribus. Denique decretorium est, quod scribit idem S. Doctor L. 6. de Genesi ad Lit. c. 25 nempe, primum hominem creatum fuisse immortalem, *quod ei praestabatur, inquit, de ligno vite, non de constitutione nature.*

I. p. 210. D. Instabis 1. Si Sanctus Augustinus adversus Pelagianos egisset ex suppositione justitiae originalis, ac felicitatis Adamo primitus concessæ, ejus disputatio sophistica plane fuisset, ac perpetuo laborasset vitio petitionis principii: namque supposuisset id, quod erat in controversia positum.

Resp. nego sequelam antecedentis. Qui enim probat, quod supponit, is non laborat vitio petitionis principii: atqui S. Aug. sæpius probaverat, tum ex Scriptura, tum ex Traditione, primum hominem justum, & inexterminabilem a Deo conditum fuisse, eumque nunquam moritum, si non peccasset. Ex Scriptura quidem, puta ex 2. & 3. cap. Genesios Lib. 1. de peccatorum meritis cap. 2. ex Traditione vero L. 1. contra Julianum cap. 5. n. 20. ubi alloquens Julianum dicebat: *Habes in conspectu, non solum Occidentis, verum etiam Orientis Episcopos Omnes uno, eodemque modo credunt, per unum hominem peccatum intrasse in mundum, & per peccatum mortem &c.* Multis aliis in locis idem argumentum tractaverat S. Doctor. Vide, quæ superius dicta sunt art. 2. præsentis 2. questionis.

Ibid. p. 3. Ibid. 1. Et lib. 1. n. 20. ubi alloquens Julianum dicebat: *Habes in conspectu, non solum Occidentis, verum etiam Orientis Episcopos Omnes uno, eodemque modo credunt, per unum hominem peccatum intrasse in mundum, & per peccatum mortem &c.* Multis aliis in locis idem argumentum tractaverat S. Doctor. Vide, quæ superius dicta sunt art. 2. præsentis 2. questionis.

Ibid. p. 1001. B. G. Instabis 2. S. Aug. docet etiam seclusa Scripturæ auctoritate, ex solis vitæ hujus miseras colligi posse alicujus primævi peccati existentiam; ac ipsomet Philosophos Gentiles tale peccatum subodoratos fuisse ex sola miseriarum, quibus homo premitur, consideratione.

Ibid. p. 1001. B. G. Libro 2. Operis imperfecti contra Julianum n. 119. *Cum dicitis, inquit, nullum peccatum parvulis imputandum, injustum facitis Deum, qui eis grave jugum a die exitus de ventre matris imposuit. Quod et si Scriptura non diceret, quis tam cœcus est mente, qui non videat miseriam generis humani a fetibus incipere parvolorum?*

Ibid. p. 284. C. Et lib. 1. n. 25. dixerat: *Quid apertius, quam quod ait Apostolus, peccatum*

catum in hunc mundum per unum hominem intrasse, & per peccatum mortem,
 & ita in omnes homines pertransisse? Quod si probare idem cogeretur Aposto-
 lus, ipsam humani generis miseriari testem daret, que incipit a vagitibus par- *Ibid. p.
 vulorum, & usque ad decrepitorum gemitus pervenit.* *626. E.*

Libro denique 4. contra Julianum cap. ultimo num. 93. de Philosophis sic loquitur: *Hujus evidentia miseria gentium Philosophos, nihil de peccato primi hominis sive scientes, sive credentes, compulit dicere, ob aliqua scelera suscepta in vita superiore paenarum luendarum causa nos esse natos, & animos nostros corruptilibus corporibus, eo supplicio, quo Hetrusci predones captos affligere consueverant, tamquam vivos cum mortuis esse conjunctos.*

Resp. 1. Certam existentem peccati originalis notitiam, ex una fide *Ibid. p.
 haberri posse. Ita declarat ipsem S. Aug. 1. 6. contra Julianum c. 4. 668. E.
 n. 10. ubi monet, argumentationes hominum hic conticescere debere.
 Si tibi (Julianum alloquitur) Christiana fides displiceret, apertius confite-
 nam Christianam fidem aliam non potes invenire.*

Resp. 2. Ex miseriis hujus vitae tamquam ex effectibus, & in praesenti
 statu posse unumquemque facile intelligere, primaevum aliquod extitisse peccatum, in cuius paenam, ac vindictam Deus hominem tot calamitatibus subjecit. Quae certe probatio facilis est, & unicuique obvia: cum nemo sit, qui propria sua experientia calamitates illas non sentiat: attamen decretoria omnino illa non esset, nisi fide edocti essemus, primum hominem justum, & immortalem a Deo conditum fuisse; nec tam miserum subinde factum, nisi in paenam peccati, quod in omnes pertransiit. Scriptura igitur auctoritas necessaria quidem non est, ut certi simus de miseriis hujus vitae, quas experimur; sed ut veram earum in praesenti statu causam, & originem detegamus.

Resp. 3. Philosophos illos Gentiles, ex conjectura dumtaxat ac suspicando, primaevum aliquod hominis peccatum subodoratos fuisse: sive ex intimo quodam, ac innato primaeve hominis felicitatis sensu ac desiderio; sive ex lectione Librorum Moysis; sive ex consuetudine, ac commercio cum Iudeis. Quod vero, ex illa Gentilium Philosophorum sententia dicit Aug. argumentum, non palmarie nec demonstrativum est, sed conjecturale dumtaxat. Solvi etenim facile potuisset a Pelagianis, dicendo; Philosophos Gentiles in illam opinionem falsa suppositione inductos fuisse; fingebant enim animam conditam fuisse ante corpus. Conjectura tamen illa apposite usus est S. Aug. duabus de caussis. 1. Ut Julianum comprimeret, etiam Philosophorum Gentilium, quos ipse in patrocinium sui erroris laudaverat, auctoritate. 2. Philosophi Gentiles dixerunt quidem miseras, quas patimur, supponere peccatum; quod verissimum est: at non dixerunt, illas ab Omnipotenti Deo infligi potuisse innocentia creature in bonum finem, quia nempe de praesenti statu loquebantur, non de possibili.

Objecies 2. Homo innocens non potest a Deo justo creari dolori obnoxius. Atqui homo in statu naturae purae fuisse obnoxius dolori.

Resp. nego maj. Ex nativa enim hominis constitutione oritur, quod sit obnoxius dolori. Et brute ipsæ animantes nonne dolori subjacent absque ulla earum culpa? Dolor quippe ille utilis est, hominemque admonet unitatis, seu



intimæ conjunctionis, quam servare debet inter corpus suum, & animam. Audiatur S. Aug. l. 3. de libero arbitrio c. 23. n. 60. *Dolor*, inquit, quem bestiæ sentiunt, animarum etiam bestialium vim quandam in ipso genere mirabilem, laudabilemque commendat. *Hoc ipso enim satis apparet in regendis animandisque suis corporibus*, quam sint appetentes unitatis. *Quid est enim aliud dolor, nisi quidam sensus divisionis vel corruptionis impatiens?* Unde luce clarius apparet, quam sit illa anima in sui corporis universitate avida unitatis, & tenax.

ARTICULUS QUARTUS.

De aliis naturæ statibus possibilibus.

PRæter statum naturæ possibilem, de quo hactenus dictum fuit, duo alii etiam possibles videntur: primus est naturæ integræ, in quo homo fuisset sine peccato, & gratia saltem habituali seu sanctificante; at non sine auxilio quodam sive naturali, sive supernaturali, quo redederetur immunis ab iis infirmitatibus, quibus nunc subjacet. Secundus est naturæ lapse non reparata, vel non reparanda. Uterque vero status omnino possibilis videtur; quia nulla occurrit implicantia, ut per se patet; nec in iis fusius exponendis juvat immorari, cum ad graviora nobis fit properandum.

QUESTIO TERTIA.

De variis circa gratiam erroribus.

Errores illi spectant, vel necessitatem gratiæ, vel ejus agendi modum, seu efficaciam, vel denique ipsius effectus, justificantem scilicet, & meritum. De duobus prioribus erroribus hic dimittaxat verba faciemus.

Qui erraverint circa necessitatem gratiæ.

Pelagiani, duce Pelagio, a quo Pelagiana hæresis nomen accepit, necessitatem gratiæ, quam meritis humanis deberi affirmabant, inter ceteros acrius impugnarunt; Erroris tamen auctor, ac primus assertor non fuit Pelagius, quem multi ante ipsum præformarunt.

Qui ante Pelagium gratiæ necessitatem negaverint.

I. Stoici Philosophi, qui contendebant hominem ad optimam quæque capessenda sibi sufficere, partamque ex virtute laudem, totam esse hominis, nec a diis ullamius derivari; pro qua nulla ipsis gratiæ referenda sunt. Vitæ quidem hujus commoditates a diis se habere profitebantur, virtutem autem nemo unquam acceptam Deo retulit, ait Tullius l. 3. de natura Deorum. Inde est, quod sanctus Hieronymus, initio Epistolæ ad Ctesiphontem, asserat, Hæresim Pelagianam omnium bæ-

reticorum venena complecti, quæ de Philosophorum, & maxime Pythagoræ, &
4. part. 4. Zenonis principiis Stoicorum fonte manarunt.

II. Ex Judæis ad Christum conversis, circa gratiam errarunt, tum illi qui negabant gratiam Christi sine legis observatione sufficere ad salutem: adversus quos scripsit S. Paulus Epistolam ad Galatas; ubi pro-

bat

bat Christum gratis mortuum fuisse, si Circumcisio, ceteraque legalia necessaria forent; tum illi, qui de meritis Legis Mosaicae superbius gloriantes, gratiam Evangelii hujusmodi meritis debitam aserebant; ac Gentiles ad talem gratiam vocatos fuisse; in quo prorsus animo ferebant. Adversus quos idem sanctus Paulus gravissimam scripsit ad Romanos Epistolam, in qua duo demonstrat: primum gratiam Evangelii omnibus necessariam esse; & a Deo dispensari, sive Judais, sive Gentilibus, apud quem non est distinctio Judai, aut Graeci: alterum, gratiam illam plane gratuitam esse; nullisque praecedentibus meritis dari; alias, gratia non esset.

III. Origenes Pelagii errorem maxime circa necessitatem gratiae praeformavit, teste sancto Hieronymo, in citata ad Ctesiphontem Epistola. *Doctrina tua*, inquit alloquens Pelagium, *Origenis ramusculus est*. Ibidem, *Ibid. p. 477.* Originem vocat *Pelagiani erroris principem*. Tantum autem Pelagiani *477.* Origeni suo detulerunt, ut una illius auctoritate ducerentur: quapropter idem S. Hieronymus in fine dialogorum Pelagianos increpans dicebat: *Transite ad Amasium vestrum, qui preterita in calis, & antiqua delicta solvi dicit in Baptismo: cuius in ceteris auctoritate ducimini, etiam in hac parte errorum sequamini*. Quapropter Illustrissimus ac *Doctissimus Huetius p. 110.* Origenianorum I. 2. q. 7. n. 10. fatetur *Origenem nimio plus tribuisse legi naturae, & quæ peculari Dei auxilio debebantur, in generale auxilium transcripsisse*; quod, inquit, omnino Pelagianum est. Et n. 13. asserit *Originem docere, quidquid gratiae nobis largitur Deus, totum id nostræ voluntatis arbitrio acceptum esse referendum*. Quod si, pergit n. 14. *gratiæ auxiliis nos egeret aliquando agnoscat, gratiam solum voluntatis nostræ pedisse quam, ad ejusque nutum compositam, & pro meritis a Deo in homines erogatam; non excitantem, non gratis datam admittit*. Qui *Origenis loca videre voluerit, consulat opus jam indicatum Illustrissimi Huetii*.

IV. Theodorus Mopsuestiæ Episcopus, tres errores docuisse fertur. *P. Garnier dis. 1. de primis auctoribus, & defens. barefis; Pelagianis. na c. 2. p. 120.* Docebat siquidem Christum fuisse purum, simplicemque hominem, nec a reliquis diversum, nisi quod in eo Deus Verbum operaretur efficacius quam in ceteris. Ajebat deinde, hominem illum, meritis operum suorum ac viribus liberi arbitrii, ad hanc tantam gratiam pervenisse, ut filius Dei unicus diceretur. Denique negabat Filium Dei venisse ad peccatum originale tollendum, siquidem nullum agnosceret; sed ut omnibus exemplo, & magisterio prodesset.

A primo errore purgare Theodorum frustra tentavit Facundus, obnitente, ac contra definiente Synodo quinta generali.

Secundi vero erroris testis videri potest Marius Mercator, S. Augustinatus suppar, qui in Collectaneis ex Libris Theodori, istud ab ipso dictum refert. *Non invideo Christo, quod factus est Deus: Quod enim ipse factus est, ego ipse factus sum, quia meæ naturæ est*. *Part. 2. p. 264.* Tertium denique errorem manifeste prodit Theodorus ipse totis quinque Libris adversus S. Augustinum conscriptis, quorum excerpta a Matio Mercatore accepimus cum hoc titulo: *Theodori Mopsuesteni de secundo codice, Libro quarto, folio decimo contra sanctum Augustinum defendantem originale peccatum, & Adam per transgressionem mortalem factum &c.* *Part. 1. p. 97.*

Idem p. 30. Ipse Marius Mercator, in Libro subnotationum aperte testatur, Pelagio prævisse Theodorum. *Quæstio*, inquit, *contra Catholicam fidem apud nonnullos Syrorum, & præcipue in Cilicia a Theodoro quondam Episcopo Oppidi Mopsuesteni jam dudum mota, nunc usque penes paucos eorum admodum occulto roditur, nec ea palam profertur; sed ab ipsis, qui de ea cornicantur, velut Catholicis, intra Ecclesias interim retinetur.*

T. 10. p. 254. E. V. Rufinum quemdam Presbyterum, erroris Pelagi, & Cœlestiani magistrum fuisse testatur ipsemet Cœlestius apud S. August. L. de peccato originali, c. 3. Accusatus enim a Paulino Diacono Cœlestius coram Aurelio ceterisque Episcopis in Concilio Carthaginensi sedentibus, dixit, se doctrinam, de qua postulabatur, a Presbyteris in Ecclesia Catholica constitutis accepisse, præcipue vero a Rufino. *Sanctus*, inquit, *Presbyter Rufinus Roma qui mansit cum sancto Pamphilio: ego audivi illum dicentem quia tradux peccati noua sit.* Quis sit ille Rufinus Presbyter, an ille Aquileiensis, adeo famosus: tum propter Melaniæ peregrinantis comitatum, & Libros editos; tum propter graves inter ipsum, & S. Hieronymum contentiones; an alter natione Syrus, disputant Critici. Emin. Cardinalis Norisius in Historia Pelagiana L. 1. c. 2. & ceteri, vulgo existimant Rufinum illum esse Aquileensem. Doctissimus econtra Garnerius Marii Mercatoris editor, dissertatione 1. c. 3. non contempnendis argumentis contendit, illum Rufinum Syrum fuisse, ab alio Aquileensi plane distinctum. Quam controversiam, nos aliis dirimendam relinquimus.

Alios Pelagi erroris præformatores appellat sanctus Hieronymus, in Epistola ad Ctesiphontem: nempe Evagrium Ponticum, Sextum Philosophum, Palladium, Galatam, &c.

De Pelagio. Ejus patria, professio, ingenium, mores.

Natione Anglii. Professio Monachus. Ex majori Britannia seu Anglia ortum duxisse Pelagium, testatur S. Aug. Epistola 186. ad Paulinum, alias 106. c. 1. ubi scribit: Pelagium, ut ab alio Tarentino distingueretur, Britonem fuisse cognominatum. S. Prosper initio Carminis de ingratis, a quo Coluber Britanus dicitur. Orosius in Apologetico, & Marius Mercator in Commonitorio, eum pariter Britanum appellant. Ex obscuris parentibus illum ortum fuisse affirmit Orosius in Apologetico de arbitrii libertate.

T. 8. p. 25. E. Professione Monachus fuit Pelagius. Ita testatur S. Aug. L. de Hæresibus c. 88. *Pelagianorum*, inquit, *est hæresis, hoc tempore omnium recentissima, a Pelagio Monacho exorta.* Cum tria Monachorum genera tunc temporis distinguerentur, quorum alii in Monasterio, qui Cœnobiti; alii in desertis locis, qui Eremitæ sive singulares; alii suis in ædibus vivebant, qui apud Græcos aliquando Philosophi, apud Latinos vulgo Monachi vocabantur. Pelagius ex his postremis fuisse videtur, nec usquam ad sacros Ordines promotus; unde Laicus dictus est ab Orosio Apologetici c. 3. & a Zozimo Pontifice, in 2. Epistola ad Africanos. Quicunque enim ex Monachis non erant sacris Ordinibus initiati, ii inter Laicos recensebantur.

Ingenium. Aug. Libro de natura, & gratia c. 6. & 35. fervidum simul ac vehementis, ut testantur ejus ad pietatem adhortationes, ceteraque opera, quæ in unum volumen collecta non ita pridem lucem aspexere Antuer-

pix, hac inscriptione: Appendix Augustiana. Non minus litigiosum versipelle, sinuosum, dolis ac fraudibus deditum illius ingenium, produnt, ac manifestant varii illi flexus ac doli, quibus erroris sui caput dissimulare nitebatur.

Hominis artem ac fraudes in errore suo disseminando, his verbis ele-
ganter describit Commentator Marii Mercatoris, dissertatione prima,
quæ est de primis anætoribus & defensoribus hæresis Pelagianæ. Haec,
inquit, Pelagio erant artes hæresim disseminanti. Nihil de suis mysteriis aper-
te vulgo credere, sed fidis tantum auribus. Si quid dogmatum emanasset in
publicum; negare palam, quod in cubiculis doceret. Si aperte proponendus er-
ror, alienam inducere personam, si suo nomine loqui cogeretur, dubitantis mo-
re, timideque afferre, de quo simularet se velle doceri. Si ex Libris arguere-
tur eujusdam assertionis, Libros caussari, vel non esse suos, vel prius subre-
ptos, quam emendantur. Si ex confessis urgeri contingerent, sententias inter-
pretari verbis perplexis, & in speciem Catholicis. Si necessitas foret, Ecclesiæ
nonnulla damnanti consentire, damnare libenter omnia, sed, ut ajebat, Ecclesiæ
sensu, idest, eo, quem postea fingeret ad arbitrium. Si aliquando fidem expo-
nere deberet, copiose prosequi plurima, de quibus non interrogaretur: de re
vel nihil, vel ambiguum quiddam eloqui, imitari serpentes, qui, ut ait Oro-
fius Apologetici cap. 1. cum tuendi solius capitis caussa reliquum concisioni at-
que injuria corporis opponunt, nihil damni arbitrantur, ea tantum sui parte a
periculo libera, quæ multimodas, venenatasque in se obtinet linguas, etiam
membris omnibus imputetur.

Quoad mores autem Pelagii attinet; eos, saltem specie tenus, ita Mores:
compositos & probatos habuit, ut pietatis laudem assecutus aliquando
fuerit. Unde S. Aug. L. de gestis Pelagii c. 22. initio ait: Pelagiū no- T. 10. p.
men cum magna ejus laude cognovi. Et Epistola 186. jam citata, initio 216. E.
testatur se olim dilexisse Pelagium. Et l. 3. de pecc. mer. & rem. C. I. T. 2. p.
ait, eum tamquam virum sanctum habitum fuisse. Post paucissimos dies, 663. G.
inquit, legi Pelagii quedam scripta, viri, ut audio, sancti, & non parvo 71. D.
prefectu Christiani. Ex quibus inferes, Pelagium, si non veram ac soli-
dam, saltem fucatam habuisse virtutem. S. Chrysostomus, Epistola quar- Ed.N.T.
ta ad Olympiadem in fine, ait: De Pelagio Monacho magno dolore affectus 3. p. 577.
sum. Cogita igitur quot quantisque coronis digni sint, qui forti animo in acie
steterunt, cum viros qui tam pie ac sancte, tantaque tolerantia vixerunt, abri-
pi, atque in fraudem impelli videamus.

Suspicantur nonnulli, Pelagium, de quo S. Chrysostomus, alium esse
ab eo de quo hic loquimur. Cum enim, inquiunt, haec Epistola scripta
sit anno Christi 405. quando in exilio versabatur Chrysostomus, & Pe-
lagius adhuc fama sanctitatis floreret anno 413. quo S. Aug. scripsit
Lib. de peccatorum meritis, postquam anno superiore 412. Cælestinus apud
Carthaginem in Episcopali Judicio excommunicationem meruisset; ut
ipse ait l. 2. Retract. c. 33. verisimile non est, Pelagium illum, de quo
loquitur sanctus Chrysostomus, fuisse hunc ipsum hæresiarcham, cuius
errores tardius Græcis, & Orientali Ecclesiæ innotuerunt.

Quidquid sit de illa pietatis, ac sanctitatis opinione, qua floruit aliquando
Pelagius, ab ea certe, detracta larva, subinde multum excidit. Extat enim
apud Isidorum Pelusiotam accrima eujusdam Pelagii Monachi repre-

Artes
Pelagii
in erro-
re dis-
semi-
nando.
P. Gar-
nerius p.
134.

hensio, L. i. Epistola 314. In eo carpit 1. mentis inconstantiam, quod gyro vagus de Monasterio in Monasterium subinde migraret. 2. ventris ingluviem, & temulentiam, quod crassiores caminos, nidores culinarum, & mensas laudiores exploraret. 3. adulatorium, & versipellem animum, quod iis, qui Magistratum gerebant, ad blandiretur.

Neque etiam de Pelagio hæresiarcha hæc dicta esse contendunt nonnulli, quod temporis ratio non permittat: quia scilicet hæc de Pelagio jam senescente dicuntur, quasi hæresim senex dumtaxat sparsisset; cum tamen certum sit, Pelagium hæresiarcham diu, longe lateque peregrinatum esse, postquam hæreses suas disseminare cœpit; adeoque ante senectutem, priusquam cinis aspersum caput haberet, in eas lapsum esse. Cum etiam constet ex S. Aug. L. de gestis Pelagii c. 22. & L. 3. de pecc. mer. c. 2. Pelagium etiam tunc, cum in Occidente, ipsaque Urbe Roma errores suos scriptis, Libris, & Epistolis spargeret, magna laude claruisse, sanctum que, & non parvo proveetu Christianum audivisse.

Verum, cum incertum sit quo præcise anno hæc scripserit Isidorus, (vivebat autem etiam post annum 431. siquidem eodem L. Epistola 310. ad Cyrium, meminit Synodi Ephesiæ eodem anno celebratæ) non est, quod ejus testimonium omnino infirmetur: præsertim cum habeamus alterum coætaneum testem Orosium, in Apologetico c. 27. qui Pelagium ministrum

Ed. Col. mensarum, itemque balneis, epulisque nutritum dixit. *Sed tibi,* inquit,
p. 748. *specialis inde portandi oneris fortasse fiducia est, quod balneis, epulisque nutritius,* latos humeres gestans robustamque cervicem, præferens etiam in fronte pinguedinem. *Nimirum,* ait Cardinalis Norisius, ex illorum tunc temporis *Pelagia-* *Monachorum grege erat Pelagius,* de quibus hæc quidem lepide scribit *na L. 1.* Hieronymus in Epistola ad Pamphilium: *Miror, cur carni detrahentes* *cap. 3.* *vivant carnaliter, & inimicam suam foveant, & nutriant delicate, nisi forte implere volunt Scripturam dicentem: Amate inimicos vestros.*

Errores Pelagii.

Non ferunt angusti hujus Tractatus limites, ut per annos singulos digesta Historiæ Pelagianæ capita fusi prosequamur. Quas partes copiose, & accurate perfecerunt e recentioribus, in primis Eminentissimus Card. Norisius in Historia Pelagiana, Marii Mercatoris Commentator Parisinus, & auctores recentioris editionis Operum S. Aug. in ampla præfatione tomo decimo præfixa. Nobis hic satis erit Pelagii errorem, variosque ejus flexus, ac sinus circa gratiam Christi paucis aperuisse. Unum vero hic Augustinum audiēmus, qui proprius errorem illum inspexit, & cum Pelagianis congressus est.

T. 10. p. 226. S. igitur Aug. L. de gestis Pelagii c. 35. compendiose referens, quæ in Diopolitana Synodo, Pelagio, ejusque discipulo Cælestio objecta fuerant errorum capita, quindecim articulis totam eorum doctrinam complexus est. Quam L. de dono persev. c. 2. pressius ad tria generatim revocat capita, totidem fidei nostræ articulis opposita. *Tria sunt,* inquit, *quæ maxime adversus eos Catholica defendit Ecclesia. Quorum unum est, gratiam Dei non secundum merita nostra dari; quoniam Dei dona sunt, & Dei gratia etiam conferuntur merita universa justorum. Alterum est, in quantacumque iustitia sine qualibuscumque peccatis in hoc corripibili corpore neminem vivere. Tertium est, obnoxium nasci hominem*

nem peccato primi hominis, & vinculo damnationis obstrictum, nisi reatus, qui generatione contrahitur, regeneratione solvatur.

Circa annum Christi 405. errorem suum disseminavit hæresiarcha Pelagius, & quidem arte multipli, variisque flexibus. Erat enim ver-sipellis mirus fallendi artifex, qui varias, pro data opportuna occasione, formas induebat. Sed erroris illius arcana propius exploranti vide-tur, sub diverso verborum cortice, eumdem semper errorem latitasse.

Primo itaque, vel ipso gratiæ nomine repudiato, aut saltem omisso, so-lam naturam sufficere dicebat, ac parem ad omnia Dei mandata observan-da, tentationes superandas, pravas extirpandas consuetudines, & ad quam-dam ἀπατειαν seu imperturbationem, ad ipsam denique vitam æternam assequendam. Ad hæc monstra doctrinæ exhorruere Catholici, *Disputantes contra gratiam pro libero arbitrio*, ait S. Aug. loquens de Pelagianis serm. 26. alias 11. de verbis Ap. c. 7. fecerunt auribus piis, & catholicis offendio-nem. Cœperunt horreri; cœperunt ut certa pernicioes devitari &c.

T. 5. p.
139. C.

2. Ad publicam invidiam, & offendionem Catholicorum declinandam, nomen gratiæ, ejusque necessitatem admittere visus est Pelagius. *Voca-*
bulo, ait S. Aug. L. de Gr. Christi cap. 37. *frangens invidiam, offendio-*
nemque declinans. At liberum hominis arbitrium, hoc est boni, malique facultatem, subdolus ille gratiam appellabat, quam homo absque ulla suis meritis a Deo in creatione gratis accepit, & pro qua gratias ipsius referre tenetur. Sic ille arguebat apud S. Augustinum serm. mox laudato c. 7. *Hoc ipso, quia liberum hominis arbitrium defendo, & dico, quia liberum arbitrium sufficiens est, ut justus sim, non sine gratia Dei dico; nec contra gratiam Dei dispu-to*. Sic vero probabat: *Cum dico liberum hominis arbitrium; vide quia hominis dico. Quid deinde? Hominem quis creavit? Deus. Quis si liberum arbitrium dedit? Deus. Si ergo hominem Deus creavit, & homini Deus liberum donavit arbitrium, quidquid potest homo de libero arbitrio, cuius gratiæ debetur, nisi ejus, qui eum condidit cum libero arbitrio?* Ad quæ Pelagii verba festive reponebat S. Aug. *Videte fratres mei, quo modo illam generalem gratiam prædicet, qua creatus est homo Videte accumen, sed vitrum: quasi lucet vanitate, sed frangitur veritate.*

T. 10. p.

246. G.

T. 5. p.
139. D.

Ibid. E.

Pari fraude ac subterfugio possibilitatem non peccandi alicui gratiæ deputabat Pelagius. Verum gratiam illam a natura non secernebat. *Ip-*
sa, inquit apud S. Augustinum Lib. de natura, & gratia c. 51. *non pe-*
candi possilitas non tam in arbitrii potestate, quam in naturæ necessitate est. *Quidquid in naturæ necessitate possum est, ad naturæ pertinere non dubitatur*
auctorem, utique Deum. *Quomodo ergo absque Dei gratia dici existimatur,* *quod ad Deum propriæ pertinere monstratur?* Ad quæ S. Aug. *Expressa est,* ajebat, *sententia quæ latebat, non est quemadmodum possit abscondi.* Ideo *Dei gratia tribuit non peccandi possibilitatem, quia ejus naturæ auctor est, cui pos-*
ibilitatem non peccandi inseparabiliter insitam dicit.

T. 10. p.
252. A.
B.

Cum Pelagiani a Catholicis urgerentur, ut gratiam a natura, & li-
bero arbitrio distinctam agnoscerent, non recusarunt illi quidem; no-mine gratiæ legem atque doctrinam subdole intelligebant. *Cum urgeri ce-*
perint, ait S. Aug. L. de Sp. & Lit. c. 2. n. 4. quomodo id præsumant afferere fieri
sine ope divina, reprimunt se, nec hanc vocem audent emittere, quoniam vi-
dent quam sit impia, & non ferenda. Sed ajunt, ideo ista sine ope divina non

Ibid. p.
87. E.

sieri, quia & hominem Deus creavit cum libero voluntatis arbitrio, & dando precepta ipse docet quemadmodum homini sit vivendum; & in eo utique adjuvat, quod docendo auferit ignorantiam, ut sciat homo in operibus suis quid evitare, & quid appetere debeat, quo per liberum arbitrium naturaliter insitum, viam demonstratam ingrediens, continenter, & juste, & pie vivendo, ad beatam eamdemque aeternam vitam pervenire mereatur. Et in fra c. 8. nu. 14. Laudamus, inquietabunt, Deum nostrae justificationis auctorem, in eo quod legem dedit, cuius intuitu noverimus quemadmodum vivere debeamus.

Hanc Pelagianorum fraudem ac versutiam sepius memorat, ipsisque objic. S. Aug. L. de Gr. Chr. c. 3. n. 3. L. 4. ad Bonif. c. 5. n. 11. & alibi.

Cum vero lex ac doctrina, nisi innotescat ac reveletur, juvare hominem non possit; Pelagius revelationem illam appellabat gratiam, qua mens re ipsa illustratur, sed ea non juvatur, nec excitatur voluntas torpens, & infirma.

Observat S. Aug. L. 4. ad Bonif. jam laudato cap. 5. nusquam Pelagianos gratiae Dei periculosius insidiatos esse, quam cum legem, ac doctrinam tam magnifice commendabant. Quam gratiam, dicebant illi apud Augustinum L. de Gr. Chr. c. 7. nu. 8. nos, non ut putas, in lege tantummodo, sed

Ibid. p. 233. E. F. & in Dei esse adjutorio confitemur... Adjuvat enim nos Deus, per doctrinam & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit; dum nobis, ne presentibus occuperemur, futura demonstrat. Dum diaboli pandit insidias; dum nos multiformi & ineffabili dono gratia celestis illuminat; &, ut alibi addit, dum nobis suadet omne, quod bonum est. Vera haec quidem, at non sufficient: nam praeter illam gratiam, qua mens per legem, ac doctrinam illustratur, alia necessaria est, per quam voluntas excitata, & roborata ea faciat, quæ facienda esse ostendit. Qua gratia, inquit S. Aug. L. de Grat. Chr. c. 12. agitur, non solum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus; nec solum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus.

Ibid. p. 731. D. 4. Pelagius libero arbitrio, legi, doctrinæ, ac revelationi addidit tamquam veram Christi gratiam, tum exempla Christi, tum peccatorum remissionem. Dicunt etiam, ait S. Aug. L. de gr. & lib. arb. c. 13. n. 26. gratiam Dei, quæ data est per fidem Jesu Christi, quæ neque lex est, neque natura, ad hoc tantum valere, ut peccata præterita dimittantur, non ut futura vitentur, vel repugnantia superentur. Hanc porro solam gratiam gratuitam esse, nec meritis retribui affirmabant Pelagiani, teste S. Aug. eodem Lib. c. 6. n. 15. *Ibid. p. 725. F.* Dicunt hanc esse solam non secundum merita nostra gratiam, qua homini peccata dimittuntur; illam vero, quæ datur in fine, idest vitam aeternam, meritis nostris præcedentibus reddi.

Ibid. p. 247. G. Ad hanc peccatorum gratuitam remissionem, velut gratiarum cumulum addebant exempla Christi, quibus velut efficacioribus adjumentis, homo ad bonum impellitur, & excitatur: quam quidem speciem gratia idcirco maxime necessariam hoc tempore pratendebant. Quod, ait S. Aug. L. de Gr. Chr. c. 39. non sufficit amplius sola lex, propter nimiam peccandi consuetudinem, nem, nisi Christi accedat, non inspiratio charitatis per Spiritum Sanctum, sed intuendum & imitandum in doctrina Evangelica virtutis ejus exemplum.

In hac exemplorum Christi gratia, mirum quantum vim, & efficaciam ad operandum bonum Pelagiani collocarent, quantumque ex ea præsidium ad errores suos occultandos repeterent. Hujuscce gratiae pretextu, dicere poterant

rant teste S. Aug. L. de Gr. Chr. c. 2. quolibet momento nos divina gratia adjuvari. Solent dicere, ait S. Doctor, nobis in eo Christum ad non peccandum ^{Ib. p. 231.} præbuisse adjutorium, quia ipse juste vivendo, justeque docendo reliquit exemplum: A. E. possunt etiam ad hoc ista verba coaptare, ut dicant, per singula momenta, per singulos actus necessarium nobis esse hujusmodi gratiam, idest, ut in omni conversatione nostra intueamur divinæ conversationis exemplum. ^{Ib. p. 243.}

Istam porro exemplorum Christi gratiam, reipsa a lege ac doctrina F. G. distinctam non esse, probat ibidem cap. 41. S. Aug. Adjutorium autem gratiæ, inquit, quæ proprie gratia nuncupatur, in Christi esse arbitratur exemplo: quod nihilominus ad doctrinam pertinere perspicitis, quæ nobis Evangelica prædicatur: ut videlicet, tamquam via demonstrata, qua ambulare debeamus, jam viribus liberi arbitrii, adjutorio nullo alterius indigentis, sufficiamus nobis, ne deficiamus in via. Sic latere se putabat Pelagius, ut dixerat ibidem c. 9. ^{Ib. p. 236.} S. August. cum aliis, atque aliis locutionibus versat significationem legis atque A. doctrinæ.

Observandum autem diligenter cum eodem S. Doctore Lib. de Gratia Chr. c. 3. & 4. Pelagium, ut majori arte errorem suum involveret, ac Catholicis illudceret, cum dicebat nos sine Dei gratia nihil posse, tria distinxisse: nempe possibilitatem, voluntatem, & actionem. Audiatur S. Aug. In Libris, inquit cap. 3. quos Pelagius edidit pro libero arbitrio, quo-^{Ib. p. 236.} rum mentionem facit in Epistola, quam Romanum misit... Cum tria constituant atque C. distinguat, quibus divina mandata dicit impleri, possibilitatem, voluntatem, actionem: possibilitatem scilicet, qua potest homo esse justus; voluntatem, qua vult esse ib. p. D. justus; actionem, qua justus est: horum trium primum, idest possibilitatem, datam Tria di- confitetur a Creatore naturæ, nec esse in nostra potestate, sed eam nos habere etiam si distingue- nolimus: duo vero reliqua, idest, voluntatem, & actionem, nostra esse afferit, gius: pos- bat Pelagi- atque ita nobis tribuit, ut nonnisi a nobis contendat. Et cap. 4. Sed ne quis for- sibilitan dicat, nos vel non recte intelligere, quæ loquitur, vel male volo animo in alium tem, vo- sensum, que non ita dicta sunt, vertere, ipsa jam verba ejus accipite. Nos, inquit, & action- fuitatem, luntate, sic tria ista distingui- posse statuimus, secundo velle, tertio esse. Posse in natura, velle in arbitrio, esse ib. F. G. in effectu locamus. Primum illud, idest, posse, ad Deum proprie pertinet, qui illud creatura suæ contulit: duo vero reliqua, hoc est, velle, & esse, ad hominem referenda sunt, quia de arbitrii fonte descendunt. Ergo in voluntate, & opere bono laus hominis est; imo & hominis, & Dei, qui ipsius voluntatis, & operis possibilitatem dedit, quique ipsam possibilitatem gratiæ suæ semper adjuvat auxilio. Quod vero potest homo velle bonum atque perficere, solius est. Sic perfidus ille per possibilitatem, solam naturam, quæ a Deo est, per gratiam vero, qua possibilitatem nostram adjuvari dicebat, legem, doctrinam, revelationem, peccatorum veniam, ac Christi exemplum, intelligebat.

Observandum 2. adjutorium gratiæ in mente Pelagii, absolute, ac sim-Gratia pliciter necessarium non suisse, sed tantum secundum quid, & ad facilium ^{necessaria ad facilius dumtaxat agendum.} Ita refert S. Aug. L. de Gratiæ Chr. c. 26. Gratiam Dei, cilius ait, quæ charitas diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datum dumtaxat est nobis, sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, xatagen- quod ad pietatem pertinet veramque justitiam, fieri posse non dubitet. Non quo-^{dum ex modo iste (Pelagius) qui cum dicit, propterea dari gratiam, ut quod a Deo præcipi- illa,} Pelagio- tur, facilius impleatur; quid de illa sentiat, satis ostendit, scilicet, quod etiam sine A. ^{Ib. p. 242.}

illa, et si minus facile, fieri tamen, quod divinitus præcipitur, potest. Idem fere *Ibid. F.* repetit cap. 27. Et cap. 29. postquam ista Pelagii verba commemoravit, ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam. Tolle, inquiebat S. Aug. facilius, & non solum plenus, verum etiam sanus est sensus... Cum autem facilius additur, adimpletio boni operis etiam sine Dei gratia posse fieri, tacita significatione suggeritur. Quem sensum redarguit qui dicit: *Sine me nihil potestis facere.*

Gratia ex Pela- Observandum 3. Pelagium (quamcumque tandem gratiam admiserit) docuisse illam gratuitam non esse, sed humanis meritis retribui. *Quam-*
tuita non libet sentiat gratiam, ait S. Aug. L. de Gratia Christi c. 31. num. 34. *ipſis est.* *Christianis secundum merita dari dicit.* Tum referet ista Pelagii verba de iis, qui Christiani non sunt. Illi (dicebat Pelagius) ideo judicandi atque damnandi sunt, quia cum habeant liberum arbitrium, per quod ad fidem venire possent, & Dei gratiam promereri; male utuntur libertate concessa. *Hi vero remunerandi sunt, qui bene libero utentes arbitrio merentur Domini gratiam, & ejus mandata custodiunt.* Quam erroneam sententiam sic refellit *ibidem* S. Doctor: *Ma-*
nifestum est eum dicere gratiam secundum merita dari, quamlibet eam, & el quam-
libet significet.... Nam cum eos remunerandos dicit, qui bene utuntur libero ar-
bitrio, & ideo mereri Domini gratiam, debitum eis reddi fatetur. Ubi ergo est illud Apostoli: justificati gratis per gratiam ipſius? *Ubi est, & illud, Gratia salvi facti estis?* *Et ne putarent per opera, addidit, per fidem.* Rursus ne ipsam fidem sine Dei gratia sibi putarent esse tribuendam; *Et hoc, inquit, non ex vobis, sed Dei donum est.* Nempe ergo illud unde incipit omne quod merito accipere dicimus, sine merito accipimus; id est ipsam fidem. Aut si negatur dari, quid est, quod dictum est: *Sicut unicuique Deus partitus est mensuram fidei?*

Ibid. p. Observandum denique, merita illa humana, quibus Pelagiani gratiam velut justitiae titulo debitam esse contendebant, fuisse in eorum mente *731. G.* boni cupiditatem, fidem, & orationem, *Cum fuerint convicti,* ait S. Aug. *Quibus meritis* gratiam, & lib. arbit. c. 14. non defensores, sed instatores, & præcipitatores *de gratia,* & lib. arbitrii, quia neque scientia divine legis, neque natura, neque sola remissio debitam peccatorum est illa gratia, quae per Jesum Christum Dominum nostrum datur, sed *elle Pe-* *lagius ipsa facit, ut lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur;* cum *conten-* debat. *ergo in his convicti fuerint, ad hoc se convertunt, ut quocumque modo conentur ostendere gratiam Dei secundum merita nostra dari.* Dicunt enim, & si non datur secundum merita bonorum operum, quia per ipsam bene operamur... tamen secundum merita bona voluntatis datur: quia bona voluntas, inquiunt, præcedit orantis, quam præcessit voluntas credentis, ut secundum hæc merita, gratia sequatur exaudientis Dei. Ex hac Pelagianorum doctrina S. Aug. L. de hæresibus cap. 88. merito infert, Ecclesiæ orationes ab illis funditus subverti.

T. 8. p. *26. C.* Hactenus de errore Pelagii circa necessitatem gratiæ, de quo vix ulla est inter Theologos discordia: duo vero supersunt, de quibus non consentiunt omnes.

Primum est, an Pelagiani necessitatem alicujus gratiæ interioris tandem aliquando admiserint.

Alterum, quæ præcise fuerit illa gratiæ species, de qua potissimum disputabat, & quam prorsus ex Ecclesiæ fide necessariam esse contendebat S. Aug. Pelagianos impugnans.

Uirum Pelagius gratiae alicujus interioris necessitatem aliquando tandem agnoverit.

Duplex distingueda gratia interior. Una, quæ ad intellectum, altera, quæ ad voluntatem pertinet. Prior est mentis illuminatio seu illustratio, per quam prædicatione forinsecus auribus insonante, interius menti proponuntur, ac revelantur, quæ credenda sunt fidei nostræ mysteria.

Posterior est motio seu excitatio Dei, qua voluntas ad actus veræ pietatis incitatur, & adjuvatur. Utrumque vero gratiam plane necessariam esse docet fides Catholica.

Gratia interioris illuminationis seu illustrationis spectari potest, vel ex parte tantum objecti, quod intellectui clarissim proponitur solis suis propriis viribus credendum; vel ex parte ipsius intellectus, qui ad credendum divina opitulante, & adjuvante gratia determinatur. Quæ fidei gratia etiam ex parte voluntatis piam includit, ac presupponit ad credendum motionem.

Quæstio est, an Pelagius utramque illam propriam, & interiorem gratiam tum mentis, tum voluntatis aliquando agnoverit. Sunt qui affirman, sunt qui negant.

Dicimus 1. Pelagium, præter externam legis ac doctrinæ propositi-
nem, admisisse interiorem illustrationis, & illuminationis gratiam ex parte quidem objecti melius propositi, non vero ex parte causæ, seu intellectus ad credendum divinitus excitati.

Probatur verbis ipsiusmet Pelagii apud S. Aug. L. de Gratia Christi c. 7. T. 10. p. 233. E. F.
Quam gratiam, dicebat hæresiarcha, non ut tu putas, in lege tantummodo, sed & in Dei adjutorio confitemur... Adjuvat enim Deus nos per doctrinam & revelationem suam, dum cordis nostri oculus aperit; dum nobis, ne presentibus occuperemus, futura demonstrat; dum diaboli pandit insidias; dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiae cœlestis illuminat.

Inde est, quod necessarias dicer orationes, ut Deus, ea quæ credenda & facienda sunt, nobis aperiat. *Ipsas quoque orationes*, ait S. Aug. L. de Grat. Chr. c. 14. *ad nihil aliud adhibendas opinatur, nisi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur; non ut adjuvetur mens hominis, ut id quod faciendum esse didicerit, etiam dilectione, & actione perficiat.* Tum addit: *Ipsum vero auxilium, quo possibilitatem naturalem perhibet adjuvari, in lege constituit atque doctrina, quam nobis fatetur etiam a Spiritu Sancto revelari, propter quod & orandum esse concedit.* Qui Pelagii fraudes satis perspectas non haberet, istis, & aliis hujuscemodi bene multis ipsis verbis forte persuaderetur, admissam ab illo veram, & interiorem gratiam voluntatis, & actionis: at quantum ab illa semper fuerit alienus, declarat, ac sapientissime inculcat S. Aug. imo vel mox laudata S. Doctoris verba hæc demonstrant. *Orationes ad nihil aliud adhibendas opinatur, nisi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur; non ut adjuvetur mens hominis, ut id, quod faciendum esse didicerit, etiam dilectione, & actione perficiat.* Ergo Pelagius internam revelationis, seu illustrationis gratiam admisit faltem ex parte objecti melius seu opportunius menti ad credendum propositi; non autem ex parte ipsius subjecti, seu intellectus, quem negabat cœlesti gratia juvari ac roborari debere, ut ad credendum inclinaretur.

Dices. S. Aug. L. de Gr. Chr. c. 47. declarat nullum amplius futurum

con-

controversiae locum cum Pelagio, si fateri vellet, voluntatem & actionem gratia Dei adjuvari. *Si conserit, inquit, etiam ipsam voluntatem, & actionem divinitus adjuvari, & sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus, & agamus... quantum arbitror, inter nos nihil controversiae relinquetur.* Porro si Pelagius non admisisset veram ex parte intellectus gratiam illuminationis & illustrationis, superfuisset ea ex parte controversia: hujusmodi quippe gratia plane requiritur, ut intellectus ad credendum moveatur, & excitetur.

Resp. isto dumtaxat sensu asserere S. Aug. nullum amplius fore controversiae cum Pelagio locum, si fateri vellet voluntatem, & actionem gratia Dei adjuvari, quia nempe semel admissa gratia voluntatis, nulla prorsus difficultas superest circa gratiam intellectus; & illa admissa, istam quoque admitti necesse est. Arguit S. Doctor quasi a majori ad minus. Si nempe Pelagius fateri vellet gratiam esse necessariam ad bonam voluntatem, & actionem, quanto magis fateretur necessariam illam esse ad credendum rebus a Deo revelatis? Credi enim non possunt sine pia voluntatis ad credendum motione, & excitatione.

Dicimus 2. Pelagium reipsa veram, & internam gratiam voluntatis, & actionis nulquam agnoscisse.

Centies id testatur S. Aug. 1. iis in locis, quibus declarat se veram Christi gratiam in scriptis Pelagii, quæcumque legerat, nusquam inventisse. L. de Grat. Chr. c. 30. *Istam, inquit, gratiam, qua justificamur, id est, qua charitas Dei diffunditur in cordibus per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, in Pelagii, & Cœlestii scriptis, quæcumque legere potui, nusquam eos inventi, quemadmodum confitenda est, confiteri.*

Ibid. p. 237. E. Et cap. 34. Nec alicubi potui reperiire, pergit S. Doctor, hanc eum gratiam confiteri: non solum possilitas naturalis voluntatis, & actionis, quam dicit nos babere etiam nec volumus, nec agimus bonum; sed ipsa etiam voluntas, & actio subministracione Spiritus adjuvatur.

Ibid. D. Et cap. 35. *An credit aliquod adjutorium bene agendi adjunctum naturæ, atque doctrinæ per inspirationem flagrantissimæ, & luminosissimæ charitatis, non apparel omnino.*

2. In iis ipsis Pelagii verbis, quibus tam magnifice gratiam Christi extollere ac commendare videtur, fraudem latere, unamque legis, ac doctrinæ gratiam propugnari contendit L. de Grat. Chr. c. 7. Postquam Pelagii verba retulit, quibus asserebat gratiam non in lege tantummodo, sed etiam in Dei adjutorio se conferri. *Adjuvat enim nos, inquietabat, per doctrinam, & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis, ne presentibus occupemur futura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum nos multiformi, & ineffabili dono gratia cœlestis illuminat.* In his omnibus, inquietebat S. Aug. non recessit a commendatione legis atque doctrinæ. Egregia plane videntur ac præclara, quæ idem Pelagius apud S. Aug. eodem L. de Gr. Chr. c. 10. de virtute gratiæ Dei prædicabat. *Operatur in nobis, dicebat, telle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium tantummodo presentia diligentes, futura glorie magnitudine, & priorum pollicitatione succendit; dum revelatione sapientie in desiderium Dei fluentem suscitat voluntatem; dum nobis suadet omne, quod bonum est.* Quam haec in speciem magnifica, & orthodoxa! attamen in his nihil nisi fraudem, errorem, & unam legis, ac doctrinæ gratiam deprehendit pro sua sagaci-

Ibid. G. *Quæ idem Pelagius apud S. Aug. eodem L. de Gr. Chr. c. 10. de virtute gratiæ Dei prædicabat. Operatur in nobis, dicebat, telle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium tantummodo presentia diligentes, futura glorie magnitudine, & priorum pollicitatione succendit; dum revelatione sapientie in desiderium Dei fluentem suscitat voluntatem; dum nobis suadet omne, quod bonum est.* Quam haec in speciem magnifica, & orthodoxa! attamen in his nihil nisi fraudem, errorem, & unam legis, ac doctrinæ gratiam deprehendit pro sua sagaci-

tate

tate S. Aug. Quid manifestus est, inquit eodem c. 10. nisi aliud eum dicere gratiam qua Deus in nobis operatur velle, quid bonum est, quam legem atque doctrinam? In lege namque, & doctrina Sanctorum Scripturarum futuræ gloriae atque præriorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam quod sapientia revelatur: ad doctrinam pertinet, cum suadetur omne quod bonum est. Et si inter docere, & suadere, vel potius exhortari distare aliquid videtur, etiam hoc tamen doctrinæ generalitate concluditur, quæ quibusque sermonibus vel litteris continetur.

Et cap. 3. de eodem Pelagio verba faciens, Gratiam Dei, ait, & adjuto-^{Ibid. p.} rium, quo adjuvamus ad non peccandum, aut in natura, & libero ponit arbitrio,^{231.C.D} aut in lege atque doctrina: ut videlicet, cum adjuvat Deus hominem, ut declinet a malo, & faciat bonum, revelando, & ostendendo quid fieri debeat, adjuvare credatur; non etiam cooperando, & dilectionem inspirando, ut id, quod faciemus esse cognoverit, faciat.

Et c. 4. postquam retulit Pelagium tria distinxisse, nempe possibilitatem, voluntatem, & actionem, hæc addit cap. 5. Scire debemus, quod nec voluntatem nostram, nec actionem, divino adjuvari credit auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis atque operis... & ideo non adjuvet ut velimus, non adjuvet ut agamus, sed tantummodo adjuvet, ut velle, & agere valeamus.

3. Denique, eam rejiciebat Pelagius gratiam, de qua cum Aug. disputabat, quam ab ipso ex publica Ecclesiæ fide exigebat S. Aug. Atqui de gratia voluntatis, & actionis disputabat Pelagius cum Augustino, istam ab ipso ex Ecclesiæ fide Aug. exigebat: ergo &c. Nos, ajebat S. Doctor ^{Ibid. p.} L. de Gratia Christi cap. 10. volumus eam gratiam iste aliquando fateatur, qua ^{235.D.} futuræ gloriae magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur, & speratur: nec solum revelatur sapientia, verum & amatitur; non solum suadetur omne ^{Ibid. F.} quod bonum est, verum & persuadetur... hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solum vocari, verum etiam esse Christianus.

Et cap. 13. Hæc gratia, si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius, ^{Ibid. p.} & interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per ^{236.D.E.} eos qui plantant, & rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultus; ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat charitatem.

Cap. 24. Legant ergo, & intelligent (Pelagi) pergit S. Doctor, in-^{Ibid. p.} tueantur, atque fateantur, non lege atque doctrina insonante forinsecus, sed inter-^{241.E.} na, & occulta, mirabili ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed bonas etiam voluntates.

Denique cap. 26. Gratiam Dei, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, sic confiteatur, qui vult veraciter ^{243.A.} confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque justitiam, fieri posse non dubitet. Non quomodo iste, qui cum dicit, propterea dari gratiam, ut quod a Deo præcipitur, facilius impleatur, quid de illa sentiat, satis ostendit; scilicet, quod etiam sine illa, et si minus facile, fieri tamen potest quod divinitus præcipitur.

His omnibus adde & quæ scribit Aug. ad Innocentium S. P. Epist. 177. T. 2. p. alias 95. Illam, inquit, confiteatur apertissime gratiam, quam doctrina Christiana demonstrat, & prædicat esse primam Christianorum, quæ non est naturæ, sed qua salvatur natura: quæ naturam non auribus sonante doctrinæ, vel aliquo adjumento visibili fovet, sicut plantator quodammodo, & irrigator

T. 10. p.
732. A. gator extrinsecus, sed subministrione spiritus, & occulta misericordia. Dices r. S. Aug. L. de gr. & lib. arb. c. 14. testatur Pelagianos tandem convictos agnoscisse gratiam distinctam a lege, doctrina, remissione peccatorum, &c. Cum in his, inquit, convicti fuerint, ad hoc se convertunt, ut quocumque modo conentur ostendere, gratiam Dei secundum merita nostra dari: dicunt enim, Et si non datur secundum merita bonorum operum, quia per ipsam bene operamur, tamen secundum merita bona voluntatis datur. Ergo tandem agnovere Pelagiani necessariam esse gratiam ad bene operandum, licet errarent in eo, quod contenderent gratuitam illam non esse, sed meritis bona voluntatis retribui.

T. 5. p.
735. E. Confirmatur ex eodem S. Doctore ser. 156. alias 13. de verbis Apostoli c. 11. & 12. ubi gratulatur Pelagianis, quod ad Catholicam veritatem accedentes, adjutricem gratiam agnoverint. Accedendo, inquit, proficere potuerunt, & ad id quod vere rectum est, pervenire. Jam ergo dicunt adjutricem esse gratiam Dei, ad facilius facienda. Propter quam eorum confessionem Deum benedit Aug. Et benedicimus Deum, inquit, quia vel hoc aliquando dixerunt.

Apud
Aug. T.
10. pag.
215. B. Resp. dist. ant. Pelagiani Catholicorum argumentis vici agnoverunt gratiam distinctam a natura, doctrina, & scientia legis, &c. quæ in sola interiori revelatione, seu illustratione mentis posita foret, concedo: in excitatione, motione, ac virtute quadam voluntati divinitus impressa, nego. Itaque præter externam Evangelicæ prædicationis gratiam auribus forinsecus insonantem, Pelagiani agnovere necessariam esse interiorem Spir. Sancti revelationem, seu illuminationem, & illustrationem mentis, non tantum, ut diximus antea, ex parte objecti melius propositi, sed etiam ex parte ipsius intellectus divinitus adjuti, & elevati. At gratiam voluntatis, & actionis illos agnoscisse, non probant verba citata, imo potius contrarium; Siquidem prætensa illa boni operis gratia, debetur meritis bona voluntatis. Ergo voluntas, ut bona sit, speciali Dei gratia, & adjutorio non indiget. *Nostra est victoria, inquietabat Cœlestius, quoniam propria voluntate arma suscepimus; sicut e contrario nostrum est, quando vincimur, quoniam armari propria voluntate contempsumus.* Atque inde est, quod Pelagiani motus indeliberatos gratiæ blandientis, dicentes occasiones esse, quibus voluntas excitata, propriis suis viribus agere poterat, vel non agere. *Voluntati, ajebat Julianus apud S. Aug. L. 1. Operis imperfecti c. 47. cum pena monstratur, & gloria, aut contra commodum vel voluptas, adjutorium, & velut occasio offertur, non necessitas imponitur partis alterutrum.*

Ib. p. 389.
D. Ad confirmationem ex serm. 156. dico, non immerito quidem S. Augustinum Pelagianis gratulari, ac Deo gratias referre, quod gratiam illustrationis ab externa verbi prædicatione distinctam tandem agnoverint: hæc enim omnino necessaria est ad fidem concipiendam, cui si piam motionem voluntatis, & gratiam actionis addere voluissent, nulla fuisset amplius cum illis controversia. Verum hujuscemodi gratiam constanter, & Pelagius, & Pelagiani admittere recusarunt. Ita testatur fide dignissimus Aug. L. de heresis c. 88. his verbis: *Pelagius a fratribus increpatus, quod nihil tribueret adjutorio gratiæ Dei ad ejus mandata facienda correptioni eorum hactenus cessit, ut non eam libero arbitrio præponeret, sed infidelis calliditate supponeret, dicens, ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam.* Dicendo utique, ut facilius possint,

possint, voluit credi etiam si difficilis tamen posse homines sine gratia divina facere ibid. p. jussa divina. Hæc de Pelagio S. Aug. de Pelagianis vero subjungit. *Illiām^{26.A.B.}* Vero gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis ab illo accepit nostra natura, ad hoc tantum ipso adjuvante per suam legem, atque doctrinam, ut discamus, quæ facere, & quæ sperare debeamus, non autem ad hoc per donum Spiritus sui, ut quæ didicerimus esse facienda, faciamus. Ac per hoc divinitus dari nobis scientiam contentur, qua ignorantia pellitur: charitatem autem dari negant, qua pie vivitur: scilicet, cum sit donum Dei scientia, quæ sine charitate inflat, non sit Dei donum ipsa charitas, quæ ut scientia non inflet, ædificat. Decretoria hæc sunt S. Doctoris verba ad id, quod volumus, demonstrandum.

Dices 2. ex S. Aug. L. 4. contra Julian. c. 3. n. 15. Julianus agnovisse vi. T. 10. p. detur veram, & interiorem gratiam non tantum illustrationis, & illu-^{591.D.E} minationis in mente, sed etiam piæ motionis in voluntate, & actione. Cum ergo, ait S. Doctor, divinitus adjuvatur homo non tantum ad capessendam perfectionem adjuvatur, quod ipse posuisti, utique volens intelligi eum per se incipere sine gratia, quod perficit gratia... In quo enim vis hominem sicut loqueris, ad aliquid laudabile generosi cordis stimulis incitari, in hoc eum non vis in Domino, sed in libero arbitrio gloriari. Unde posteriores Pelagii discipuli per os ejusdem Juliani in Epistola Romam transmissa profitentur: *Hominem in bono opere a Dei gratia semper adjuvari.* Julianus igitur declinans ad Semipelagianismum, contendebat initium perfectionis seu justitiae a nobis esse, perfectionem vero boni operis esse a gratia: ex quibus Jansenius L. 6. de hæresi Pelagiana c. 1. colligit Julianum, ac posteriores Pelagii discipulos paullo temperata magistri doctrina, censuisse gratiam interiorem necessariam quidem esse ad afsequendam virtutis perfectionem; tametsi per solam naturam generosi cordis stimulis excitata, inchoari sine gratia possit.

Resp. verba, & sententiam Juliani plus roboris, & energie non habere ad exprimendam gratiam voluntatis, & actionis, quam ista ipsius Pelagii paullo ante memorata: *Operatur in nobis vel, quod bonum est... dum revelatione sapientiae in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem.* Atqui verbis istis non aliam quam legis, atque doctrinæ gratiam sensu Pelagii significari affirmat, & probat S. Aug. Lib. de Gr. Chr. c. 10. Affirmat, & ipsem Jansenius l. 5. de hæresi Pelag. c. 30. Eodem igitur modo ac sensu Juliani verba interpretanda, & exponenda sunt, præsertim cum non ignoraret Jansenius, Julianum negasse dona Dei esse virtutes, quibus recte vivitur, easque naturæ, voluntatique humanae, non gratiae Dei tribueret. ^{T. 10. p. 599. F.} Ita testatur S. Aug. 1. 4. adversus Julianum cap. 3.

*Quæ fuerit illa gratia, de qua tam diurna exarbit contentio inter
S. Augustinum Ecclesiæ partes agentem, & Pelagianos.*

Inter errores, qui objecti sunt Pelagio, & a Concilio Palæstino proscripti, iste recensetur. *Gratiā Dei & adjutoriorū non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege, atque doctrina.* Catholica igitur sententia huic errori opposita hæc est, ad singulos pietatis actus necessariam esse gratiam Dei, & adjutoriorum, præter liberum arbitrium, legem, atque doctrinam. Hunc summum errorem visus est Pelagius reprobasse in hoc ipso Palæstino Concilio; at mala omnino, & subdola fide. Namque <sup>T. 2. Con.
P. 1531. D.</sup> per-

perfidus ille per gratiam a natura, libero arbitrio, lege, atque doctrinā distinctam, intelligebat remissionem peccatorum, ejusque continuam recordationem: intelligebat exempla Christi in quā perpetuo convertere oculos debemus: intelligebat, & illustrationem mentis, qua Spiritus Sanctus interius docet per apertiorēm objectorum propositionem, seu declarationem. Verum præter gratiam hujusmodi, aliam exigebat ex fide Ecclesiæ S. Aug. Quæ autem, & qualis illa fuerit, controvertitur.

Jansenius L. 5. de hæresi Pelag. c. 11. & 14. & alibi passim, contendit eam gratiam, quam negabant Pelagiani, & Aug. defendebat, esse gratiam aetualē voluntatis, & actionis, quæ virtute sua invicta, indeclinabili, & insuperabili, voluntatem ad agendum necessario applicat, & determinat. Doctrina hæc totius Janseniani systematis basis ac fundamentum est, atque grandioris, quod scripsit Jansenius, voluminis unicus veluti scopus ac finis.

Fingit idem Jansenius L. 8. de Gr. Chr. Salvat. c. 5. 6. 7. & 9. Pelagianos ista potissimum de causa abhoruisse a sententia S. Aug. quod existimarent eum docere, per gratiam, non simplicem dumtaxat necessitatem, sed veram inferri coactionem. *Homines Dei opus defendimus*, inquit apud S. Aug. L. 1. ad Bonifac. c. 18. *nec ex illius potentia vel in malum, vel in bonum invitum aliquem trahi*. Hinc Jansenius colligit, S. Aug. ad diluendas Pelagianorum criminaciones, unam dumtaxat ab humana voluntate sub motione gratiæ removisse coactionem, non vero simplicem necessitatem, quia nempe de sola coactione, non vero simplicem necessitatem, quia nempe de sola coactione, non de simplici necessitate controversia movebatur. Verum cum hac scribebat Jansenius, memor haud dubie non erat eorum, quæ ipsemet probaverat L. 2. de hæresi Pelag. c. 1. nimis Pelagianos promiscue coactionem, & necessitatem usurpare, atque nomine coactionis, solam intellexisse necessitatem. At vero quis facile sibi persuaserit, Pelagianos, viros, ut fatetur Jansenius, acutioris ingenii, unquam existimasse, per gratiam. quam Aug. propugnabat, veram, & proprie dictam coactionem induci: nemo enim est in rebus Philosophicis tam peregrinus, & hospes, qui ignoret, voluntatem nostram in actibus suis internis, & elicitis nullatenus cogi posse.

Alvarez de auxiliis. Thos. Massin de gratia. Nonnullis videtur de gratia physice præmoveente potissimum disputasse Augustinum cum Pelagianis, aliis vero de gratia sanctificante, seu habituali.

At non ita est.

Primo, quia gratia, de qua Aug. contra Pelagianos, absolute necessaria est ad singulos pietatis actus; sed gratia sanctificans talis non est. Siquidem ante illam, & sine illa, fidei, spei, timoris, & alii supernaturales virtutum actus eliciuntur, quibus peccator ad gratiam justificationis disponitur.

2. Gratia, cuius necessitatem tam strenue propugnabat S. Aug. adversus Pelagianos, ad fidem Ecclesiæ pertinet, quam omnes Catholici profitentur, quam tenebatur agnoscere Pelagius, *si non tantum vocari, verum etiam vellet esse Christianus*, L. de Gr. Chr. c. 10. Quæ secundum sanam doctrinam debet intelligi, pergit ibid. S. Doctor. Quam denique qui rejiciunt, *se inimicos Catholicæ fidei, & Dei beneficiorum ingratos profitentur*, ait Innoc. I. S. P. in Ep. ad Patres Carthaginenses, inter Augustinianas 181. alias 91. An vero quisquam est cordatus Theologus, qui characteres illos recognoscet in gratia vel physice præmoveente Thomistica, vel ad unum necessario applicante ac determinante, sensu Jan.

Janseniano? Prior ad fidem Ecclesiæ nullatenus pertinet, sed mera est, ac libera Scholæ opinio: alterum vero qui tuetur, fidem Catholicam offendit ac violat, nedum defendit. Cum Pelagius ambigua nominis gratiæ significatione Episcopos Palestinos delusisset, *Vetus ipsi est*, ait S. Aug. L. de gestis Pelagii c. 14. n. 31. *eam dicere gratiam, quæ in Christi Ecclesia prædicatur*. An vero dicet ^{T. 10. p. 208. E.} Jansenius; illorum Episcoporum animo tunc obversasse idem gratiæ, vel physice præmoventis, vel triecessario voluntatem ad unum applicantis, Afferit siquidem vel ipsem Jansenius, Augustinum omnium primum gratiam hujusmodi docuisse. Gratia ergo, quam subdolus ille simulabat se profiteri, & quam boni illi Episcopi nihil fraudis suspicati sensu Catholicó intelligebant, nec erat physice præmovens; nec ad unum necessario determinans; sed simpliciter gratia ad singulos pietatis actus necessaria. Erat hoc unicum controversia argumentum inter Augustinum, & Pelagianos.

Pelagiani gratiam illam, quam Aug. ex Ecclesiæ fide prædicabat, isto dumtaxat falso, & erroneo præjudicio occupati rejiciebant, quod putarent per illam fatalem quamdam induci necessitatem, ac penitus liberum nostrum subverti arbitrium. Concipere quippe illi non poterant, qua ratione staret in columnis libertas cum necessitate gratiæ prævenientis, & adjuvantis hominem ad singulos actus, qui ad pietatem, & vitam æternam pertinent. *In hoc tota ib. p. 226. bæresis ista confitit*, inquietabat S. Aug. L. de gestis Pelagii cap. ult. quod non sit ^{A. D.} liberum arbitrium, si indigeat auxilio Dei; quoniam propriam voluntatem habeat unusquisque, aut facere aliquid, aut non facere. *Quod victoria nostra ex Dei non sit adjutorio, sed ex libero arbitrio*. Hinc eorum adversus S. Augustinum calumnia, quasi libertatem everteret, & fatum induceret. *Ex eorum verbis in-^{ib. p. 437. E.} telllexi*, ait S. Doctor L. 2. ad Bonif. c. 5. *ob hoc illos vel putare, vel putari velle, fatum nos asserere sub nomine gratiæ: quia gratiam Dei non secundum merita nostra dicimus dari, sed secundum ipsum misericordissimam voluntatem*, *Ibidem: Nos assertores fati esse criminantur, quia non dicimus gratiam Dei secundum merita nostra dari*. Existimabant scilicet Pelagiani id fato fieri, quod merito ^{ibid. E.} non fit. Ita testatur S. Aug. L. 4. contra Julian. c. 8. Item & Patres Concilii Carthag. in Synodica ad Innoc. S. P. Epist. inter Augustianas ^{Ib. p. 607. D.} 175. alias ^{T. 1. p. 90.} Et S. Hier. Epist. ad Ctesiphontem: *Si alterius ope indigo*, dicebat Pe- ^{619. E.F.} lagins, *libertas arbitrii in me destruetur*. ^{Ed. N.T.}

Adversus istam Pelagianorum criminationem sæpiissime insurgit S. Aug. ^{4. Par. 2. p. 478.} & probat per gratiam Dei libertatem nostram confirmari potius ac stabiliiri, quam destrui. *Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam?* ait L. de Sp. & ^{T. 10. p. 214. C.} Lit. c. 30. *abst: sed magis liberum arbitrium statuimus*. *Sicut enim lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, sed stabilitur*. Rationem reddit inferius: *quia nempe gratia sanat voluntatem, qua justitia libere diligatur*. Et cap. sequenti, Calvini, & Jansenii errorem præoccupat: *Cum potestas datur, ait, non necessitas utique imponitur*. Potestas vero illa per gratiam con fertur, qua captiva voluntas in libertatem asseritur. *Non potest*, ait L. 4. ^{Ib. p. 110. C.} ad Bonif. c. 3. *captiva voluntas, nisi Dei gratia, respirare in salubrem libertatem*; ^{Ib. p. 469.} quod probat his S. Joan. verbis c. 8. *Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis*. F. Fatetur quidem ingenue ac candide S. Doctor, difficile esse conciliare libertatem cum necessitate gratiæ; attamen stare utramque simul profitetur. *Ista quæstio*, at Lib. de Gr. Chr. c. 47. n. 52. ubi de arbitrio voluntatis, ^{Ib. p. 250. G.} *Dei gratia disputatur, ita est qd discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum* ^F *Tournely de Gratia. Tom. III. Pars I.* ^{arbi-}

T. 9. p.
270. B.

arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem afferitur Dei gratia, libe-
rum arbitrium putetur auferri. Et lib. 2, contra literas Petilianis c. 84. Si tibi,
Petilianum alloquitur, proponam questionem, quomodo Deus Pater attrahat ad
Filium homines, quos in libero dimisit arbitrio, fortassis eam difficile soluturus es.
Quomodo enim attrahit, si dimittit, ut quis quod voluerit, eligat? Et tamen
uirumque verum est: sed intellectu hoc percipere pauci valent.

Ex his omnibus exploratum ac certum istud esse videtur, in mente
scilicet, ac sententia D. Aug, nullam humana voluntati sub motione gra-
tiae imponi necessitatem, sed illas, & integrum semper remanere ejus
libertatem. Quæso enim, qua ratione quove successu potuisset S. Doctor
impactam sibi a Pelagianis calumniam propulsare, si vel simplicem ne-
cessitatem, seu ad unum determinationem, qualem vult Jansenius, ad-
misisset? A scopo igitur aberrat Jansenius, ac Pelagianorum calumniis
in Aug. incautius blanditur, cum asserit talem ab Augustino gratiæ mo-
tionem, vim præpotentem, & ad unum determinationem admitti, ut
actus contrarius non sit in potestate voluntatis; atque Pelagianos, &
Semipelagianos in eo errasse, quod rejecta illa gratia efficaci ac præpo-
rente, tales dumtaxat agnoscerent, quæ libero voluntatis arbitrio per-
missa foret, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare. Sic
ille Catholicam veritatem, in errorem male cautus transformat.

Dices i. de illa potissimum gratia tractat S. Aug. disputans cum Pelagia-
nis, per quam justificamur; per quam captiva voluntas liberatur, & in-
firma sanatur. Atqui gratia hujusmodi est habitualis, seu sanctificans.

Resp. dist. maj. Tractat S. Aug. de gratia per quam justificamur, vel
dispositive, vel formaliter, vel effective, concedo: per quam justificamur
formaliter tantum, nego. Distingo pariter istam propositionem. Tra-
ctat de gratia, per quam captiva voluntas liberatur, & infirma sanatur,
vel habitu vel actu, concedo: habitu dumtaxat, nego.

Tribus igitur modis homo dici potest justificari, vel dispositive, cum ten-
dit, & præparat se ad justitiam ex beneficio gratiæ actualis; vel formaliter,
cum justitiam adeptus est? vel effective, cum ex justitia operatur. S. porro
Aug. non tantum locutus est de gratia, qua formaliter justificamur, sed
etiam de illa, qua dispositive, ac effective justificamur: præsertim vero de
illa, quæ nos disponit ad justitiam consequendam, quæ est gratia vocatio-
nis, gratia voluntatis, & actionis ad singulos pietatis actus necessaria.

Pariter, captiva voluntas, & infirma duobus modis dici potest liberari,
& sanari; vel quoad habitum, per infusionem charitatis, seu gratiæ ha-
bitualis, & sanctificantis, qui modus perfectior longe est, scopus, ac finis
proximus gratiarum actualium; vel quoad actum; quando scilicet per
gratiam actualē excitata, & roborata voluntas, peccati seu concupi-
scientiæ actu blandientis, & allicientis laqueis irretiri se, & ad malum
pertrahi non patitur. De utroque autem illo modo, quo voluntas libe-
ratur, & sanatur, loquitur S. Aug. potissimum vero de posteriori, qui
propius spectabat statum controversiæ, quam habebat cum Pelagianis.

Instabis. De illa gratia potissimum disputat S. August. quæ omnibus
prædestinatis conceditur. Atqui hæc habitualis est dumtaxat; non vero
actualis, quæ reprobis etiam non negatur.

Resp. i. hoc argumento plus probari, quam oporteat. Probaret enim,
solum

solum finalis perseverantia donum esse gratiam Christi, quia solis prædestinatis datur, non aliis.

Resp. 2. hoc unum hoc argumento confici, quod verum est, ac fatemur, nempe gratiam habitualem, seu sanctificantem inter ceteras principem locum tenere; At male hinc infertur, D. Augustinum omnem suam cum Pelagianis controversiam ad unam gratiæ habitualis necessitatem comprobandam convertisse.

Dices 2. De illa præsertim gratia disceptatio fuit inter S. Aug. & Pelagianos, quam isti rejiciebant, Aug. vero admittendam contendebat. Atqui Pelagiani unam dumtaxat rejiciebant gratiam, quæ voluntati ad bene agendum necessitatem imponeret: ergo &c.

Minor propositio probatur. 1. Ex verbis Juliani apud S. Aug. Lib. 2. Operis imperfecti cap. 138. ubi ait: *Adhortationibus, signis, exemplis, promissione vel munerum vel pœnarum, ad fidem voluntatem sine iudicione necessitatis allici ... non oppressam, sed expectatam, sed liberam, sed provocatam curari.* His verbis Julianus velicit, ac perstringit necessitatem, quæ ex gratia Augustini sequebatur.

2. Probatur ex accusatione Manichæismi, qua doctrinam Augustini infamabant, quasi libertatem funditus everteret.

3. Ex causis, & rationibus, quibus ducti illi fuere, ut gratiam Augustini tantopere aversarentur, ac refugerent. Sunt autem hujusmodi. 1. Quia noxia erat libertati. 2. Quiā securitatem, torporem, & inertem ingenerat negligentiam: tum quod omnibus non detur, sed iis dumtaxat, quibus Deus voluerit: tum quod inutiles videntur conatus voluntatis, ubi actio unice pendet ex interna, & efficaci gratiæ virtute, nihilque de suo voluntas confert. 3. Quia hujusmodi gratia omnem laudis ac meriti rationem tollit ab humana voluntate; quandoquidem omne, quod bonum est, ex ipsa virtute gratiæ proficit. Rationes illas fusiori stylo prosequitur Jansenius L. 5. de hæresi Pelag. c. 1. 2. 13. 14. 15. & 16. An porro tam stupidi, & hebetes fuissent Pelagiani, ut hæc S. Doctori objecissent, nisi perspectum illis fuisset, talem ab Augustino gratiam defendi, cui humana libertas non possit resistere?

Resp. dist. min. Ita ut nullam aliam interiorem admitterent voluntatis gratiam; ac sibi falso persuaderent quamlibet gratiam prævenientem eo ipso libertatis inimicam esse, quo voluntatem prævenit, excitat, & adjuvat ad bonum, concedo: ita ut aliam agnoscerent gratiam interiorem prævenientem, quæ cum libertate voluntatis cohæreret, nego. Itaque Pelagiani circa necessitatem gratiæ dupli gravissimo errore, & juris, & facti laborabant. Error juris erat, quod quamlibet gratia interior, quæ voluntatem prævenit, & excitat, ejus destruat libertatem, adeoque sit rejicienda. Error facti, quod non aliam Ang. gratiam propugnaverit, quam quæ libertatem everteret: hoc falso præjudicio occupati gradatim docuerunt. 1. Solam naturam, & liberum arbitrium ad bonum sufficere. 2. Non aliam quam legis, ac doctrinæ interius menti propositæ gratiam esse necessariam. 3. Addidere remissionem peccatorum, & exempla Christi, quæ omnia voluntatem ipsam proxime ac immediate non afficiunt. 4. Julianus argumentis Catholicorum victus, gratiam visus est admittere ad perfectiōnem quidem operis boni necessariam, non ad ejus inchoationem. Tandem

Semipelagiani ad omne opus bonum sive inchoandum sive perficiendum gratiam necessariam dixerunt, non tamen ad initium fidei, & prius quamdam credulitatis affectum, quem inter bona opera idcirco non computabant, ita ut palmaris illa foret apud illos regula, initium & exordium boni debere esse a nuda voluntate, quam subinde gratia conantem juvaret; unde gratiam voluntatis pedisse quam faciebant. Capitaliter abhorrebat illi ab omni gratiae specie, quae voluntati praeret, ejusque in actus suos dominium, & determinationem ante verteret. *Illam indifferente ac dominatricem arbitrii potest.*

T. 1. p. statem ac nutum, ait Jansenius L. 2. de hæresi Pelag. c. 28. semper Pelagiani pillars oculorum habuere chariorem, quae si salva manet, imo quia semper credunt, salva manet, nullos voluntatis, vel passionum, vel indeli beratorum actuum, ad volendum nolendumque provocantium turbines, aut blandimenta formidant.

Momenta igitur, ac rationes, quibus Pelagiani doctrinam S. Aug. oppugnabant, directe impetu necessitatem gratiae interioris ad omnem pietatis actum, voluntatem prævenientis. Nec in eo peccabant illi, quod existimarent gratiam, quae voluntati necessitatem inferret ad agendum, ejusque libertatem everteret, rejiciendam esse, id enim verissimum est: sed quod omnem, & quamlibet interiorem gratiam voluntatis prævenientem eo ipso libertatis inimicam esse contenderent, quo voluntatem præveniret.

Haec igitur rationes Pelagianorum; quas Jansenius citatis in locis tam fuse exponit, omnibus Catholicis solvenda sunt, neque unam efficacem ac victricem Augustini gratiam spectant, ut putat Jansenius, sed simpliciter gratiam voluntatis prævenientem ad omne pietatis opus necessariam. Quas rationes expendemus, ac diluemus postea, ubi de necessitate gratiae sermo habendus erit.

Suo pariter loco referemus, ac solvemus, quae solent objicere, ut ostendant gratiam, de qua S. Aug. adversus Pelagianos, esse gratiam ex se, seu natura sua efficacem, quam appellat auxilium quo.

Utrum Pelagiani admiserint gratiam interius sanctificantem, seu habitualem, & virtutes infusas?

Affirmat Jansenius L. 5. de hæresi Pelag. c. 22. & sequentibus. Negant alii cum Suarez Prolegomeno 5. de grat. c. 2. Alii distinguunt inter gratiam habitualem, & virtutes infusas. Ista quidem a Pelagianis rejetas fuisse, non vero gratiam habitualem, per quam peccata delentur, existimant. Ita Martinonus in Antijansenio disp. 7. de hæresi Pelag. sect. 13.

Verisimilius nobis videtur Pelagianos nec habitualem gratiam, nec virtutes supernaturales infusas agnoscere. Testem daimis S. Aug. hæreses Pelagianorum indagatorem sagaceissimum, ac strenuum impugnatorem L. de Gr. Chr. c. 30. *Istam, inquit, gratiam, qua justificamur, id est, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, in Pelagii & Cælestii scriptis, quecumque legere potui, nusquam eos inventi, quemadmodum confitenda est, confiteri. Prorsus nunquam eos adverti, sicut agnoscendi sunt, agnoscere filios promissionis, de quibus dicit Apostolus: Non ii qui filii carnis, hi filii Dei, sed filii promissionis deputantur in semine. Rom. 9. v. 8. Atqui gratia, qua justificamur, est gratia habituialis infusa, de qua S. Atig. L. 1. de pecc. mer. & rem. c. 9. n. 10. dicebat: Gratia ejus (Christi) illuminationem, & justificationem nostram etiam intrinsecus operatur Dat etiam (Christus) sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & parvulis Porro.*

orro nullo satis firmo, & aperto testimonio constat talem gratiam a Pelagianis admissam fuisse: saepius etenim repetit S. Aug. non aliam ab illis prædicatam gratiam, quam liberi arbitrii, legis ac doctrinæ, remissionis peccatorum, & exemplorum Christi, in quibus nihil est, quod internum, & infusum aliquid referat: exempla enim Christi externa sunt, remissio vero peccatorum ab illis haud dubie concipiebatur fieri per simplicem, eamque externam non imputationem seu condonationem.

Quapropter idem S. Doctor I. de Gr. Chr. c. 38. n. 42. postquam Pelagi ^{ib. p. 247.} verba retulit, quibus videri poterat veram, & internam naturæ per San-^{B.} guinem Christi instauracionem, ac renovationem admissæ subjungit: *Videte quemadmodum & hic aliis quidem verbis, sed tamen in remissione pecca-* ^{Ibid. C.} *torum, & in exemplo Christi adjutorium gratiae constituerit.* Quod quidem adjutorium ad singulos actus necessarium esse, hoc sensu dulosus ille asserebat, quod per singulos actus meminisse debemus, *dmissa nobis esse peccata,* ^{ib. p. 232.} *ut ita non peccamus ulterius; non quidem adjuti aliqua subministratio virtutis,* ^{A.} ait S. Aug. L. de Gr. Chr. c. 2. *sed viribus propriæ voluntatis, quid sibi remissio-* *ne peccatorum praestitum sit, per singulos actus recordantis... vel dominicae conver-* ^{Ibid. B.} *sationis exemplum intuentis.* Hinc sollemnis ista apud Pelagianos propositio, quæ in Synodo Palæstina damnata fuit: pœnitentibus veniam non dari secundum gratiam, & misericordiam Dei, sed secundum merita, & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerunt misericordia.

Dices I. Pelagius Commentario in caput 5. Epistolæ ad Rom. agnoscit ^{Inter} *peccata dimitti abundantia donationis Spiritus Sancti, ac justitiam per Baptismum* ^{Oper. S.} *donari.* Et in c. 5. 2. ad Cor. n. 34. docet Deum tribus modis in nobis esse: ^{Hier. Ed.} *per infinitatem, per sanctificationem, & peculiarem inhabitacionem in sanctis.* Et T. 4. p. in c. 3. Ep. ad Titum n. 7. ait: *Baptismum vocari ab Apostolo lavacrum reno-* ^{485. B.} *vationis Spiritus Sancti, quia nos Spiritus Sanctus per Baptismum renovavit.* ^{ib. p. 592.} Apud S. Aug. L. de Gr. Chr. c. 38. idem Pelagius asserit, *nos instaurari per* ^{ib. p. 708.} *Christi gratiam, & in meliorem hominem renasci.* Testatur & ipse S. Aug. L. 3. D. de peccat. mer. & rem. c. 6. Pelagianos agnoscere, non ideo parvulos bapti- ^{T. 10. p.} *Zari, ut remissionem accipient peccatorum, sed ut sanctificantur in Christo.* Idem ^{247. B.} *repetit L. de hæresibus c. 88.* ^{ib. p. 77.} E.

Omnium disertissime Julianus apud S. Aug. Lib. I. Operis imperfecti ^{T. 8. p. 26} cap. 53. dogma Catholicum exprimere videtur his verbis: *Nos igitur* ^{E.} *inquit, in tantum gratiam baptismatis omnibus utilem æstatibus confitemur, ut* ^{T. 10. p.} *cunctos, qui illam non necessariam etiam parvulis putant, æterno feriamus ana-* ^{897. C.} *thematem.* Sed hanc gratiam locupletem spiritualibus donis credimus, quæ multis opima muneribus ac reverenda virtutibus, pro infirmitatum generibus, & humana-
rum statuum diversitatibus, una, tam remediorum cultatrice, quam munera, virtute medicatur. Quibus verbis efficitur, Julianum dona supernaturalia, seu virtutes infusas admissæ. Unde S. Aug. L. 3. de pecc. met. & rem. c. 2. de Pelagianis ait: *Coguntur parvulos baptizatos in credentium numero de-* ^{ib. p. 72. C.} *putare, & auctoritati Sanctæ ubique Ecclesiæ consentire, quæ fidelium eos nomine non censet indignos, quibus justitia Christi, etiam secundum istos, proesse non-
nisi credentibus posset.*

Resp. isthæc quidem omnia, cum a viris Catholicis, & non suspectis proferuntur, Catholicorum more intelligenda esse; sed apud fraudulentos hæreticos Pelagianos, gravissima latentis erroris suspicione laborare. Vel

Ib. p. 247. ipso enim judice Augustino l. de Gr. Chr. c. 38. n. 42. cum Pelagius dixit; nos instaurari per Christi gratiam, & in meliorem hominem renasci, non aliam in mente gratiam cogitabat, quam remissionem peccatorum, & exemplum Christi. *Videte*, inquietabat loco mox citato S. Doctor, quemadmodum, & hic aliis quidem verbis, sed tamen in remissione peccatorum, & in exemplo Christi *Ibid. G.* adjutorium gratiae constituerit. Et l. 6. contra Julianum c. 23. *Tu*, inquit, a *Ib. p. 703.* vestro dogmate non recedis, quo putatis gratiam Dei per Jesum Christum Dominum *E. F.* nostrum sic in sola peccatorum remissionis versari, ut non adjuvet ad vitanda peccata, & desideria vincenda carnalia, diffundendo charitatem in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui ab illo datus est nobis.

Ad sensum hujusce gratiae dixerunt Pelagiani, peccata dimitti abundantia donationis Spiritus Sancti; homines instaurari, renovari, & renasci. 1. Per simplicem, & externam peccatorum non imputationem, seu condonationem, qua sit, ut homo coram Deo velut homo novus appearat, instauretur, ac renovetur. 2. Per exemplum Christi, quo Christiani longe efficacius iuvantur ad præcavenda peccata, recordatione scilicet peccatorum præteriorum, quæ singulari Dei favore, ac benignitate remissa, ipsis jam fuere. Pari modo, ac sensu asserebant, parvulos per Baptismum sanctificari, regenerari, adoptari in filios Dei, fideles esse ac denominari, &c. non quidem per infusionem charitatis, & aliorum donorum supernaturalium, sed per simplicem, & externum Dei favorem, quo ad regnum caelorum destinantur eo fere modo, quo sola Principis voluntate seu destinatione nonnulli ad certa quædam officia deputantur, absque ulla intus ipsis communicata virtute. Sensu non absimili fatebantur, parvulos per Baptismum fideles esse, ac dici, non per infusionem virtutis fidei, sed per alienam fidem, eorum scilicet, quorum ministerio baptizandi offeruntur, & ex sacro fonte levantur. *Velitis, nolitis*, ajebat S. Aug. L. 6. c. Julian. c. 3. *parvulos credere confitemini in Christum per corda, & ora gestantium.*

Ib. p. 664. Dices. Gratia fidei, est gratia habitualis: atqui Pelagiani admiserunt gratiam fidei, & quidem distinctam a lege, & natura; non diffente S. Aug. L. de Gr. & lib. arb. c. 13. *Dicunt etiam*, inquit, *gratiam Dei, quæ data est per fidem Jesu Christi, quæ neque est lux, neque natura, ad hoc tantum valere, ut peccata præterita dimittantur, non ut futura vitentur, vel repugnantia superentur.*

Ib. p. 731. *terita* dimittantur, non ut futura vitentur, vel repugnantia superentur. *D. E.* Resp. dist. min. Pelagiani admiserunt gratiam fidei externam, legem scilicet, doctrinam, seu Evangelii prædicationem; aut etiam interiorem objectorum fidei propositionem, & revelationem menti factam, qua posita quisque ad arbitrium solis suis viribus naturalibus credit, vel non credit, concedo: admiserunt gratiam fidei internam, & infusam, tum ex parte mentis, tum ex parte voluntatis divinitus excitatae, & adjutæ, nego. Ad probationem ex Augustino distinguo. Pelagiani admiserunt gratiam fidei, quæ non sit lex, & doctrina, verbo tenus ac subdole, concedo: in rei veritate, nego. Gratiam enim illam, quæ lex non erat, nec doctrina, saltem in exemplo Christi reponebant, quæ teste ipsomet S. Augustino ad unam externam legis, ac doctrinæ gratiam revocabatur.

Instabis 1. ex Augustino loco mox citato. Pelagiani eam agnovere *Ib. p. 73.* fidei gratiam, quæ propria est fidelium. *Hanc enim*, ait S. Doctor, *naturam etiam cum impiis, & infidelibus certum est nobis esse communem: gratia vero*

vero per fidem Jesu Christi eorum tantummodo est, quorum est ipsa fides. Non enim omnium est fides. 2. Thessal. 3. v. 2.

Resp. 1. nego maj. Ex sua enim propria mente, ac sententia eo loci loquitur S. Aug. non vero ex mente, atque sententia Pelagianorum.

Resp. 2. tametsi idem cum Augustino dixissent verbo tenus Pelagiani, ab errore tamen vindicari non debere; quia dici non immerito potest, illos censuisse fidem illam, quæ propria est Christianorum, non esse a gratia interiori, & proprie dicta, sed a solo libero arbitrio, suppositis lege, doctrina, & exemplo Christi.

Instabis 2. Gratia, quam Pelagiani assertebant secundum merita nostra dari, est gratia habitualis.

Resp. nego maj. Gratiam enim illam generice dumtaxat spectabant Pelagiani, non specificie, quatenus est, vel non est habitualis infusa.

Initabis 3. S. Aug. l. de Gr. Chr. c. 47. declarat nihil sibi amplius cum Pelagio discordiæ, ac controversiæ futurum, si vellet ille agnoscere necessitatem gratiæ ad volendum, & operandum bonum: atqui incaute prorsus id dixisset Aug. nisi supposuisset Pelagium internam gratiam confessum fuisse, necessitatem ad fidem, & remissionem peccatorum.

Resp. nego min. Sensus enim Aug. ex dictis antea, iste est, quod si Pelagius tandem adduci potuisset, ut fateretur hominem sine interiori gratia nec velle nec posse operari bonum, facillime intellexisset necessariam quoque esse gratiam ad fidem, & remissionem peccatorum; a majori enim ad minus hic arguere videtur S. Doctor.

Error Pelagii ab Ecclesia proscriptus.

Errorem suum evulgare primum cœpit Pelagius circa an. Christi 405. non quidem per seipsum, sed per discipulos, quos decepserat. Non virorum tantum, sed etiam muliercularum ministerio in hunc finem utebatur: quæ fraus & consuetudo omnibus fere hæreticis communis fuit, ut observat S. Hier. Epist. ad Ctesiphontem. Simon Magus, inquit, hæresim condidit, Helenæ mereetricis adjutus auxilio. Nicolaus Antiochenus, omnium immunitiarum repertor, choros duxit seminarum. Marcion Romanum præmisit mulierem, quæ decipiendos sibi animos præpararet. Apelles Philumenem suarum comitem habuit doctrinarum. Montanus, immundi spiritus prædicator, multas Ecclesias per Priscam, & Maxillam, nobiles, & petentes feminas, primum auro corrupit, deinde hæresi polluit. Qua quidem hæreticorum arte, ac fraude nihil periculosius, quod mulieres errorem faciliter combibant, quia leves; celerius diffundant, quia loquaces; tarde deponant, quia ignorantes ac pertinaces. Quid volunt, ait idem S. Hier. loco mox citato, miseræ mulierculæ oneratae peccatis, quæ circumferuntur omni vento doctrinæ, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes; & ceteri muliercularum socii, pruientes auribus, & ignorantibus quid audiant, quid loquantur &c.

Præcedentium Hæreticorum vestigiis insistens Pelagius, scripsit ad quamdam viduam, quam putant fuisse matrem Juliani: scripsit autem adulatoria admodum, ut refert S. Aug. lib. de gestis Pelagii cap. 6.

Non satis habuit Pelagius, per discipulos, deinde per literas insinuare dogma suum, sed etiam postea verbo prodidit. Cum enim peragratis Ægypti Monasteriis, Romam venisset circa eadem tempora, conti-

git aliquem Episcopum, praesente Pelagio, haec Romae S. Aug. verba ex Libris Confessionum ejus commemorare: *Da quod jubes, & jube, quod vis.* Quæ verba statim ac audivit Pelagius, vehementer commotus est, & pene cum eo, qui illam commemorabat, litigavit, ait S. Aug. lib. de dono perseverantiae cap. 20.

b.p.251. Anno 408. aut 409. Barbaris Italiam vastantibus, Roma discessit Pelagius; atque in Siciliam, tamquam in locum tutiorem, se cum Cælestio recepit. Deinde cum Alaricus Rex Gothorum, anno 410. Romam expugnasset, Pelagius anno 411. cum discipulo suo Cælestio fugit in Africam, & Gippone Regium appulit initio veris, absente S. Aug. qui tamen, fama referente, audivit Pelagium loqui contra divinam gratiam. Ipse pariter Cælestius Carthaginæ consistens, dogma novum spargebat: atque ut majori cum auctoritate doceret, conatus est promoveri ad Sacerdotium: sed ejus conatibus obstitit Paulinus Diaconus, a quo delatus est ad Aurelium Episcopum.

b.p.216. Anno 412. Aurelius Carthaginensis Episcopus, Concilium congregavit Carthaginæ, quod primum fuit e viginti quatuor Conciliis congregatis adversus hæresim Pelagianam, ante celebrationem Ephesini. Quæ quidem Concilia sigillatim retulit, & doctissimis observationibus locupletavit Mercatoris Commentator Parisinus. In hoc autem Carthaginensi Concilio, damnati sunt errores Cælestii, & ipse excommunicatus, ab Ecclesia, & Urbe pulsus, in Siciliam secessit; convictus quidem, & non correctus, ait S. Aug. L. de gestis Pelagii cap. 22.

Circa idem tempus, S. Aug. scripsit tres Libros ad Marcellinum sub hoc titulo: *De peccatorum meritis, & remissione;* de tribus quæstionibus adversus Pelagianos, scilicet de peccato originali, de gratiæ necessitate, & de perfectione justitiæ; de quibus quæstionibus interrogatus fuerat a Marcellino. In illis autem Libris siluit S. Doctor nomen Pelagii, sperans eum sic facilius corrigi posse. Imo, & in tertio laudavit Pelagium, ut scribit L. 2. Retractionum c. 33. Cum autem in 2. Lib. ad Marcellinum c. 6. scripsisset S. Aug. hominem in hac vita per gratiam Dei posse esse sine peccato, cum tamen nullus fuerit, sit, aut futurus sit, Marcellinus testatus est, se hoc intelligere non posse: quapropter S. Doctor edidit Librum de Spiritu, & litera, in quo illi abunde satisfacit. Legatur c. 37. libri 2. Retractionum.

Anno 413. cum Carthaginæ graffarentur errores Pelagianorum, jubente Aurelio Carthaginensi Episcopo, S. Aug. habuit in Basilica sermonem contra novam illam hæresim. Hic sermo est 14. de Verbis Apostoli. Ita refert ipsem S. Aug. I. de gestis Pelagii cap. 11.

An. codem 413. Juliana mater Demetriadis, hortata est Pelagium, ut ad filiam suam scribebet. Misit igitur Pelagius Epist. ad Demetriadem, in qua eam confirmat in virginitatis proposito, & simul suum illi inspirat errorem.

Anno 414. cum per Siciliam virus Pelagianum diffunderetur, Hilarius Syracusanus rogavit S. Aug. ut ab ipso eruditetur adversus novos illos errores. Scripsit igitur ad illum S. Doctor Epistolam, quæ numero est 157. alias 89. sicut ad Ctesiphontem eadem de caussa scripserat S. Hier. Ille vero Hilarius laicus fuit; quia S. Aug. vocat illum *filium*, *vocatus fratre*, si Clericus fuisset.

Circa

Circa illud tempus, Pelagiana hæresis non parvum progressum fecit; atque Paulus Orosius Presbyter Hispanus in Africam ad S. Aug. venit, eumque rogavit, ut adveritus Priscillianistas, & Origenistas stilum exacerberet: quod præstitit S. Aug. & Orosium in Palæstinam misit ad S. Hieronymum, ab eo sciscitatrum, quid de origine animæ sentiret.

Anno igitur 415. venit in Palæstinam Orosius, & invenit Ecclesiam Hierosolymitanam diversis partibus distractam ac turbatam. Cui malo ut occurreret Joannes Hierosolymitanus, Presbyterorum Conventum habuit, cui interfuit Orosius, atque in eo narravitea, quæ in Africa gesta fuerant super hæresi Pelagiana, testatusque est se duo a Pelagio audivisse: unum: *Hominem posse esse sine peccato si velit*; alterum, *Hominem posse facile mandata Dei custodire*. Vocatus Pelagius, dixit; *non sine Dei adjutorio hominem posse esse sine peccato*. At subdolis ille, nomine adjutorii Dei, intelligebat naturam, liberum arbitrium, legem &c. Hanc Pelagi responsonem avide arripuit Joannes Hierosolymitanus Pelagio favens, ut ab ipso sententiam damnationis averteret: atque parti utrique imposito silentio, res tota delata fuit ad judicium Innocentii I. S. Pont. Interim Pelagiani accusarunt apud Joannem, Orosium, quasi docuisset, nequidem per Dei gratiam posse hominem implere legem Dei. Ut autem hanc a se calumniam ille propulsaret, edidit Apologeticum, in quo accurate retulit, quod aetum fuerat in Conventu Hierosolymitano, & Pelagianum dogma strenue confutavit.

Non est autem, quod Janseniani, ut Apologiam illam facilius Orosio abjudicent, contendant, hanc Synodum Hierosolymitanam, cui Orosius interfuisse dicitur, commentitiam esse, & antiquis incognitam; siquidem S. Aug. L. de gestis Pelagii c. 14. narrat, Joannem in Synodo Diopolitana rogatum, retulisse quid coram se in illo conventu Hierosolymitano gestum fuisset.

Eodem anno 415. S. Hier. quos antea promiserat Epistola ad Cresiphontem, Libros tres adversus Pelagianos absolvit. Unde S. Prosper Carmine de ingratis cap. 2. cecinit:

*Tunc etiam Bethlai præclari nominis hospes,
Hebræo simul, & Grajo, Latioque venustus
Eloquio, morum exemplum, mundique magister
Hieronymus, Libris valde excellentibus hostem
Diffecuit.*

Ed. N. P.

12. I. n.

55.

Eodem anno 415. duo Episcopi Galli, Eros, & Lazarus, Palæstinam petierunt, ut Pelagium erroris accusarent, ac convincenter. Congregatum est igitur Diopoli Concilium 14. Episcoporum, Præside Eulogio Cæsariensi, in quo Pelagius interrogatus est: qui, ut erat mirus fallendi artifex, turpi æquivocatione Patribus illusit; eoque facilius, quod ipse latine loquens coram Græcis, ab illis non intelligebatur nisi per interpretem, qui ejus verba aut fideliter non reddebat, aut ejus favebat personæ. Quapropter illi Episcopi, ut erant simplices, nihil fraudis subesse suspiciati, atque nomine gratiæ, quam admittebat Pelagius, eam intelligentes, quam doctrina Catholica solet intelligere, Pelagium, errore facti, ipsa tamen hæresi damnata, tamquam innocentem dimiserrunt. Pelagio istud commodum tunc accedit, quod a Synodo absentes erant Eros, & Lazarus, propter gravem unius ægritudinem; ut testatur S. Aug. L. de gestis Pelagii c. 1.

Con-

Concilii Diospolitani sententiam probare noluit Innocentius S. P. ut constat ex ejus Epistola, quæ est inter Augustinianas 183. alias 96. Et ex Libro de peccato originali c. 8. & 9. & Pelagius autem, postquam illam absolutionem a Concilio Diospolitano suffuratus est, gratulatorias misit ad amicos Epistolas, tripudians ac plaudens sibi, quod doctrinam suam ab Episcopis videret approbatam. Ita testatur S. Aug. L. de gestis Pelagii c. 30.

Anno 416. cum Carthaginensis Synodus propter quædam negotia Ecclesiastica congregata fuisset ab Aurelio, repente adfuit ex Oriente Orosius, qui Literas Erotis, & Lazari Episcoporum Pelagii accusatorum, Patribus Carthaginensibus obtulit: quibus lectis, ac recensitis iis, quæ ante quinquennium in causa Cœlestii acta fuerant in priori Synodo Carthaginensi, sententiam damnationis adversus Pelagium, & Cœlestium pronunciarunt: datis ad Innocentium Papam Literis, quibus rogabant, ut statutis sui Concilii Sedis Apostolicæ autoritatem adderet. His Literis 68. Episcopi subscripti.

Eodem anno 416. celebrata est Milevitana Synodus, in qua Episcopi 61. damnata Pelagii, atque Cœlesti doctrina, ad Innocentem S. P. scripsere manu ipsius Augustini, qui hanc, ut & Carthaginensis Synodi, Epistola exaravit.

Eodem anno scripsit S. Aug. Epist. 178. alias 94. ad Hilarium Episcopum, eumque de cavenda hæresi, & de ejusdem damnatione a Conciliis facta, instruit. Circa quam damnationem omitti non debet, quod scribit idem S. Doct. sermone 132. alias 2. de verbis Apostoli c. 10. Jam, T. 5. p. 645. D. inquit, de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est, error utinam aliquando finiatur. Quibus verbis insinuat S. Aug. adeo per vicacem, & in errore obfirmatam fuisse hæreticorum illorum mentem, ut etiam damnati, minime acquiescerent.

Eodem pariter anno, scripsit S. Aug. ad Joann. Hierosolymitanum, quem Pelagio noverat additum. Hæc Epistola est numero 179. alias 252. Petiit autem a Joanne, ut mittere dignaretur ad se gesta Pelagii in Concilio Dispolitano; & ut hanc gratiam facilius impetraret, misit ad illum Cibrum de natura, & Gratia. Post aliquod tempus, sub fine hujus anni accepit S. Aug. Acta Conc. Diospolitani.

Et anno 417. ineunte, his Actis perfectis, composuit Librum, quem Libro de peccato originali c. 14. vocat: De gestis Palæstinis, qui vulgo inscribitur: *De gestis Pelagii.*

Eodem anno 417. Romæ Concilium congregavit Innocentius I. in quo damnata hæresi, anathemate percussi sunt illius auctores, ac sequaces, nisi resipiscerent. Hinc cecinit S. Prosper, Carmine de ingratis c. 2..

P. 119. n. 40. Pestem subeuntem prima recidit:

Sedes Roma Petri: quæ Pastoralis honoris:

Fæta caput mundo, quidquid non possidet armis,

Religione tenet.

Hoc eodem anno, Pelagius fidei suæ professionem misit ad Innocentium. Illius mentionem facit sanctus Augustinus pluribus in locis, sed maxime Libro de Gratia Christi cap. 31. 32. & 33. Interea moritur Innocentius, & hæc fidei professio redditur Zozimo ejus successori, qui

ea perlecta & ambiguitate verborum deceptus, graviter excanduit in Erotem, & Lazarum accusatores Pelagii, quos Ecclesiæ turbines, & processas vocavit in Epistola, quam scripsit ad Episcopos Africanos; ac Pelagium Catholicum pronunciavit, eique ad dictos Africanos Episcopos commendatitias dedit Epistolas.

Anno 418. Episcopi 14. supra ducentos, Carthaginem confluxerunt; omnibusque in causa Pelagii ac Cœlestii diligentissime recognitis, & iterum expensis, unanimi suffragiorum consensu statuerunt Præfules, standum esse decreto Innocentii adversus Pelagianos. Deinde confestim Synodalia gesta ad Zozimum miserunt, opera Marcellini Subdiaconi. Zozimus his acceptis synodalibus gestis, & Literis Africanorum Episcoporum, fraudes haereticorum exploratas, & perspectas habuit, diemque dixit Cœlestio, ut Synodo, quam Romæ coegerat, adesset. Sed Veterator ille nequissimus, intelligens se Africanorum Præfulum Literis detectum, terga vertit, & se subraxit examini, ait S. Aug. l. 2. ad Bonifacium c. 3.

Hunc igitur exitum habuit Pelagiana, & Cœlestiana haeresis. Tulit Zozimus damnationis sententiam in Pelagium, & Cœlestium, decrevitque eos, errore deposito, in Ecclesiæ gremio victuros perpetuae subditos penitentiæ: quam si legem detrectarent, eos a fidelium societate penitus fore resecandos.

Honorius Imperator Edicto suo decrevit, ex Urbe pellendos Cœlestium, & Pelagium. Cum tamen plurimi, tum errores, tum personas Cœlestii ac Pelagii defenderent, inter quos erant decem, & octo Episcopi, ut colligitur ex S. Aug. l. 1. ad Bonifacium Papam c. 1. circa finem, auctoritate tum Pontificia, tum Imperiali, jussi sunt omnes, non modo Præfules, Presbyteri, & Clerici, sed & ipsimet Laici subscribere damnationi, non solum doctrinæ, sed etiam personæ.

Frustra conquesti sunt Pelagiani, particularia dumtaxat fuisse nec libera Concilia, a quibus damnati fuerant: frustra ex illis decem, & octo Episcopi ad Oecumenicam Synodus provocationem suam interponunt, novo, & usque ad Pelagianos inaudito in Ecclesia Christi exemplo; ubique terrarum Ecclesiastica simul, & imperiali sententia percussi, ab Urbe, & Communione Ecclesiastica extorres sunt. Vanam, & inutilem hanc eorum ad Concilium provocationem probat S. Aug. l. 4. ad Bonif. c. ultimo: *Quid congregatione T. 10. p. synodi opus erat, inquit, ut aperta pernicies damnaretur? Quasi nulla haeresis 492. F. aliquando nisi Synodi Congregatione damnata sit; cum potius rarissime inveniantur, propter quas dammandas necessitas talis extiterit; multoque sint, atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque inde per ceteras terras devitandæ innotescere potuerunt. Verum istorum superbia, quæ tantum se extollit adversus Deum, ut non in illo velit, sed potius in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intellegitur, ut propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur. Orientem quippe Catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur: cum potius vigilancia, & diligentia Pastorali, post factum de illis competens, sufficiensque judicium: ubicunque isti lupi apparetur, conterendi sint, sive ut sanentur atque mutentur, sive ut ab aliorum salute, atque integritate vitentur. Et lib. 3. c. Julian. c. 3. Vesta, inquit S. Doctor, apud competens judicium communium Episcoporum modo causa finita est: C. nec amplius vobiscum agendum est, quantum ad jus examinis pertinet, nisi ut pro-*

Ibid. p. 555. B.

prolatam bac de re sententiam cum pace sequamini : quod si nolueritis, a turbida vel infidiosa inquietudine cohabeamini .

Et vero cum aequalis sit Ecclesia seu dispersæ, seu in Concilio coactæ infallibilis auctoritas, par & aequalis debetur ejus definitioni mentis obedientia . Necesse vero est vigore semper ac subsistere in Ecclesia Tribunal certum, ac vivam quamdam regulam, qua enatæ circa Religionem controversiæ finiantur, ac terminentur : alias, quo amatores fidei tandem reciderent, si expectanda foret Concilii plenarii forte tam longe diffusa, tam operosa, & molesta Congregatio ? Quæ enim interim foret vivens ac spirans regula fidei ? Quis controversiarum finis? nullus . Unicuique laxaretur quidquid vellent, sentiendi licentia : quanta inde in Ecclesia Christi confusio, perturbatio quanta !

Verum non definit Pelagianorum damnationi Synodus Oecumenica . Ephesina enim an. 431. contra Nestorium congregata Aet. 5. & 7. can. 1. & 4. Cælestii, & Pelagi, quibus amicitia conjunctus erat Nestorius, errores anathemate percussit .

Non solum autem Conciliorum, & SS. Pontificum decretis prostrati sunt Pelagiani, verum etiam Christianorum Imperatorum legibus, sicut testatur S. Aug. L. de peccato originali c. 17. In auctores, inquit, nefandi erroris Episcopalia Concilia, & Apostolica sedes, universaque Romana Ecclesia, Romanumque Imperium, quod Deo propitio Christianum est, rectissime fuit commotum, donec resipiscant de diaboli laqueis. Extat revera Honorii Imperatoris Constitutio data Ravennæ ann. 418. qua statuit Pelagium, & Cælestium ex Urbe pellendos. Et an. 419. Imperator ad Aurelium Carthaginem Episcopum Rescriptum dedit, in quo priorem suam Constitutionem confirmans, decernit, ut qui illos haereticos apud se vel receperissent, vel latitantes non detexissent, ii eadem pena mulctentur. Et an. Christi 421. Constantius, in consortium Imperii ab Honorio vocatus, Cælestium rursus Roma expelli mandavit. Anno vero 425. Valentinianus III. Constitutionem adversus eosdem Pelagianos edidit, sicut & Theodosius Junior an. 430. cui paulo ante Marius Mercator Commonitorium contra eosdem obtulerat .

DISCIPULI PELAGII,

Cælestius, Julianus, & Annianus.

Primus etate ac celebritate nominis discipulus Pelagii fuit Cælestius, a quo Cælestiani, sicut a Pelagio Pelagiani dieti sunt, teste S. Aug. I. de heresis c. 88. Quæ fuerit ejus patria, valde incertum. Campanum fuisse conjicit Commentator Marii Mercatoris. Naturæ vitio fuit Eunuchus. Aliquando in Foro versatus, unde a Mercatore auditorialis Scholasticus vocatur. Vitam monasticam professus est, teste Gennadio, L. de Scriptoribus Ecclesiasticis c. 44. ita scribente: Cælestius, antequam in Pelagianorum dogma incurreret, imo adhuc adolescens, scripsit ad parentes suos de Monasterio Epistolæ, in modum Libellorum, tres, omnibus Deum desiderantibus necessarias. Parum igitur juvat, quod ex Augustino L. de gestis Pelagii c. 35 profert Commentator Mercatoris, dissertatione 1. De primis auctoribus & defensoribus heresis Pelagiane, nempe heresim ad versus gratiam, a quibusdam veluti Monachis ortam esse. Hæc enim particula veluti, non veritatem hujus professionis, sed virtutem desiderat. Quo sensu idem S. Doctor l. 1. ad Bonifacium c. 1. in fine ait; Octo-

T. pag. 412. B. decim

decim velut Episcopos adhæsisse Juliano: quos tamen veros fuisse Episcopos certum est. Acerimi ingenii erat Cœlestius, teste S. Aug. l. 2. ad Bonifacium c. 3. unde factum est, ut magistrum suum Pelagium audacia superaverit, ac totius exercitus doctor fuerit, ut ait S. Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem. Cum in Concilio Carthaginensi damnatus, & idcirco ab honore Sacerdotii, quem ambibat, repulsus fuisse, Africam deseruit; & in Asiam profugus, Presbyteratum ibi suffuratus est. Qui res Cœlestii quasi per annos singulos digestas legere voluerit, consulat jam appellatum Commentatorem Mercatoris dissertatione i. c. 5.

Julianus alter fuit, & quidem maxime famosus Pelagianæ hærefoes auctor, patre Memore, & Julianæ matre in Apulia natus. Uxorem primo duxit: tum soluto matrimonio, sive per mortem uxoris, sive ex mutuo consensu; laicus Ordinibus initiatus est: tum ad Episcopalem dignitatem junior asumptus, fastu ac superbia turnens, ut sibi nomen faceret, inclinatam, & afflétam Pelagianorum caussam erigere conatus est. Hunc facili eloquentia, ingenio acri, & subtili, magna Scripturarum sacrarum peritia, ac multiplici Literarum tum Græcarum, tum Latinarum cognitione illustrem fuisse tradit Gennadius. Multa scripsit, quæ S. Aug. acerime confutavit; atque hominis fraudem, hæresimque tam aperte detexit, ut Episcopatu, & Italia pulsus, Constantinopolim venerit cum sociis, patrocinium Theodosii Imperatoris, & Cleri Constantinopolitan imploratus. Verum aderat tunc Constantino poli Marius Mercator amicus S. Aug. qui adversus Julianum, & sequaces ejus Commonitorium obtulit Imperatori, quo Juliani hæresi detecta, ipse, & Cœlestius, & alii ejusdem consortes erroris ab Urbe Constantinopolitana pulsi sunt, & postmodum cum Nestorio damnati in Concilio Ephesino. Tentavit, sed irrito conatu, Episcopatum, & Ecclesiæ societatem recuperare: Sanctorum enim Sixti, & Leonis Pontificum opere repressus est, teste S. Prospero in Chronico. Italia igitur simul, & Oriente ejectus, omnibus Ecclesiæ, & Imperatorum telis percussus, diu profugus Siciliam tandem appulit; & in ignobili viro, cum aliquandiu pueros docuisset, miserrime obiit circa annum Christi 453. ex Episcopo factus ludimagister.

Pelagii errorem circa peccatum originale mordicus propugnavit; at vero circa gratiam paullo eum temperavit, quasi ad Semipelagianismum declinans. Volebat gratiam plane necessariam quidem esse ad boni executionem; ad cupiditatem vero, seu voluntatem, naturam sufficere. Ita refert S. Aug. pluribus in locis l. 2. ad Bonifacium c. 8. & l. 4. c. Julianum c. 3. & lib. de Gratia, & libero arbitrio c. 14. Plura de Juliano lege apud auctorem citatum, dissertatione i. cap. 6.

Annianus, homo, ut credo, Italus fuit, Latinæ & Grece Linguae peritissimus, Ecclesiæ Celedensis Diaconus, qui Pelagio magnam operam præstítit in detergenda sermonis barbarie. De eo sic scribit S. Hieronymus in Epistola ad Alipium, & Augustinum cap. 2. *Quæritis utrum rescripserim contra libros Anniani, pseudodiaconi Celedensis, qui copiosissime paucitur, ut aliena blasphemia verba frivola subministret In eodem luto basit, & exceptis verbis tinnulis, atque emendatis, nihil aliud loquitur. Tamen multum egimus, ut dum Epistolæ meæ respondere conatur, apertius se proderet, & blasphemias suas omnibus patesceret.* Duas Annianus scripsit Epistolas, unam ad Orontium Episcopum, quæ prefigitur

octo Homiliis S. Chrysostomi in Matth. quas in Latinum idioma transluit: Alteram ad Evangelum Presbyterum, quæ præfigitur septem Homiliis de Iudicibus B. Pauli. Utraque porro Pelagianismum spirat: referta est enim convitiis in Catholicos, & præfertim in S. Aug. quem Traduciani nomine indigitat. Item sententiis, artibusque Pelagianorum tota scatet scilicet humanæ naturæ encomiis, exaggeratione liberi arbitrii, & possibilitatis mandatorum Dei.

DE SEMIPELAGIANIS.

Origo, progressus, & exitus Semipelagianismi.

Semipelagiani sic dicti quasi a partito, ac dimidiato, quem propugnabant, Pelagii errore: dicti etiam reliquæ Pelagianorum, quod ex eorum cineribus excitati, partem aliquam jam prostrati erroris superstitem facerent: dicti quoque Massilienses, ab Urbe Massiliensi, ubi frequentiores consistebant. Duo quippe fuerant Pelagianæ impietatis præcipua capita: primum, nullum dari originale peccatum; alterum, gratiam ad singulos pietatis actus non esse necessariam. Julianus priori errore constanter retento, alterum circa gratiam emollire ac temperare visus est, ac veluti prima Semipelagianismi exordia posuisse, cum docuit, ut mox diximus, gratiam esse quidem necessariam ad perfectionem, & executionem boni; ad primam autem boni cupiditatem, naturam solam sibi sufficere.

Verum per Semipelagianos vulgo intelliguntur illi, qui peccatum originale, atque infirmitatem naturæ inde contractam, tum gratiæ necessitatem ad omne opus bonum sive incipiendum, sive percipiendum agnoscent; sed initium fidei, & in ea perseverantiam, contendunt a sola esse natura.

Errandi occasionem sumperunt ex Libris Sancti Augustini contra Pelagianos, in quibus gratuitum prædestinationis propositum defendit. Multi, ait S. Prosper in Epistola ad S. Aug. qua ipsum de erroribus Semipelagianorum admonet, servorum Christi, qui in Massiliensi Urbe confidunt, in sanctitatis tuae Scriptis, quæ adversus Pelagianos hereticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni & Ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti. Iisdem Scriptis turbati jam in Africa fuerant Monachi Adrumentini, quos ut sedaret, ac simul institueret Aug. Librum edidit de correptione & gratia. Quo in notitiam nostram insperata opportunitate Inter Aug. T. 2. pag. 821. A. ibid. B. delata, ait ibidem S. Prosper, putavimus omnes querelas resistentium sopiaendas. Verum illi, pergit, qui persuasionis sua impediantur obscuro, aversiores quam fuerant, recesserunt. Quapropter S. Aug. ut eorum querelis satisfaceret ac occurreret errori grassanti, duos Libros, unum de prædestinatione Sanctorum, alterum de dono perseverantiae, scripsit ad Prosperum, & Hilarium, a quibus per Epistolas Libro de prædestinatione SS. præfixas, de sententia Semipelagianorum edocitus fuerat.

Ibid. p. 825. A. Videntur autem Prosper, & Hilarius viri Laici fuisse, quos S. Aug. filios appellat. Et vero Hilarius illum non fuisse Arelatensem Episcopum, quem S. Prosper in sua Epistola dicit, in querelam traxisse Augustini sententiam, patet manifeste, tum quia Hilarius, qui ad S. Augustinum scripsit, n. 10. Epistole profitetur, se non eo animo ipsi scribere, quasi dubitet de veritate eorum, quæ ediderat; additque, se ipsius presentiæ deliciis aliquando potius, ubi-

*überibusque salubribus nutritum fuisse: tum quia numero 9. aperte indicat se
Laicum fuisse, his verbis: Sunt ex parte talis persona (de Semipelagianis
Massiliensibus loquitur) ut bis consuetudine Ecclesiastica Laicos summam re-
verentiam necesse sit exhibere. Quod quidem ita curavimus Deo juvante ser-
vare, ut cum opus fuit, non taceremus. Tum denique quia Aug. appellat 828. F.
Patrem, a quo vicissim Lib. de prædest. SS. c. 1. filius nuncupatur,
quæ sane omnia Arelatensem Episcopum non designant.*

Origo Semipelagianismi non a Massiliensibus primum reputanda. An-
te ipsos Aug. ipse nondum Episcopus, in eodem errore versatus fuerat,
sicut ipsem fatetur L. de prædestinatione SS. c. 3. initio. Quin & ipse
Hieronymus, in iis etiam Libris, quos ex professo contra Pelagianos exar-
avit, si Jansenio fides, 1. 7. de hæresi Pelagiana c. 4. in eundem errorem
incidit: *Adeo proclive est corrupta natura, (quæ velut mortem ipsam horret, o-
mni fiducia sua libertatis funditus exui) in sententiam Semipelagianam labi, te-
nacissimasque fibras illius erroris retinere!* exclamat ibidem Irenensis Episcopus.
Nec mirum, pergit ille, si præcedentibus nonnullis Patribus, maxime Græcis,
qui studiosissime Origenis Pelagianorum antesignani lucubrationes triverant, ali-
quid ex pulvere subtilissimi illius erroris adhaesisset. *Neque enim pauca passim*
*in Scriptis eorum occurrunt loca, quæ Massiliensium sententiam in exteriori cor-
tice præferunt.* Ex quo profectum est, ut eos Dizi Augustini doctrina velut
nova non parum offenderet, quod & præcedentium Patrum auctoritas, & sen-
sus Ecclesiasticus repugnare viderentur. Quæ Jansenii verba, Patribus Græ-
cis ac Traditioni Ecclesiæ injuriosa maxime videntur; quasi discordes
hac in parte illi fuerint, nec Catholicum dogma circa necessitatem gra-
tiae ad initium fidei aperte tenuerint. Si ita est; interrupta ergo fuit
& intercisa veræ Traditionis series? Qua ergo via, quo canali fluxit ad
Augustinum, & ad Ecclesiam Catholica & Apostolica doctrinam? An no-
va tunc facta est revelatio? non fatebitur haud dubie Jansenius.

Ipsò vivente Augustino & Episcopo jam facto, Vitalis Carthaginensis eundem cum Massiliensibus errorem professus est: teste S. Aug. Epi-
stola 217. alias 107. ad ipsum data, qua illum ab hoc errore revoca-
vit. Verum inter ceteros, tum vivente, tum præsertim mortuo Aug.
anno 430. Massilienses Semipelagianismi ardentes fuere patroni, &
scriptorum S. Aug. obrectatores, qui cum versus annum 433. quinde-
cim capitulorum indiculis publice doctrinam S. Aug. redarguissent, re-
pressi sunt a sancto Prospero, Libello inscripto: *Ad capitula objectionum
Gallorum calumniantium responsiones.*

Item & adversus Collatorem scripsit, quod, hoc est, Cassianum, collec-
tiones quasdam SS. Patrum adornaverat: in quarum 13. sub persona Ab-
batis Chæremonis Semipelagianum errorem apertissime propugnat. Jam
anno 429. scriperat idem S. Prosper eruditam contra Semipelagianos Epi-
stolam ad Rufinum, quem nonnulli perperam confundunt cum Aquile-
jeni, qui jam ante annos viginti, in Sicilia extrellum diem objerat.

Eodem ferme tempore, Camillus & Theodorus Præbyteri Genuenses, cum in L. de prædestinatione Sanctorum nonnulla legissent difficilia, &
obscura, ea excerpterunt & miserunt ad sanctum Prosperum, quibus res-
pondit S. Doctor, Libello, cui titulum fecit: *Ad excerpta Genuensem.*

Verum Semipelagianorum numerus in tantum crevit, ut eorum di-



Inter
August.
772. p.
829. B.
Ibid. p.
828. F.

T. 1. p.
165. col.
1. B.

gnitate, eruditione, pietate, ac numero commoti Prosper, & Hilarius Romam adire coacti sint, & apud S. Cœlestimum S. Pontificem querelas suas deponere. Cœlestinus auditis querimoniis, scripsit celebrem Epistolam ad quosdam Galliarum Episcopos, in qua laudat Sancti Augustini doctrinam, & ejus obtrectatoribus silentium imponit.

Cum autem S. Prosper beati Aug. doctrinam, & memoriam calumniis vindicasset, scipsum statim vidit calumniis impetum a quodam Vincentio, cuius calumniam propulsavit Libello, cui nomen est: *Ad capitula objectorum Vincentianarum responsiones*. Quis autem fuerit ille Vincentius, controvèrtitur. Baronius anno Christi 431. numero 188. dicit hunc Vincentium distinguendum esse a Lirinensi celeberrimi Commonitorii scriptore.

Volsius 1. 1. Historię Pelagianę c. 9. & post ipsum Eminentissimus Norisius 1. 2. Historię Pelagianę c. 11 contendunt Vincentium illum esse ipsifsum Lirinensem, quem Semipelagiana fuligine tinctum fuisse scribunt.

Semipelagianos, antequam a Synodo Arausicana 11. sub Felice IV. anno 529. damnati fuissent, tamquam viros egregios audiisse, pietatis, eruditionis, ac ingenii laude conspicuos in Catholica communione mansisse, testantur & S. Prosper in sua ad sanctum Augustinum Epistola, & Sanctus ipse Augustinus in Lib. de dono perseverantiae c. ultimo, ubi eos, fratres ac dilectores suos, & Pelagianæ hæreseos impugnatores appellat.

T. 10. p.
437. D. Inter Semipelagianos præcipui fuere

Ioannes Cassianus, a sancto Chrysostomo Diaconus olim ordinatus; post cuius obitum, Massiliensis Presbyter factus est: qua in urbe extructo Cenobio, maximam sibi tum pietate, tum eruditione famam comparavit. Collationes Patrum, unde Collator a Prospero dictus, evulgavit. Obiit magna cum opinione sanctitatis: unde S. Gregorius Magnus 1. 6. Epistola 12. ad Respectam Abbatissam Massiliensem data, laudat Monasterium, quod in honorem S. Cassiani consecratum est. Et Urbanus V. Cassiani caput argentea theca inclusum, hac epigraphe ornari voluit: *Caput S. Cassiani*. Denique illius memoria Massilia colitur sollemni ritu die 23. Julii. Cassiani scripta Gelasius S. Pont. inter apocrypha, hoc est, inter ea quæ caute legi debent, recensuit.

Faustus ex Abate Lirinensi factus Episcopus Regiensis in Gallia, Semipelagianorum defensor fuit accerrimus. Illum confutarunt Cesarius Arelatensis, Avitus Viennensis, Joannes Antiochenus, & Sanctus Fulgentius Rusensis. Gelasius etiam Libros ejus inter apocryphos amanda vit: quamquam autem erraverit, quod humanum est, nomen tamen ejus sacris Gallicanæ Ecclesiæ fastis est adscriptum, ut observat Baronius ad annum Christi 490. n. 42.

Hilarium Arelatensem Episcopum Semipelagianorum errore imbutum fuisse, significat S. Prosper scribens ad S. Aug.

Gennadius Massiliensis Presbyter, alter Semipelagianismi professor, Fausti Libros valde commendat, & S. Augustinum reprehendit, quem ait in multiloquio peccatum non vitasse, vixque illum absolvit ab hæresi: Cassiani vero doctrinam male a sancto Prospero reprehensam scribit Libro de Viris illustribus c. 84.

Extium plane infelicem habuit hæresis Semipelagiana. Damnata fuit in Concilio Arausiciano II. an. 429. sub Felice IV. quod quidem Concilium confirmavit Bonifacius II. Felicis IV. successor, & indubitatam obtin.

obtinet apud omnes Catholicos auctoritatem. Eamdem damnationem instauravit Conc. Trid. sess. 6. de justificatione can. 2. & 3.

His historice præmissis, gravis supereft solvenda controversia; (si tamen post Ecclesiæ judicium supereftse inter Orthodoxos controversia potest) in quo nempe præcise positus fuerit error Semipelagianorum? An quod negaverint gratiam ad initium fidei, & perseverantiam necessariam esse, quod contendunt Catholici? An, ut Jansenio placet, quod docuit talem esse gratiam, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare?

Quis fuerit Semipelagianorum error? An interioris gratiæ necessitatem ad initium fidei negaverint, vel admiserint?

De Semipelagianis duabus Libris integris ex professo tractat Jansenius, qui septimus & octavus est de hæresi Pelagiana. In his infelicit laborat, ut errorem Semipelagianum in eo collocet, ubi re ipsa non est; collocat autem, ubi illum revera non esse judicavit Ecclesia. Si ipsi fides l. 7. c. 5, tota causa erroris Semipelagiani fuit propositum illud divinæ vocationis, & prædestinationis, quo salvandi a peritris discernuntur secundum Augustinum: hoc est, propositum absolutum efficax, prorsus independens a prævisione cujuscumque boni operis etiam ex gratiæ viribus elicit, a quo proposito abhorruisse Semipelagianos pluribus de cauſis ostendit, quas fuse prosequitur a c. 9. usque ad 18. ubique insinuans, in eo errasse Semipelagianos, quod propositum divinæ vocationis & prædestinationis vellent esse conditionatum; hoc est, pendere ex prævisione meritorum etiam ex gratia: Quod Deus, quantum est ex se, velit omnes homines salvos fieri, si ipsi velint: Quod Christus pro omnibus mortuus sit, eaque intentione Sanguinem fuerit, ut omnibus prodeſſe ad ſalutem poſſit: Quod omnibus media ad ſalutem conſequenda ſufficientia offerat, vel conſerat &c. Verum, quod ad præſens noſtrum iſtitutum propius attinet, Jansenius iſto capitali errore occupatus, per gratiam, ſeu cæleſtem delectationem ſuperiorem ac viſtricem, voluntatem ad bene agendum neceſſario determinari; ac proprie loquendo, non aliam eſſe in præſenti ſtatu gratiam Christi præter efficacem ſeu viſtricem, docet Semipelagianos in eo non errare, quod rejeceſſint neceſſitatem gratiæ interioris ad initium fidei, ad orandum, querendum, pulſandum, &c. Sed quod eam gratiam talem eſſe vellent, cui voluntas prouantu ſuo, & arbitrio conſentire poſſet vel diſſentire: uno verbo, quod non aliam ad illud fidei, & ſalutis exordium admitterent gratiam, præter eam, quaæ Adamo innocentia data fuerat; id eft, auxilium fine quo, non vero auxilium quo. Sic loquitur L. 8. c. 6. *Itaque Massiliensum opinionibus, & Aug. doctrina quam diligenter ponderata certum eſſe, & indubitatum eſſe debere ſentio, quod Massilienses præter prædicationem atque naturam, veram etiam & internam, & actualem gratiam, ac ipsam etiam fidem, quam humanae libertatis & voluntatis adſcribunt viribus, neceſſariam eſſe fateantur.*

Et infra ibidem: *In hoc ergo proprio Massiliensum error fitus eſt, quod aliiquid primætæ libertatis reliquum putant, quo ſicut Adam, si voluſſet, poterat perſerve- pag. 188 ranter operari bonum, ita lapsus homo ſaltem credere poſſet si vellet: neuter tamen col. 1. B. absque interioris gratiæ adjutorio, cuius uſus vel abuſus relictus eſſet in uniuersuſ cuiusque arbitrio & potestate. Quod hic & alibi pluribus verbis expreſſit Jansenius, preſſius & neryofius, ſed eodem plane ſenu, enuntiat inter quin-*

Journely de Gratia. Tom. III. Pars I.

G que

T. I. p.
185. col.
2. B.

que famosas ejus Propositiones, quæ numero IV. est: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant heretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.* Quam quidem Propositionem SS. Pontifices Innocentius X. & Alexander VII. falsam, & hereticam declarant. Quapropter a gravi saltem temeritate excusari inter recentiores non possunt ii, qui post sollempne istud judicium, cui acquievit Ecclesia universa, primam hujus Propositionis partem defendere eo prætextu non verentur, quod ad merum factum, ut ajunt, pertineat.

T. I. p. 1. 7. c. 2. de hær. Pelagiana. Omnibus quidem, inquit, commune fuit originis labem & nonnullam naturæ corruptionem, adeoque liberi arbitrii infirmitatem peccato partam agnoscere: sed non omnes æqualiter in ea infirmitate confitenda progressi sunt. Quidam enim solo primo tenuissimoque auspicio vita initio si bi reservato nihil prorsus ad salutem progreedi hominem posse sine vera Dei gratia constanter libenterque fatebantur: alii per naturam gratuito in creatione datum ad bonum & malum prorsus indifferentem esse, & accidente prædicationis & doctrine adjutorio perfectam justitiam assequi posse cum Pelagio delirabant. Igitur fatente Jansenio, nonnulli, ac priores Semipelagiani negarunt gratiæ interioris necessitatem, etiam ad initium fidei; nec a Pelagio hac in parte ullatenus dissentiebant. Ceteri vero posteriores, constanter admisere illam gratiæ interioris necessitatem, non tantum ad boni initium & progressum, sed etiam ad initium fidei.

Verum, priusquam ad hanc Jansenii, & ejus sequacium sententiam confutandam accedamus, nonnulla sunt prænotanda.

I. Semipelagiani distinxere in homine ad vitam æternam anhelante, initium fidei, & primum salutis desiderium, quo quis ad orandum, pulsandum, quærendum &c. movetur; tum initium boni cujuscumque operis, & ipsius perfectionem, seu executionem. Ad omne quidem bonum seu incipiendum seu perficiendum gratiam absolute necessariam esse fabrabantur, non vero ad initium fidei salutis desiderium: quod nempe ejusmodi initium ac desiderium salutis, inter vera opera non putarent esse recensendum: quemadmodum desiderium obtinendæ sanitatis, quod in ægrotō præcedit operam medici, inter medicinæ opera non reponitur. Ita illos censuisse testatur S. Hilarius in Epistola ad S. Augustin.

Inter August. T. pag. 825. F. nullum opus bonum, inquit, vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentiunt: neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita & supplici voluntate unumquemque ægrotum velle sanari.

Ad illum vero errorem compulsi sunt, ne fateri cogerentur, Deum aut personarum acceptorem esse, aut injustum gratiæ distributorem; aut humanam funditus perimi libertatem, quam conciliare illi nusquam potuerunt cum necessitate gratiæ prævenientis gratuitę, quam nimis mereri non possumus; & sine qua tamen, ne desiderium quidem salutis & initiale fidei possumus concipere. Inde est, quod teste S. Prospero quæcumque Julianus, ceterique Pellagiani opponebant contra gratiam simpliciter necessariam ad omnem pietatis actum, isti Semipelagiani sua fecerint, ac pariter objec- rint contra necessitatem gratiæ interioris prævenientis ad initium fidei.

II. Notandum, (quod supra, ubi de Pelagianis, jam observavimus) Semipelagianos naturali facultate, libero arbitrio, legi, atque doctrinæ gratiæ nomen dedisse; sicut expresse docet S. Prosper in Epistola ad S. Augustinum.

III. Notandum, gratiam interiorem aliam esse in intellectu, qua nempe intus illustratur; aliam in voluntate, qua intime & immediate afficitur & juvatur ad bonum opus: de hac una posteriori hic agitur.

IV. Denique, nos ultiro consentire Jansenio, cum l. 7. de heresi Pelagiana c. 3. ait, non ex solis Fausto, & Castiano judicandum de statu erroris Semipelagianorum, sed ex scriptis Prosperi, & Hilarii, quibus addi debet & ipse S. Aug. Quamquam enim efficeret quis (quod tamen non concedimus) aliquem eorum, qui Semipelagiani nomine infamantur, agnoscere gratiam esse necessariam etiam ad initium fidei; non tamen inde concludi posset, commune istud fuisse totius sectæ dogma. Verum contendimus, omnes germanos, ac veros Semipelagianos in eo potissimum errasse, quod negaverint necessariam esse gratiam ad initium fidei, & in ea perseverantium. Sit itaque

C O N C L U S I O .

Semipelagiani omnes gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad initium fidei costantissime negaverunt.

Probatur, pluribus argumentis.

Primum inde petitur, quod Semipelagiani dicerent initium fidei, & salutis esse a viribus liberi arbitrii, a naturali libertate, seu possibiliitate, a natura ipsa. *Ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur*, ait S. Prosper in Epistola ad S. Aug. *volunt unumquemque pervenire per naturalem facultatem, petendo, quaerendo, pulsando, ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ bene usus, ad istam salvantem gratiam, initialis gratiæ ope meruerit pervenire.* Per initiale illam gratiam, hic S. Prosper intelligit naturalem liberi arbitrii facultatem, quam Semipelagiani, ut & Pelagiani gratiam nuncupabant. *Ad conditionem hanc*, ait S. Prosper paullo ante verba mox citata, *velint uniuscujusque hominis pertinere, in qua eum nihil prius merentem, quia nec existentem, liberi arbitrii, & rationalem gratia in Creatoris instituat.*

Plura in confirmationem hujus primi argumenti testimonia non profereamus; quod ea ultiro agnoscat & admittat Jansenius. Verum omnia arte conatur illa eludere l. 8. de heresi Pelagiana c. 10. & l. 2. de Gratia Ch. c. 12. & 13.

Ait enim 1. Semipelagianos viribus liberi arbitrii, possibilitati, & libertati naturali potius, quam gratiæ, initium fidei, & salutis tribuisse.

Quia, inquit l. 2. de Gratia Chr. c. 13. humani arbitrii erat cum ista gratia actu velle vel nolle, actu credere vel non credere, actu orare vel filere. Non Ibid. p. enim, ut dixerat c. 12. credere est gratiam accipere, cuius influxus in libero 55. E. relinquatur arbitrio; sed hoc est credere, arbitrium sepe ad credendum, quovis adjutorio assistente, suo nutu re ipsa flectere.

Confirmat Jansenius ibid. c. 12. exemplo Angelorum, & Adami innocentis, qui tametsi gratiam haberent, proprio tamen libero arbitrio stetisse vel cecidisse dicantur; quod versatile dumtaxat, hoc est voluntati eorum permisam, ac subditam gratiam habuerint.

Ait 2. l. 8. de heresi Pelagiana c. 10. Semipelagianos nomine naturæ, gratiam vere interiorem, ac supernaturem non exclusisse, sed potius

Intra
August.
T. 2. P.
822. D.

Ibid. C.

T. 3. P.
59. col.
1. A.

T. i. p. complexos fuisse. Cum enim ipsi bujus naturæ integratatis reliquias post la-
198. col. psum superesse traderent, etiam gratiam ei debitam sub eadem superstite inte-
2. E. gritate complexi sunt. Cujus tamen gratiæ mentionem apertam idcirco Semipelagianos posteriores non fecisse affirmat ibid. Jansenius, quod intel-
ligenter eam plane inutilem esse solvenda controversia, quam cum Au-
gustino habebant de gratia, per quam credentes a non credentibus di-
scernuntur; qualis certe non est gratia versatilis, ac declinabilis: non
enim per illam, qui credunt, discernuntur, sed per suum liberum arbitrium. Addit, SS. Patrum querimonias adversus Semipelagianos non hinc
ortas fuisse, quod actus illi boni defectu gratiæ simul cum arbitrio influentis
non essent vel vita æterna digni, vel meritorii, vel supernaturales, ut nunc
aliqui (ait Irenensis) comminisci solent, sed quod obscuritatem divinorum ju-
dicatorum super salutem, & perditionem hominum, per illam gratiam naturalis li-
bertatis, hoc est per velle, & nolle uniuscujusque referarent.

Refellit-
tur 1.
Jansenii
evasio.

Refellit-
tur 2.
Jansenii
evasio.

Ed. N. p. Semipelagiani, teste sancto Prospero, Libro contra Collatorem c. 3. ipsos
315. C. laudabiles motus appetitusque virtutum, remota gratia Dei, nudæ libertatis ad-
scribabant. Ergo Semipelagiani ad illos primos bonos motus gratiam simpli-
citer necessariam esse negabant; adeoque exemplum Angelorum, & primi
hominis, ad quod toties recurrerit Jansenius, appositum non est ad ejus
causam. Docet equidem S. Aug. Angelos bonos per liberum arbitrium ste-
tisse, & Adamum per suum pariter liberum arbitrium perseverare potuiss-
se, si voluisset; at nusquam dixit, quod dicebant Semipelagiani, Angelos
per solum liberum arbitrium, aut fidem habuisse, aut in ea perseverasse.

Secunda responsio non minus falsa, & commentitia est. Supponit enim Jan-
senius, quod erat probandum; & nos negamus, Semipelagianos agnovisse ne-
cessitatem gratiæ interioris prævenientis ad initium fidei, & primos bonæ
voluntatis motus, pro natura integra, & innocente. Si enim talis gratiæ ne-
cessitatem negarunt naturæ virtutæ, & lapsæ, quanto magis naturæ stanti,
& integræ? Falsum est pariter, eos sub naturæ nomine gratiam complexos
esse. Nemo quippe ignorat, communis eorum, sicut & Catholicorum, cum
eos impugnant, sensu, naturam gratiæ opponi, & contra illam distingui;
ita ut gratia censeatur excludi, cum boni aliquid per naturam fieri dicitur.
Ita Patres Concilii secundi Arausicanæ, cum adversus Semipelagianos de-
finiunt can. 5. *Initium fidei non esse in nobis naturaliter, sed per inspirationem*
Spiritus Sancti. Et Can. 7. *Per naturæ vigorem nihil boni posse cogitari,* ue-

Tom. 4. *expedit, sed per illuminationem, & inspirationem Spiritus Sancti.*

Conc. p. Ita, & S. Aug. L. de predest. Sanctorum c. 5. n. 10. dicebat: *In bac*
1668. E. *Apostoli evidentissima intentione, qua contra humanam superbiam loquitur, ne*
ibid. p. *quisquam in homine, sed in Domino glorietur, dona Dei naturalia suspicari,*

five ipsam totam perfectamque naturam, qualis in prima conditione donata est, five vitiata natura qualescumque reliquias; nimis, quantum existimo, absurdum est. Numquid enim per hæc dona, quæ omnibus communia sunt hominibus, discernuntur homines ab hominibus?

Hic profecto S. Doctor naturam opponit gratiæ simpliciter necessariæ, ac Semipelagianos perstringit, qui solam naturam absque interiori gratia sufficere dicebant ad fidei, & salutis initium.

Eodem in capite rursus naturalem facultatem apprime distinguit a gratia. Ut enim, inquit, sit natura, fidem posse habere, numquid & habere? Non enim omnium est fides; cum fidem posse habere sit omnium Proinde posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, natura est hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem, gratia est fidelium. Illa itaque natura, in qua nobis data est possilitas habendi fidem, non discernit hominem ab homine: ipsa vero fides discernit ab infideli fidelem. Sic Aug. invictè refellit Semipelagianos, qui non tantum credendi possilitatem, sed & ipsam fidem soli naturæ tribuebant. At, ne Jansenius ad suum solitum figmentum confugiat, Aug. scilicet, Semipelagianorum sensu, per naturam, non quamlibet seu versatili, & repudiabilem, quæ sanitatis dicuntur, gratiam exclusisse, sed medicinalem dumtaxat, victricem, insuperabilem, & indeclinabilem; audiat quæ sit illa gratiæ species, quam agnoscit a Semipelagianis admitti, & quam aliam ab ipsis postulat, ut confiteantur. *Sic ergo*, inquit mox citato c. 5. L. de prædest. SS. immediate post verba relata, gratia naturæ attributa, qua sumus animantia rationalia, ibid. D. discernimurque a pecoribus: sit etiam gratia naturæ attributa, qua in ipsis hominibus a deformibus pulchri, vel ingeniosi discernuntur a tardis.

En exemplum gratiæ naturalis, quam Pelagiani ad omnes bonos actus, Semipelagiani vero ad initium saltem fidei sufficere contendeant. Verum S. Aug. aliam longe exigebat, ac demonstrabat esse necessariam. Sic enim pergit: *Sed se ille, quem coerebat Apostolus, adversus pecus inflabat, nec adversus hominem alterum de aliquo naturali munere quod inesse posset, & pessimo: sed aliquod bonum quod pertineret ad vitam bonam, sibi non Deo tribuens inflabatur, quando audire meruit: Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non acceperisti? Ergo Semipelagiani illam intensiorem gratiam supernaturalem non agnoscebant; sed eam dumtaxat, quæ a natura, seu naturali facultate liberi arbitrii non distinguitur.*

Et certe juxta S. Aug. Semipelagiani per hanc suam gratiam non distabant a Pelagianis. Non ergo, inquit L. de prædest. Sanctorum c. 2. redditur ab ea sententia, quam Pelagius ipse in Episcopali judicio Palestino damnare compulsus est. At Pelagius nullam agnovid veram, & internam voluntatis gratiam, ad quaecumque actum bonum simpliciter necessariam: ergo nec Semipelagiani talem admisere ad initium fidei, & salutis desiderium.

Verum, regevit Jansenius, gratia quam hic & alibi exigit S. Aug. discernit bonos a malis, fideles ab infidelibus. Quod addit Jansenius. Semipelagianos de illa sua gratia interiori idcirco ut plurimum fluuisse, quod eam inutili judicarent solvendæ controversiæ, quæ ipsis erat cum S. Aug. aut absurdum est, aut nobis favet: si enim talem gratiam proferre non ausi sunt inter disputandum cum Catholicis, ut quid eam admittebant?

Denique falso etiam supponit Jansenius, querimonias SS. Patrum adversus Tournely de Gratia. Tom. III. Pars I.

2. Cor. 33. v. 5. Semipelagianos non in eo innixas fuisse, quod defectu gratiae actus boni non essent, nec digni vita æterna, nec meritorii, nec supernaturales &c. Reipsa enim istud solidissimum erat illarum querimoniarum fundamen-tum. Ut quid enim August. affert contra illos istud Apostoli : *Non sumus sufficientes aliquid cogitare a nobis quasi ex nobis?* nisi ut ostendat naturam sibi soli relictam, imparem else supernaturalibus fidei, & spei, & charitatis actibus eliciendis; ac formalis, vel primis fidei ac salutis de-sideriis. Ut quid, & istud ejusdem Apostoli toties urget : *Quid habes quod non accepisti?* nisi ut efficiat, & quidem invicte, per solas naturæ vires non posse credentem a non credente discerni, sed discretionem illam else ex gratia supernaturali gratis a Deo concessa. Fruivolum igitur est, ac plane confictum effugium, quod Jansenius excogitavit ad il-lud primum argumentum eludendum; in cuius evasionibus diluendis, forte paullo diutius, quam par erat, hic hæsimus.

*2. argu-
mentū.* Secundum argumentum ex eo ducimus, quod Semipelagiani negarent fidem, atque in ea perseverantiam esse donum Dei. Ita testatur ipsemet S. Aug. qui ad hunc errorem confutandum, duos Libros ex professo edi-dit, unum de prædestinatione Sanctorum, alterum de dono perseveran-tiæ. In priori c. 2. statim aperit quid sibi probandum assumpserit : *Nunc eis, inquit, respondendum esse video, qui divina testimonia, quæ de hac read-701. D. bibuimus, ad hoc dicunt valere, ut noverimus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum ejus ex Deo: tamquam fides non ab ipso donetur nobis, sed ab ipso tantum augeatur in nobis, eo merito, quo cepit a nobis.* In qua refellenda sententia totus incumbit S. Doctor in toto hujus Libri decursu.

Ibid. p. 793. E. Cap. 3. fatetur ingenu, se ante suum Episcopatum in eodem cum Se-mipelagianis errore versatum fuisse, *Quo, inquit, præcipuo (Apostoli) testimonia (nempe, Quid habes quod non accepisti?) etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non esse do-num Dei, sed a nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, qui-bus temperanter & juste, & pie vivamus in hoc sæculo. Neque enim fidem putabam Dei gratia præveniri &c.* En ipsemet error Semipelagianus.

Ibid. p. 818. E. Denique hunc suum de prædestinatione Librum claudens Augustinus, quod suum fuerit consilium, qui error, quem debellavit, declarat rursus : *Cum, inquit, in prioribus Opusculis nostris satis idoneis testimonitis egisset, donum Dei esse etiam fidem: inventum est quod contradicetur, ad hoc valere ista testimonia, ut ostendant Dei donum esse incrementum fidei; initium vero fidei, quo in Christum primitus creditur, ab homine ipso esse, nec esse donum Dei: sed hoc exigere Deum, ut cum id precesserit, cetera tamquam hoc merito consequan-tur que Dei dona sunt Quod videtis quam sit absurdum, propter quod instituimus, quantum potius, ut etiam initium fidei donum Dei esse ostenderemus.*

Jansenius solito effugio hæc eludit. Nimirum reprehensos ab Augusti-no Semipelagianos, quod negarent fidem esse donum Dei; quia nempe gratia illa, sine qua fides haberi non potest, ab ipso penderet voluntatis nutu; ac tantum daret posse credere, non vero credere: quare fides li-bero voluntatis arbitrio, potius quam gratiae debet imputari. Quemad-modum etsi absque penicillo fieri non possit actio pingendi; non tamen ipsi penicillo, sed libero arbitrio imputatur, quod homo pingit. *Omne quippe meritum, & præmium, ait Jansenius Lib. 2. de Gratia Christi*

c. 12. dominatrici hominis libertati, sicut Angelis, & Adamo vindicantur.

Verum aberrat hic manifeste Jansenius. Licet enim gratia, quæ data est Angelis, & Adamo innocentibus, talis fuerit, ut ea prout suu uti possent ad fidem concipiendam, an propterea fides eorum dici potest non fuisse donum Dei? An in se ipsis, non vero in Domino gloriari, an se ipsos discernere dici possunt? Absit. Non enim, ait S. Aug. l. 2. de Civ. Dei c. 9. Angelii se ipsos meliores fecerunt, quam a Deo facti sunt, sed in eadem bona voluntate permanserunt, in qua primum conditi fuerunt. Inepta est comparatio, quam Jansenius instituit penicilli respectu picturæ, & gratiæ respectu fidei. Licet enim sine penicillo non possit homo actu pingere, potest tamen sine illo concipere voluntatem seu desiderium pingendi; neque enim istud instrumentum in ipsam influit voluntatem. At sine gratia homo non tantum non potest actu credere, sed nequidem voluntatem, seu desiderium fidei, & salutis concipere: quapropter istud desiderium, non soli voluntati, sed gratiæ potissimum debet imputari.

Tertium argumentum inde colligitur, quod Semipelagiani gratiam posteriorem facerent bona voluntate; id est, gratiam ad omne opus bonum, vel incipiendum, vel perficiendum necessariam, merito prioris bona voluntatis dari contenderent. Ita eorum sententiam exponunt.

S. Prosper in Epistola ad S. Aug. Quantum ad Deum pertinet, ait (dicunt) omnibus paratam vitam aeternam: quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprebendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint... Et paulo post: Cum duo sit, quæ humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia, & hominis obedientia; priorem volunt obedientiam esse quam gratiam, ut initium salutis ex eo, qui salvatur, non ex eo credendum sit stare, qui salvat; & voluntas hominis divinæ gratiæ, sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem.

S. Hilarius in sua pariter ad S. Aug. Epistola: Dicunt, inquit, (Semipelagiani) non negari gratiam, si praecedere dicatur talis voluntas, que tantum medicum querat, non autem quidquam ipsa jam valeat. Nam illa testimonia, ut est illud, sicut unicuique partitus est mensuram fidei; & similia, ad id volunt valere, ut adjuvetur, qui cepit velle, non ut etiam donetur, ut velut.

S. denique Augustinus L. de dono perseverantiae c. 23. n. 64. Putant, ait, esse a nobis, non dari nobis, ut petamus, queramus, pulssemus, & hoc esse dicunt, quod gratia praeceditur merito nostro, ut sequatur illa, cum accipimus petentes, & invenimus quarentes, aperiturque pulsantibus, nec volunt intelligere etiam hoc divini munoris esse, ut oremus, hoc est, petamus, queramus, atque pulssemus.

At, inquires cum Jansenio, Semipelagiani ab illa bona voluntate, quam gratie preire dicebant, non omnem excludebant interiorem gratiam, sed eam dumtaxat vietricem, & efficacem, quæ dat ipsum velle, & agere.

Verum, quam falso id fingat, ac supponat Jansenius, vel hoc uno planum, ac manifestum est, quod Semipelagiani in illa sua bona voluntate, non aliam agnoscerent gratiam, quam & naturalem arbitrii facultatem, & prædicationem Evangelii. Audiatur S. Prosper jam citatus: Ad conditionem hanc uniuscujusque hominis, inquit, volunt, (Semipelagiani) pertinere, in qua eum nihil prius merentem, quia nec existentem, liberi arbitrii, & rationalem gratia Creatoris instituat.

3. argu-
mentū.

Inter
August.

T. 2. p.
823. D.

Ibid. G.

Ibid. p.
825. G.

Rom. 12.
v. 3.

T. 10. p.
856.

T. 2. p.
822.

T. 10. p. Et S. Aug. L. de prædest. Sanctorum c. 3. Neque enim, ait, fidem p.
793. F. tabam Dei gratia præveniri . . . nisi quia credere non possemus, si non præ-
cederet præconium veritatis. En gratia, quem Semipelagiani ad initium
fidei admittebant, quæ profecto a Pelagiana non distat, sicut ipsis ex-
probrant SS. Prosper, & Augustinus.

4. Argu- Quartum argumentum suppeditant ea SS. Aug. & Prosperi testimonia, qui-
mentū. bus testantur Semipelagianos docuisse gratiam boni operis; sive inchoati, sive
perfecti, retribui merito prioris bonæ voluntatis; adeoque eam gratuitam
ibid. p. non esse. Non ergo, ait l. de prædest. SS. c. 2. receditur ab ea sententia, quam Pela-
791. E. gius ipse in Episcopali iudicio Palæstino damnare compulsa est, gratiam Dei se-
cundum merita nostra dari: si non pertinet ad Dei gratiam, quod credere cœpimus.

P. 314. Et S. Prosper L. contra Collatorem c. 3. Quomodo autem, inquit, non
C. advertis te in illud damnatum incidere . . . gratiam Dei secundum merita
nostra dari, cum aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod
gratiam consequantur, affirmas? . . . Impium est sic velle meritis ante gratiam
existentibus loco facere, &c.

5. Argu- Quintum argumentum desumitur ex ipsissimis momentis ac rationibus,
mentū. quibus S. Aug. errorem Semipelagianum oppugnat: quæ omnes vel fru-
stra sunt, vel eo tendunt unice, admittendam scilicet esse gratiam in-
teriorum necessariam ad initium fidei, quam negabant Massilienses. Hoc

(a) *F.* ut probet, affert hæc Scripturæ testimonia. (a) *Maledictus homo qui spem*
rem. 27. *babet in homine.* (b) *Quis prior dedit ei, & retribuetur illi? quoniam ex ip-*
v. 5. *s. Rom. 5o,* & per ipsum, & in ipso sunt omnia. (c) *Unicuique Deus partitus est*
11. 35. mensuram fidei. (d) *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti,*
(c) Rom. 12. 3. quid gloriaris, quasi non acceperis? (e) *Deus est qui operatur omnia in o-*
mniibus. (f) *Non omnium est fides.* (g) *Gratia salvi facti estis per fidem.*

4. v. 7. Denique, ut multa alia sileamus, urget & istud Apostoli 2. Corinth.
(e) *1. Co. 3. v. 5. Non sumus sufficientes aliquid cogitare, quasi ex nobis, sed sufficien-*
12. 7. tia nostra ex Deo est.

Thesal. Frustra contendit Jansenius, his testimonis voluisse S. Aug. demonstrare
(g) *Eph.* necessitatem gratiæ victoris, & efficacis, quæ necessario bonam actionem ex
2. 8. voluntate exprimit, & quam ad initium fidei non exigebant Massilienses.

Namque non is profecto est S. Doctoris scopus, nec de modo efficacis gra-
tiæ, sed dumtaxat de necessitate illius disputat adversus Pelagianos, & Semi-
pelagianos. De hac nempe gratia disserit, quam Pelagius ipse coram Patribus
Palestinis visus est agnovisse, & quam, ex communi Catholicorum sensu, ab
illo prædicari Patres illi arbitrabantur: atqui gratia, quam ex communi Ca-
tholicorum sensu Patres illi intelligebant haud dubie, ne ipso quidem diffiten-
te Jansenio, non erat illa victrix, & efficax, quæ invincibilis est, & insuperabili-
bilis; talem enim gratiam Patres illi, qui Græci erant, ignorabant, quæ, si
audiatur Jansenius, ab Augustino primum cœpit prædicari, & commendari.

6. Argu- Sextum argumentum petitur ex ipsissimis testimoniis Semipelagianorum.
mentū. Ex communi omnium sententia sic ipsi loquuntur apud S. Aug. L. de præde-
T. 10. p. fin. Sanctorum c. 19. *Nos dicimus, (inquit) nostram Deum non præfuisse nisi*
825. G. *fidem, qua credere incipimus, & ideo nos elegisse ante mundi constitutionem, ac*
Ed. Atre. prædestinasse, ut etiam sancti, & immaculati gratia, aucte opere ejus essemus.
bat pag. Joannes Cassianus Semipelagianorum antesignanus Collatione 13. c. 8. Cum
599. G. *Deus, inquit, in nobis orum quendam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eum*
600.

confestim atque confortat, & incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantavit, vel nostro conatu viderit emersisse. Adversus Cassianum scripsit ex professo S. Prosper Librum cui titulus est: *Contra Collatorem*.

Faustus Regiensis Episcopus alter Semipelagianorum antistes L. i. de lib. arb. c. 17. exponens, quomodo Pater nos trahat ad Filium, dicit, Deum attrahente aliiquid in homine requirere, ut per quandam voluntatis ansulam comprehendendi, & attrahi valeat, qui vocatur. Clamat, inquit, voluntas, quia sola per se elevari nescit infirmitas. Ita Dominus invitat volentem, T. 8. p. Bib. PP. attrahit desiderantem, erigit adnitentem. Et lib. 2. cap. 6. Vides, inquit, bonum 536. col. credulitatis non novellum esse prizilegium, sed vetustum, & inter ipsa mundi 2. H. coalescentis exordia mentem hominis, sicut intellectu, atque ratione, ita etiam ib. p. 541. col. 1. B. fide a summo auctore dotatam? Itaque jam tum dedit animæ notitiam suam, quando ei committere dignatus est imaginem suam. Ex his certe manifestum est, Faustum bonum credulitatis ad gratiam Creatoris referre, & ad divinæ imaginis impressa humanae animæ lineamenta.

Non defuere tamen, qui Fausti doctrinam ab erroris suspicione purgare tentaverint, sicut discimus ex Joanne Maxentio, in Responsione ad Epistolam Hormilda Romani Pontificis, in qua Fausti sententias opponit contrarias S. Aug. sententias, ac Fausti Apologistas refellit. Solebant nimurum Massilienses, ut & alii Novatores; sed multiplici verborum ambage, & involuero errorem suum dissimilare, eaque interdum proferre, quæ vere Catholicum sensum exprimere videbantur; sed quæ, detracta larva, ac proprius inspecto loquentis consilio, errorem oculis subjiciebant.

Ultimum argumentum colligimus ex censura IV. Propositionis inter famosas quinque Jansenii his verbis conceptæ. Semipelagiani admittebant gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: Et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam tamē esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. Hanc Propositionem, ajunt SS. Pontifices Innoc. X. & Alexander VII. falsam, & hereticam declaramus, & uti tamē damnamus. Nota falsitatis cadit in primam partem Propositionis, quæ facti est, nota vero hærefoes, in secundam, quæ ad jus seu dogma pertinet.

Ut hanc IV. Propositionis censuram declinent Jansenii discipuli,

Respondent 1. Primam hujus Propositionis partem, totam esse de facto; & ad illud credendum nulla lege adigere nos posse Ecclesiam.

Verum, hic jam sepositis, quæ fusius aliquando, Deo dante, disserimus circa auctoritatem Ecclesiæ in ejusmodi facti questionibus definendis, observa questionem istam, quid nempe de initio fidei senserint Semipelagiani, ita esse facti, ut jus involvat in Propositione damnata; cujus duæ partes sic conjunctæ sunt, ut prima, quæ est facti, semel posita, sequatur & altera, quæ juris est. Si quis enim contendat Semipelagianos gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, admisisse; sequitur in eo tantum illos errasse, quod rejecta gratia per se efficaci, insuperabili, & invincibili, versatilem ac sufficientem dumtaxat ad misericordiam, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare, quæ est secunda pars Propositionis damnata, in quam cadit nota hærefoes: quam quidem Propositionis partem, quæ juris est, ut salvent Jansenii discipuli, alteram, quæ est facti, mordicus propugnant.

Resp. 2. aliqui, Propositionem illam IV. merito proscriptam fuisse, cum sit

sit indefinita, ac de omnibus Semipelagianis loquatur; cum tamen aliqui gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad initium fidei non admiserint.

Verum supponit hæc responsio, plures inter Semipelagianos hujus gratiæ necessitatem agnovisse, quod esse a vero alienum jam ostendimus. Præterea, damnata est illa Propositio in sensu Jansenii, qui duos Semipelagianorum ordines distinguit, & de altero solum afferit, ipsos gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, admisisse. Ergo Propositio damnata de omnibus intelligi debet Semipelagianis, non de aliquibus dumtaxat. Deinde sensus damnatae Propositionis, quoad secundam partem, est, nullos Semipelagianos in eo hæreticos fuisse, quod gratiam talem esse vellent, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare: sensus itaque illius quoad primam partem, est, nullos Semipelagianos gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad initium fidei admisisse; unum enim ex altero necessario colligitur.

Respondent 3. nonnulli, primam illam Jansenianæ Propositionis partem merito damnatam fuisse, quamvis Semipelagiani gratiam interiorem ad initium fidei admiserint: quia scilicet gratia illa, quam admittebant, revera non est præveniens, cum sit gratia versatilis; serviens, ac subdita voluntati; quæ ipsam sequitur, non prævenit: idcirco ergo damnati illi sunt, quod gratiam efficacem, cui voluntas resistere non possit, rejecerint.

Verum apertum est, non isto sensu damnatam esse IV. Propositionem; quin imo potius, idcirco damnata fuit, quod afferat, Semipelagianos in eo hæreticos fuisse, quod vellent eam gratiam (quam admisisse dicuntur) talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. Tantum ergo abest, ut inde Jansenii discipuli inferant suæ gratiæ efficacis invincibilis, & insuperabilis necessitatem, quin imo potius damnantur, qui talem admittunt gratiam, cui non possit humana voluntas resistere, vel obtemperare.

Neque etiam attingitur quæstio hic de gratia efficacia se ut a consensu, inquietabant Doctores Parisienses ab 8o. Episcopis Romani deputati, in eo scripto, quod de sensu earum Propositionum Innoc. X. obtulerunt an. 1652. quia utriusque opinionis assertores fatentur, quod gratiam Dei possimus abjicere juxta Conc. Trid. sess. 6. can. 5. Sed tantum queritur, utrum gratia, in statu naturæ corruptæ, talis sit, ut necessitatem inferat voluntati, adeo ut ei non possit dissentire; quod nullus Catholicus unquam admisit.

A D D I T I O.

(*)

Multis responsonem banc, quam etiam P. Serry addibuit T. I. Praelect. Theolog. p. 449., refellit P. Fortunatus a Brixia Systematis Janseniani p. I. num. 162.

Respondent 4. alii cum P. Bellelli de statu creat. rat. I. 2. c. 10., Semipelagianos in eo fuisse hæreticos, quoniam admissa necessitate gratiæ CONDITORIS ad fidei initium, negabant necessitatem prævenientis adjutorii SALVATORIS & REDEMPTORIS.

Verum, ut omittam que Viennensis Archiepiscopus cum in Jansenismo redivivo, tunc in documento Pastorali adversus duplēm hanc Gratiam prout a Bellellio explicatur, sapienter ac copiose disputat, propositio damnata dicitur gratia gene-

generatim loquitur sine ulla distinctione gratiae seu Conditoris, seu Redemptoris; ergo post censuram ab Innocentio X. latam teneri non potest, admissam a Semipelagianis fuisse necessitatem gratiae seu Redemptoris, seu Conditoris.

(*)

Solvuntur Objectiones Jansenii, & discipulorum ejus.

Objicies 1. Ideo Semipelagiani dixerunt initium fidei, & in ea perseverantiam esse ab homine, quia crediderunt superstites in eo remanere reliquias primae integratatis; atqui tales reliquiae, in sensu Semipelagianorum, non excludunt gratiam sufficientem seu auxilium *sine quo*: ergo initium fidei, & in ea perseverantia, in eorum sententia, gratiam non excludunt sufficientem, seu auxilium *sine quo*, sed tantum efficacem seu auxilium *quo*.

Major certa est, nec negari potest.

Minor ostenditur: quia in mente Semipelagianorum perfecta integritas Adami non excludebat, imo supponebat gratiam sufficientem; ergo multo minus reliquiae hujus integratatis tamē gratiam jam excludunt.

Antec. probatur. Tum quia neque S. Prosper, neque S. Hilarius, neque S. Aug. qui Semipelagianorum errorem propitiis inspicerunt, nūquam ipsis objecerunt existimasse illos Adamum nulla indiguisse gratia. Tum quia, ut erant illi viri ingeniosi, nūquam in dogma tam crassum, & impium incidissent. Tum denique quia, teste S. Hilario in Epist. ad S. Augustinum, *Moleste ferebant* (Semipelagiani) *ita dividi gratiam*, quæ, *vel tunc primo homini data est* (sunt verba S. Hilarii) *vel nunc omnibus datur*, ^{Inter Aug. T. 2. p. 827. E.} ut ille acceperit perseverantiam, non *qua fieret ut perseveraret*, sed *fine, quo per*

liberum arbitrium perseverare non posset: nunc vero Sanctis in regnum per gratiam prædestinatis, non tale adjutorium perseverantiae detur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur. Quam quidem divisionem gratiae, in gratiam primi hominis stantis, & gratiam hominis lapsi, ægre admodum ferebant, non quod existimarent gratiam Adamo non fuisse concessam, sed quod crederent eamdem sufficere homini lapso; & doctrinam S. Augustini de gratia medicinali sanante, insuperabiliter, & invincibiliter agente, in desperationem injicere.

Resp. nego min. propositionem, ad cuius probationem nego antecedens.

Ad 1. probationem, falsum est, quod supponitur, nec S. Prosperum, nec S. Hilarium, nec S. Augustinum hunc errorem in eis observasse. Namque S. Hilarius ait, *illos in hoc solo voluisse a primo homine omnium distare naturam, ut illum integris viribus voluntatis juvaret gratia valentem, sine ibid. G. qua perseverare non poterat: hos autem amissis, & perditis viribus credentes tantum, non solum erigat prostratos, verum etiam suffulciat ambulantes.* Intelligis Semipelagianos in Adamo innocentem gratiam quidem admisisse, sed quæ ipsum volentem juvaret, idest, propriis, ac solis sui viribus prius coenantem, ac volentem juvaret; atque totum discriminem gratiae utriusque status in eo illi collocabant, quod Adamus innocens, vires habens integras, gratia voluntatis non indigebat ad fidem, & ad quocumque bonum opus; sed gratia dumtaxat intellectus, seu quæ intellectum ejus illustraret, sive externa, sive interna revelatione: homo vero lapsus

opus

opus quidem habeat gratia juvante voluntatem ad bonum incipiendum, & perficiendum, non vero ad fidei, & salutis initium, ad quod solam intellectus gratiam sufficere putabant. *Hos autem, ait citatus S. Hilarius, amissis, & perditis viribus credentes tantum, non solum erigat, &c.* Audis credentes tantum, idest ex viribus liberi arbitrii, sine gratia juvante voluntatem erigi.

Quapropter a scopo S. Hilarii plurimum aberrat Jansenius, cum existimat his citatis verbis, *non solum erigat prostratos, verum etiam suffulcat ambulantes*, exprimi gratiam vietricem necessitantem; quasi non possit homo erigi nisi per talem gratiam, quam Jansenius, suo obsecratus præjudicio, ubique invincibilem, insuperabilem, inclinabilem deprehendit. Esto hinc inferatur necessitas gratiæ actionis, seu efficacis: at qua tandem machina gratia hujusmodi necessitans extundi possit, non videmus.

S. pariter Aug. L. de prædest. SS. c. 5. non obscurè insinuat, Massilienses nullam in Adamo innocente gratiam agnoscisse necessariam ad initium fidei, & bonæ voluntatis. In hac ergo, inquit, *Apostoli evidentissima intentione, qua contra humanam superbiam loquitur, ne quisquam in homine, sed in Domino gloriatur, dona Dei naturalia suspicari sive ipsam totam, perfectamque naturam, qualis in prima conditione donata est, sive vivitæ naturæ qualescumque reliquias, nimis, quantum existimo, absurdum est.* Perstringit ibi evidenter S. Doctor Semipelagianum errorem circa gratiam utriusque status. Et vero, ratio conservandæ libertatis, quæ Semipelagianos potissimum impulit, ut negarent homini lapso necessariam esse gratiam interiorem, prævenientem, locum habebat, nec minus premebat in statu naturæ innocentis. Concipere quippe illi non poterant, quomodo staret illæsa libertas, si homo ad fidei & salutis initium indigeat gratia præveniente gratuita, quam mereri non possit. Scilicet, ante ejusmodi gratiam, Catholicorum sensu, voluntas a bono est aversa, nec est in ipsis potestate tendere ad bonum: unde concludebant Semipelagiani, per talem gratiam prævenientem voluntatem necessario trahi, adeoque non amplius liberari remanere. Scimus equidem falsum, ac distortum esse istud eorum rationarium, quandoquidem gratiæ illud proprium est, ut de nolentibus volentes faciat, de reluctantibus consentientes: verum ut ut sit, sic illi rem concipiebant, jura libertatis salva esse non posse, nisi homo sua bona voluntate, ac pio conatu inciperet, Deus vero hujus boni initii meriti gratiam deinde rependeret necessariam ad opus bonum incipiendum, & perficiendum: neque enim illi, ut jam observavimus ex S. Hilario, fidei, & salutis initium inter bona opera numerabant. Ut igitur ad hanc suam opinionem, quamquam falsam, cohærenter sentirent, necesse fuit eos ab utroque naturæ integræ, & lapsæ statu exclusisse necessitatem gratiæ interioris prævenientis ad initium fidei, & salutis.

Si vero postules, quare Semipelagiani simile libertatis excidium non timuerint ex gratia præveniente, quam necessariam fatebantur ad quodlibet opus bonum inchoandum, & perficiendum;

Respondebo 1. nostrum non esse discordes secum ipsis hæreticos conciliare.

T. 1. p. 189. Col. 2. Resp. 2. hanc questionem Jansenio perinde, ac nobis solvendam esse. Ille etenim L. 8. de hæresi Pelagiana cap. 7. ait: *Semipelagianos ista duo nun-*

nunquam conciliare potuisse, quod gratia, sive Deus operaretur in nobis velle, dando ipsam plerumque etiam reluctantibus voluntatem, & tamen nostrum esset, quod volumus. Atqui tamen idem Jansenius, eodem Lib. c. 8. in fine (pag. 193.) docet non sine contradictione, Semipelagianos admisere ad bonum operandum eam gratiam Christi prævenientem, quam ipse invincibilem, insuperabilem seu necessitatem esse arbitratur.

Resp. 3. hanc in eorum mente proferri posse rationem, & causam, quod cum illa gratia daretur a Deo propter meritum præcedens libertatis naturalis, rectam & incolumem putabant hominis libertatem in negotio sua salutis, utpote, qui prior ex seipso incipiat, Deus vero det incrementum.

Ad 2. probationem respondeo, nihil infirmius, ne dicam insultus, proferri posse: quasi Pelagiani viri acuti, & ingeniosi non fuerint, & tamen in dogma magis adhuc crassum, & impium prolapsi sunt.

Ad 3. Resp. 1. veram rationem, & causam, cur Semipelagiani improbaverint divisionem gratiae utrinque status, quam admittebat S. Aug. istam fuisse, quod falso sibi persuasisserent, gratiam hujus status talem esse in mente S. Doctoris, ut ei voluntas resistere non possit; ac fatalem inducendo necessitatem, in desperationem inducat, tollat industriam omnem, ac virtutes. Donum enim perseverantiae, quod prædicabat Aug. illi concipiebant velut habitum quemdam fixum ac permanentem, quo voluntas in bono retinendo, immobili, ac firma necessitate ligatur: at longe alia profecto erat Aug. doctrina, quam cum illi Massilienses non intelligerent, misere deformabant.

Resp. 2. voluntatem illam, quam in Adamo admittebant Semipelagiani, per quam in iustitia permanere potuisset, si voluisset, ad solam arbitrii liberi facultatem, nativisque vires, illos retulisse; quarum reliquias quasdam cum in homine lapso superstites esse sentirent, consequenter asserebant, remanere adhuc in vitiata natura potestatem, qua possit credere, vel non credere pro nutu voluntatis. Ita manifeste colligitur ex verbis Hilarii: *Unde consequens putat, inquit, exhibendam ab eo fidem, cuius naturae id voluntate Conditoris concessum est; & nullam ita depravatam, vel extinctam putant, ut non debeat, vel possit se velle sanari.*

Instabis 1. Semipelagiani eamdem gratiam Adamo innocentia necessariam fuisse ad initium fidei dicebant, quam ad perseverantiam. Ita S. Aug. L. de dono perseverantiae c. 21. Respondent illi, ait S. Doctor, itanos 851. F. a nobis babere initium fidei, sicut finem. Atqui ex S. Hilario, verbis mox re-latis, Semipelagiani in hoc solo voluerunt a primo homine omnium distare natu-rum, ut illum integris viribus juvaret gratia volentem, sine qua permanere non poterat. Ergo admirerunt pariter, gratiam necessariam fuisse Adamo innocentia ad initium fidei. Porro cum primæviræ integritatis superstites reliquias post lapsum hominis agnoscerent, consequenter affirmabant gratiam homini lapso esse necessariam ad fidem, & in ea perseverantiam; adeoque in eo non errabant illi, quod talem gratiam rejicerent, sed quod vellent eam versatilem, libero voluntatis arbitrio subditam, nec distinctam ab ea gratia, qua opus habuit Adamus innocens.

Resp. gratiam illam sine qua Semipelagiani volebant Adamum perse-verare non potuisse, vel spectare perseverantiam in bonis operibus, vel perseverantiam in fide. Si spectet perseverantiam in bonis operibus, cum Semipelagiani agnoscerent necessitatem gratiae interioris ad omne opus bo-num

num incipientium ac perficiendum, consequens videtur, ut eamdem agnoverint ad perseverantiam in iisdem bonis operibus: si vero spectet perseverantiam in fide, gratia illa, quam Semipelagiani necessariam agnoscabant, erat dumtaxat in intellectu per revelationem, non in voluntate per motionem, & subministrationem virtutis. Quare totum, ut jam diximus, gratiae utriusque status discrimen in eo reponebant, quod Adamus innocens indiguit tantum gratia intellectus, non voluntatis, tum ad fidem, tum ad bona opera: homo vero lapsus indigeat quidem gratia voluntatis ad quodlibet opus bonum: ad fidem vero, & perseverantiam in eo, sufficiat ipsi, sicut & Adamo innocentia, gratia intellectus, seu revelationis, & illustrationis, absque ulla ex parte Dei prævia motione, qua voluntas hominis ad credendum excitetur: quam gratiae speciem agnovit, & ulro confessus est Pelagius, ut supra ostendimus.

B. p. 151. D. Quapropter merito S. Aug. citato cap. 21. n. 54. Lib. de dono perseverantiae docet, Semipelagianos, cum hac sua gratia, velle fidem non esse donum Dei, & gratiam dari ex meritis nostris præcedentibus: *Si anobis, inquit, esse dicimus initium fidei, ut eo cetera Dei dona mereamur accipere; concludunt Pelagiani gratiam Dei secundum merita nostra dari.* *Quod ita exhorruit Catholica fides, ut damnari timens, hoc Pelagius ipse damnaverit.* Et c. 2. L. de *B. p. 152. C.* prædest. Sanctorum, ait Semipelagianos non discedere a sententia Pelagii: quia nempe non aliam, quam intellectus, seu illustrationis ac doctrinæ gratiam admittebant, quam ipse pariter admittebat Pelagius.

Instabis 2. S. Aug. L. de dono persever. c. 7. refellens sententiam Semipelagianorum circa fidem, & perseverantiam hujus status, docet veram illam fuisse in statu naturæ innocentis, & integræ: atqui vera non fuisse, nisi gratiam Adamo innocentia perinde, ac lapso necessariam fuisse agnivissent: ergo, &c. Argumentum istud sèpissime versat Jansenius tum L. 8. de hæresi Pelag. c. 6. tum L. 2. de Gr. Chr. c. 15.

T. 1. p. 199. col. 1. B. Resp. 1. S. Augustinum Pelagio afferenti hominem habere non peccandi possibilitatem, aliquando etiam respondere, id quidem verum fore, si de homine integro loqueretur; falsum autem, cum loquitur de homine lapso. *De homine*, inquit L. de natura, & gr. c. 49. *sanis pedibus tolerabiliter dici potest, velit nolit, babet ambulandi possibilitatem: confractis vero, et si ve-* lit, non habet. *Vitiata est natura, de qua loquitur.* Et c. 51. *Si iste (Pelagius) qui hunc Librum scripsit, de illa hominis natura loqueretur, quæ primo inculpata, & sana condita est, utcumque acceptaretur hoc dictum.* An vero inde inferet Jansenius, existimasse Augustinum admissem a Pelagio interiorum voluntatis gratiam in statu naturæ innocentis? Non ita profecto: cum ipse met L. 8. de hæresi Pelag. c. 10. post citara verba Augustini ex c. 51. Libri de natura & gratia, statim addat: *Quod ait, tolerabiliter, & utrumque illa posse dici, Pelagium respicit, qui ab illa possibilitate naturali omnem internam gratiam submovebat.* In quo sensu nullo pacto locutiones istæ poterant esse veræ, nec sine particula diminuente concedi. Ergo similiter, cum idem S. Doctor Semipelagianis concedebat, verum fuisse in statu naturæ integræ, quod ipsi dicebant de initio fidei, & perseverantia in hoc statu naturæ lapsæ, non supponit ab ipsis admissam fuisse veram gratiam interiorum necessariam in hoc praesenti statu ad initium fidei, & perseverantiam in illa. Sic Jansenius propria sua manu evertit argumentum, in quo vim tantam reponit.

Quo

Quo ergo sensu, inquires, S. Aug. Pelagianis, & Semipelagianis concedebat, veram fore eorum doctrinam, si de natura integra sermo esset, nunc vero prorsus esse falsam? Resp. ut hoc dato, & non concessso, ac seposita prima hominis in ortu suo conditione, quæ brevi effluxit, de qua nulla movebatur controversia, Pelagianos, ac Semipelagianos in hoc uno praesenti statu considerando defigeret, de quo sola quæstio movebatur; ac illos fateri cogeret vitiatam esse, ac corruptam naturam per Adami peccatum, adeoque amissam jam illam integrâm non peccandi possibilitem, quam homo primus ex Dei gratia acceperat.

Resp. 2. dist. min. Nisi agnovissent gratiam Adamo innocentie deinde, ac lapsi necessariam fuisse, ex parte illustrationis mentis, concedo: ex parte voluntatis, nego. Semipelagiani ergo non negabant Adamo innocentie sicut & lapsi, necessariam fuisse gratiam ex parte intellectus, quæ in revelatione legis, ac mandatorum Dei cognitione posita erat: nec in eo errabant, quod vellent hanc solam gratiam Adamo innocentie fuisse necessariam; revera enim sola haec ipsi sufficiebat, absque ulla Dei prævia, & indeliberata motione, qua voluntas ipsius excitaretur. *Fortissima quippe dimisit atque permisit (Deus) facere quod vellet*, ait S. Aug. L. de cor-
reptione, & gratia c. 12. ^{T. 10. p. 771. G.} *Enimvero per habitus infusos voluntas Adami in bonum propensa, nihil sibi contrarium sentiebat ex parte appetitus: de hac vero gratia merito pronuntiat Aug. Semipelagianorum sententiam veram fore, si de natura integra, & sana loquerentur. In eo igitur pecabant illi, quod vellent in praesenti naturæ lapsæ statu, ad fidem, & perseverantiam in ea, hanc solam ex parte intellectus gratiam sufficere; & parem in eo facerent gratiam utriusque status. Nunc etenim divina gratia non solum illustrare debet hominis mentem, sed etiam ejus tormentum, ac languidam excitare voluntatem. Infirmis servavit*, ait S. Aug. immediate post citata verba, ex cap. 12. Libri de Correptione, & Gratia, *ut ipso donante invictissime, quod bonum est, vellent, & hoc deserere invi-* ^{ibid.} *gissime nollent.*

Verum, inquires, cur S. Aug. adscribit naturalibus viribus Adami potentiam perseverandi, & non potius gratiae habituali, qua instructus erat, & actuali, qua mens ejus illustrabatur: imo, & quæ voluntatem ipsius juvando comitabatur, licet eam non præveniret?

Resp. 1. Nusquam S. Doctorem scripsisse Adamum per solas naturales vires potuisse perseverare. 2. cum scripsit eum potuisse per liberum suum arbitrium perseverare, nomine liberi arbitrii, non solam, & nudam intellectus voluntatem, sed instructam habituali gratia, & virtutibus infusis; loquitur enim de ea libertate, quam Adamus peccando amisit, tum sibi, tum nobis: atqui Adamus non amisit voluntatem nudam, sed instructam virtutibus, quibus exornatus fuerat. Viribus autem libertatis ipsius adscripsit potentiam perseverandi, qua revera cum auxiliis gratiae, quibus donatus fuerat, perseverare potuisset, si voluisset.

At, inquires rursus, nonne de homine in praesenti statu dici quoque potest, per liberum arbitrium posse illum perseverare? Quia nempe, sicut homo primus in creatione non nudam, sed gratia exornatam accepit a Deo voluntatem, ita quoque per Baptismi regenerationem homo accipit cum virtutibus, & donis sanctificantem gratiam.

Resp.

Resp. comparandam non esse creationem primi hominis cum regeneratione posteriorum ejus per Baptisatum, sed comparandam esse cum illorum nativitate. Ratio est, quia primus homo factus est innocens, nos peccatores nascimur; primus homo creatus est fortis, nascimur nos infirmi. *Quis enim nescit*, ait S. Aug. L. de natura, & gr. cap. 43. eum (hominem) *sanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio atque ad juste vivendum potestate libera constitutum?* Sed nunc de illo agitur, quem semivivum latrones reliquerunt.

Objicies 2. SS. Prosper, & Aug. non obscure duos distingunt Semipelagianorum ordines, quorum alii nullam omnino gratiam admittebant necessariam, aut ad initium fidei, aut ad bonum quocumque opus: alii vero admittebant, tum ad initium fidei, tum ad quocumque bonum incipiendum vel perficiendum.

^{ib. p. 148. E.} S. Prosper in Epist. ad S. Augustinum. *Quidam horum, inquit, in tantum a Pelagianis semitis non declinant, ut cum ad confitendam eam Christi gratiam, que omnia prævenit merita humana, cogantur, ne si meritis redditur, frustra gratia nominetur, ad conditionem hanc velint uniuscujusque hominis pertinere, in qua eum nihil prius merentem, quia nec existentem, liberi arbitrii, & rationalem gratia Creatoris instituat &c.*

^{Inter Aug. T. 2. bit. p. 822. C.} S. Aug. L. de prædest. Sanctorum cap. 1. de iisdem Semipelagianis scripsit. *Pervenerunt isti fratres nostri, pro quibus sollicita est pia charitas vestra, ut credant cum Ecclesia Christi, peccato primi hominis obnoxium nasci genus humanum, nec ab isto malo, nisi per justitiam secundi hominis aliquem liberari. Pervenerunt etiam, ut præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ut ad nullum opus bonum, vel incipiendum, vel perficiendum, sibi quemquam sufficere posse consentiant.*

^{T. 10. p. 791. B.} Resp. Ex citatis verbis minime inferri, quod intendit Jansenius. Factemur equidem duos fuisse Semipelagianorum ordines, quorum alii rigidiiores, excepto solo peccato originali, quod agnoscebant, a Pelagianis circa gratiam nullatenus discedebant, utpote, qui eam nec ad initium fidei, nec ad opus bonum quocumque necessariam esse vellent: de illis Semipelagianis non loquuntur SS. Prosper, & Aug. cum enim a Pelagianis circa gratia dogma nihil discrepant, eamdem ac illi damnationis sententiam reportarunt. Alii vero Semipelagiani remissiores, admiserunt quidem necessitatem gratiae ad opus quocumque bonum sive incipiendum sive perficiendum, qua parte a prioribus dissidebant; at eam non admiserunt ad initium fidei. En duplex ille ordo Semipelagianorum. Quapropter S. Aug. in illo de prædestinatione Sanctorum Libro, totus est, ut adversus postremos illos Semipelagianos demonstret, gratiam esse necessariam ad fidei initium; fidem esse donum Dei, &c. Et S. Prosper in citata Epistola refert ejusmodi homines docere, *quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam esse vitam aeternam: quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiae, merito credulitatis, acceperint.* Audis meritum credulitatis præire gratiae, adeoque non esse ex gratia, sed ex natura.

^{T. 2. p. 813. D.} Instabis 1. S. Prosper in eadem Epist. testatur Semipelagianos docuisse, ^{Ib. p. 821. E.} *Deum eos prædestinare in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præviderit.* Ergo admittebant illi gratuitam esse vocationem.

Resp.

Resp. dist. consequens: gratuitam esse vocationem externam: id est, prædicationem Evangelii, concedo: vocationem internam, hoc est, fidem ipsam, nego. Volebant enim illi proposito Evangelio nostrum esse credere, vel non credere: *Hec enim ipsorum definitio ac professio est*, ait S. Prosper ... univerſis hominibus propitiationem, que est in Sacramento Sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam, ut quicunque ad fidem, & ad Baptismum accedere voluerint, salvi esse possint. *Ibid. D.*

Instabis 2. S. Prosper ibidem testatur hanc Semipelagianorum fuisse sententiam, *Ut ideo quis accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ bene usus, ad istam salvantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire.* *Ib. p. 822. D.*
Ergo Semipelagiani gratiam initialem agnoverunt.

Resp. dist. conf. agnovere initialem gratiam a natura non distinctam, concedo: distinctam a natura, nego. Initialis enim illa gratia, teste eodem S. Prospero, erat in mente Semipelagianorum, *Gratia Creatoris, que hominem nihil prius merentem, quia nec existentem, liberi arbitrii, & rationalem instituit, ut per discretionem boni ac mali... ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur, pervenire per naturalem facultatem possit.* *Ibid. C.*

Instabis 3. Idem S. Doctor ibidem afferit, Massilienses, *Gratiam Dei, quam comitem, non præviam humanorum voluntate meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea, secundum suam phantasiam, non negant esse præventas.* *Admittebant igitur gratiam, & prævenientem, & comitantem.* *Ib. p. 823. A.*

Resp. Semipelagianos gratiam comitantem revera admisisse, respectu actuum fidem subsequentium: at de tali gratia hic non movetur controversia: sed de illa, quæ fidem antecedit, quam illi negabant. *Comitem, inquit laudatus S. Prosper, non præviam voluntate meritorum.* Si quando igitur a gratia voluntates præveniri dicebant, fictitia erat ejusmodi præventionis, & ut ait S. Prosper, *secundum phantasiam;* respectu scilicet meritorum, quæ nusquam futura erant. Cum enim Semipelagiani urgerentur exemplo parvolorum, qui sine ullis suis præcedentibus meritis ad gratiam Baptismi perveniunt, respondebant, *Tales salvare, talesque perdi, quales futuros illos in annis majoribus, si ad activam servarentur etatem, scientia divina præviderit.* In eorum igitur mente plane insulsa, merita nusquam futura præveniebant Dei voluntatem, eamque movebant, ut aliquibus gratiam Baptismi procuraret. *Commentitiis meritis,* ait S. Prosper, *electionem Dei subjiciunt, ut quia præterita non extant, futura, quæ non sunt futura, configant, novoque apud illos absurditatis genere, & non agenda prædicta sunt, & prædicta non acta sunt.* Gratia quidem baptis malis, sensu Semipelagianorum, præveniebat in tempore merita humana parvolorum sub conditione futura, & tamen nusquam futura. Decretum vero illius gratiæ conferendæ, sequebatur prævisionem illorum meritorum: unde, juxta illos, gratia parvulis collata, vere non præveniebat eorum merita; fingebant enim ejusmodi merita in mente, ac præscientia. Dei priora esse, tum prædestinatione gratiæ, tum ejusdem gratiæ collatione.

Instabis 4. S. Hilarius in Epist. ad S. Aug. declarat Semipelagianos docuisse, *ad nullum opus etiam incipiendum, nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse.* *Atqui actus fidei haud dubie est bonum opus:* ergo &c. *Inter Aug. T. z.p. 825.*

Resp. dist. min. Actus fidei est bonum opus, in rei veritate, con-
Tournely de Gratia. Tom. III. Pars I. H ce-

ibid. cedo : in doctrina , & mente Semipelagianorum : nego . Ut enim non cogerentur fateri gratiam esse necessariam ad fidem , istam fidem , ac salutis desiderium inter opera non computabant . Neque enim , ait S. Hilarius , alicui operi curationis eorum annumerandum putant , exterrita , & supplici voluntate unumquemque agrotum velle sanari .

Objicies 3. fatetur S. Aug. L. de prædest. Sanctorum c. 3. ante suum Episcopatum se errori Semipelagianorum circa initium fidei adhæsse : atqui in Libris , quos nondum Episcopus scripsit , docet , initium fidei esse a gratia interiori præveniente . Ita L. 83. quæstionum qu. 68. L. de quantitate animæ c. 28. L. de vita beata , prope finem . Libro denique 1. follioquiorum c. 1. Ergo Semipelagianus error in eo positus non erat , gratiam scilicet interiorem ad initium fidei non esse necessariam , sed eam talem esse , cui voluntas consentire possit , vel non consentire .

Resp. frustra laborare Jansenium L. 8. de hæresi Pelagiana c. 8. in his testimoniis colligendis , ac referendis , ex quibus hoc unum colligi merito potest , nempe Augustinum non in omnibus quidem , quod fatemur , sed in aliquibus dumtaxat , quos ante Episcopatum scripsit , Libris , Semipelagianum errorem expressisse ; præsertim vero in Expositioне quartu[m]dā propositionum Epistolæ ad Romanos , sicut ipsemēt candide profiteretur , tum lib. de prædest. Sanctorum c. 3. tum l. 1. Retractionum c. 23.

T. I. p. 35. n. 2. Nondum enim , ait hoc postremo in loco ; diligentius quæstiveram , nec adhuc inveneram , qualis sit electio gratiæ .

S. igitur Aug. ceterorum hominum more , quibus nondum satis perspectum , & evolutum est suboscurum aliquod Religionis nostræ dogma , a[n]ceps , & dubius in aliquibus suis Scriptis veritatem , in aliis errorem quasi palpando sequutus est . Nec potest ipsemēt Jansenius disfieri , Augustinum in omnibus ante suum Episcopatum libris Semipelagianum non fuisse ; siquidem scripsit Commentarium in Epistolam ad Galatas , antequam esset Episcopus , ut ipsemēt testatur l. 10. Retractionum c. 24. Atqui in illo Commentario S. Aug. errorēt Semipelagianum non docuit : nam Jansenius lib. 4. de Gratia Christi c. 6. gratiam efficacem , quam vocat victricem delectationem , probat ex luculento testimonio S. Aug. in illo Comentario Epistolæ ad Galatas ; talem vero victricem gratiam nusquam agnovere Semipelagiani .

Objicies 4. Faustus fuit Semipelagianus , & tamen admisit gratiam prævenientem ad initium fidei ; teste Gennadio in Catalogo Virorum illustrium : ergo &c.

Resp. nego min. 1. quia Ado Viennensis in Chronico , Gennadium reprehendit , quod Faustum velut Catholicum exhibuerit , quasi divinam gratiam præire , & voluntatem subsequi docuisse : cum ex adverso Fausto doceret humanam præire voluntatem , & divinam subsequi gratiam . 2. Quia in mente Fausti , gratia illa præveniens non fuit interna , sed externa dumtaxat . Ita colligimus ex Joanne Maxentio , in Responsione ad Epistolam Hormisdæ Summi Pontificis , in qua ex ipsis Fausti verbis demonstrat , locutum illum fuisse de sola gratia externa .

Objicies 5. Joannes Cassianus alter Semipelagianorum princeps , Collatione 3. agnoscit Deum in cor nostrum inspirations immittere . Et Collatione 13. c. 3. expresse affirmit , Non solum actum , verum etiam co-

gitat

gitationum bonarum principium ex Deo esse, qui nobis, & initia sancte voluntatis Ed. A. inspirat, & virtutem atque opportunitatem eorum, que recte cupimus, tribuit treb. p. peragendi. Denique S. Prosper contra Collatorem c. 18. testatur Celsia^{193.} num duos hominum ordines distinxisse, quorum alii gratiam suis bonis conatibus præveniant, alii vero præveniantur a gratia.

Resp. ad 1. Cassianum, nomine inspirationis solam doctrinam exterrnam intellexisse, ut declarant exempla, quæ ibi adducit, & quæ suppres-
fit Jansenius, nempe vocationis Abrahæ, conversionis S. Antonii, ex au-
ditis his verbis Evangelii, qui non edit patrem, & matrem &c. ubi certe exterior prædicatio occasio fuit conversionis. Ad 2. hæc Cassiani sententia plane Orthodoxa est, sed observat S. Prosper l. c. Collatorem c. 4. in ea sententia firmum non fuisse Cassianum, a qua brevi recessit. Cito, <sup>Luc. 14.
v. 26.</sup> P. 311. C. inquit, disputator præmissæ definitionis oblitus est, cito a sententia sua instabilitate dissentit. Ad 3. singularis illa fuit inter Semipelagianos Cassiani opinio: ad propositum autem nostrum satis est, quod docuerit, bene multis suis bonis conatibus gratiam prævenire, & a Deo impetrare.

Objic. 6. Gennadius fuit Semipelagianus: atqui tamen l. de Ecclesiasti-
cis dogmatibus c. 21. docet, initium salutis nostræ Deo miserante nos habere, <sup>In App.
Oper. S.</sup> ut vero acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ esse potestatis. ^{Aug. 1.8}

Resp. distin. maj. Gennadius fuit Semipelagianus, factio, concedo: p. 78. A. dogmate, iterum distinguo, in eo loco, qui hic objicitur, nego: alibi, concedo. Librum ergo de dogmatibus Ecclesiasticis scripsisse videtur Gennadius, cum jam ex errore semipelagiano revocatus fuisset: & re ipsa, sententia citata optime dogma Catholicum exprimit, quale expressit Synodus Arausicana II. can. 25. his verbis: *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint, & debeant, si fideliter voluerint, adimplere.* T. 4. Con. p. 1672. A.

Objic. 7. Vitalis Carthaginensis adhæsit errori Semipelagianorum: atqui teste S. Augustino Epistola 217. alias 107. admisit gratiæ internæ prævenientis necessitatem: ergo &c.

Resp. dist. min. Admisit necessitatem gratiæ prævenientis intellectum, concedo: prævenientis voluntatem, nego. Vitalis nullam aliam admittebat gratiam prævenientem, quam Pelagianam: unde S. Aug. ejus sententiani redarguit ibid. *Hac est, inquit, illa Pelagianorum mala, male diffamata, meritoque reprobata, & ab ipso etiam Pelagio timente damnari in Orienta-*^{T. 2. pag. 800. E.} *lum Episcoporum judicio damnata sententia, qua dicunt gratiam Dei, non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege, atque doctrina.*

Objic. 8. Semipelagianī contendebant per gratiam prævenientem libertatem perimi, fatalem induci necessitatem, in desperationem, desidiam ac torporem homines impelli: at tam stupidi illi non erant, ut hæc objicerent contra gratiam sufficientem versatilem, ac libero arbitrio voluntatis permittam, quam si Aug. novisset, facili negotio omnes eorum querimonias sedasset: ergo illa objiciebant contra gratiam efficacem, insuperabilem, & invincibilem, quam tenacius tuebatur S. Aug. ^{Jans. L. 7}

Resp. ex jam dictis, tum hic in responsione ad 1. objectionem, tum ^{de heresi} supra ubi de Pelagianis, illas Semipelagianorum querimonias nullatenus ^{Pelag. e.} cadere in gratiam vel sufficientem, vel efficacem, sed simpliciter in gra- ^{18. p. 179}

tiam prævenientem necessariam. Concipere enim illi non poterant, quomodo staret libertas cum necessitate illius gratiæ, quæ voluntatem prævenit, sine qua voluntas nihil potest; quam tamen non potest mereri, cum sit plane gratuita: Et quod Pelagiani dicebant contra necessitatem gratiæ ad quocumque bonum, hoc ipsum contorquebant Semipelagiani adversus necessitatem gratiæ prævenientis initium fidei: quapropter frustra opposuerunt S. Aug. gratiam illam talem esse, ut voluntas ei libere consentiat, vel resistat. In omnibus misericordia ejus prævenit nos, inquietabat

T. 10. p. lib. de Sp. & Lit. c. 34. Pelagianos refellens, consentire autem vocationi Dei, 120. E. vel ab ea dissentire, propria voluntatis est. Pariter in I. de prædest. Sanctorum Ib. p. 798. A. c. 5. Semipelagianis dicebat: Non quia credere vel non credere non est in arbitrio voluntatis humanae, sed in electis præparatur voluntas a Domino. Quibus certe verbis declarabat S. Doctor, gratiam nullam voluntati necessitatem inferre, sed a libero ejus arbitrio semper pendere, ut ipsi consentiat, vel resistat. Neque tamen idcirco acquievere illi hæretici, hoc gravissimo, & altius infixo præjudicio laborantes, per gratiam, eo ipso quo voluntatem prævenit, ac gratuita est, penitus ejus libertatem destrui.

De erroribus circa modum agendi gratiæ.

Quotquot eum gratiæ agendi modum admittunt, qui voluntati ad bene operandum necessitatem etiam simplicem imponit, ac consequenter ejus libertatem funditus evertit, eos errasse dicimus circa modum agendi gratiæ: tales sunt Prædestinatiani.

Lutherus, & Calvinus, Bajus, & Jansenius.

DE PRÆDESTINATIANS.

Prædestinatiani, seu, ut alii dicunt, Prædestinati, in oppositum Pelagi errorem lapsi sunt. Pelagius necessitatem gratiæ negavit, ut servaret libertatem arbitrii. Prædestinatiani negarunt libertatem arbitrii, ut necessitatem gratiæ tuerentur. In quo positus fuerit error Prædestinatiorum, his verbis exponit Sigebertus Gemblacensis Monachus ad ann. Christi 415. Edit. Francof. p. 67. Prædestinatiorum hæresis hoc tempore cœpit serpere: qui ideo Prædestinati vocantur, quia de prædestinatione, & divina gratia disputantes, asserebant, quod nec pie viventibus pro fit bonorum operum labor, si a Deo ad mortem prædestinati fuerint; nec impiis obfit, quod improbe vivant, si a Deo prædestinati fuerint ad vitam. Quæ assertio, pergit Sigebertus, & bonos a bonis avocabat, & malos ad mala provocabat. Hæc hæresis ex Libris Augustini male intellectis ini vium sumpsi se dicitur.

An re ipsa quedam extiterit hæresis Prædestinatiana; ubi primum exorta; quos Patronos, vel oppugnatores habuerit, non una est omnium sententia. Jansenius I. 8. de hæresi Pelag. c. 23. ait, *Hæresim Prædestinatiorum esse commentum Semipelagianorum*, seu nihil esse aliud, nisi doctrinam Augustini, & Prosperi de prædestinatione, invidiose ab illis propositam. *Quia omnia quæ Sigebertus, & Hincmarus, maximeque Gennadius, Prædestinatiorum adscribunt, ipsissima sunt, inquit, dogmata, quæ Semipelagiani tamquam ab Augustino tradita, atque in ejus Libris expressa carpebant.*

Quæcumque in hujus suæ sententia confirmationem momenta profert Jansenius, non ipse primum ex cogitavit, sed ea omnia a Jacobo Ussorio insigni

Calvinista Hiberno expilavit ac deprompsit ex libro, quem an. 1631. Dublini edidit sub hoc titulo; *Gotteschalci, & Prædestinianæ controversiæ ab eo mota Historia*. Siluit Jansenius de Synodis Arelatensi, & Lugdunensi, in quibus narrat Faustus Prædestinianorum errores proscriptos fuisse; nimis quia nondum in lucem prodierat alter ejusdem Usserii liber, Dublini pariter editus an. 1639. hoc est, anno post mortem Jansenii, quem inscripsit: *Britannicarum Ecclesiarum Antiquitates, quibus inserta est pestiferæ adversus Dei gratiam a Pelagio Britanno in Ecclesiam inductæ heresies Historia*. In cuius libri cap. 13. illarum Synodorum auctoritatem ac veritatem exsufflat: unde Jansenii discipuli avide arripuerunt, quidquid ad easdem Synodos elevandas, subinde sexcenties recoctum obtruserunt.

Obserua hic obiter, Jansenium, & Usserium pro communi sua causa hic pugnare; ne si forte ab utraque Synodo Arelatensi, & Lugdunensi damnatam agnoscerent Prædestinianorum sententiam, suam pariter, quæ ab illa nonnisi verbo tenuis differt, damnatam fuisse fateri cogerentur. Novi enim illi Dogmatæ, falsa D. Augustini intelligentia pariter decepti, affirmant hominem in hoc statu naturæ lapsæ, per gratiam, cum superior est, necessario determinari ad bonum; & per concupiscentiam dominantem ac relative superiorem necessario determinari ad malum: sive in homine sub motione gratiæ vetricis, veram esse, non quidem absolutam, sed relativam, & habita ratione status ipsius præsentis, impotentiam ad malum, & sub concupiscentia dominante, impotentiam pariter relativam ad bonum.

Jacobus Sirmondis eruditus e Soc. Jesu Theologus, in sua Historia Prædestiniana docet ex adverso 1. anno circiter 424. heresim illam in Africa apud Monachos Adrumetinos emersisse. 2. Prosperum, & Hilarium contra eamdem per Gallias grafsantem, Augustini ope implorasse, iisque morem gessisse Augustinum, editis contra Prædestinianos libris de Prædestinacione SS. & de dono perseverantiae. 3. Scribit, memoratos Prosperum, & Hilarium, cum se post Augustini mortem impares inteligerent huic errori præfocando, Romam ad Cælestinum configuisse, a quo gravissimum contra Prædestinianos Rescriptum ad Episcopos Galliæ datum impetrarunt. *Hæc*, inquit Card. Norisius, Historiæ Pelagianæ lib. 2. c. 15. *Hac Jacobus Sirmondis scriptis effœta ætate octogenario major, in quibus tam longe a veritate deflexit.*

Gilbertus Mauginus Vir clarissimus Regi Christianissimo a Consiliis, & in suprema Monetarum Curia Præses, Historiam Prædestinianam Sirmondi, velut meram fabulam traduxit. Clarissimo Præsidi nihil reposuit Sirmondis: Provinciam hanc in se suscepit Ludovicus Cellotius ex eadem Soc. Jesu Theologus, lib. cui titulus: *Historia Gotteschalci. Prædestiniani. Parisis anno 1655.*

Inter hanc utramque extremam sententiam, medius occurtere videtur Norisius loco mox citato: ubi contra Jansenium docet, heresim Prædestinianam non omnino fictam, & commentitiam fuisse, sed veram, a paucis quidem, & ignobilibus viris propugnatam. 2. Contra Sirmondum contendit, eam nec in Monasterio Adrumetino natam, nec a Prospero, & Hilario impugnatam, nec a Cælestino damnatam fuisse. *Ego quidem, inquit, tempore Prospere nulles fuisse Prædestinianos arbitror, nemo enim horrida dogmata tunc defendebat ... Et paulo post: Dum video Prædestinianorum nomen publicari a Fausto, ab Arnobio, a Gennadio, quos Semipelagianos fuisse certum est, id ultioni datum puto; uti enim Prosper Tournely de Gratia. Tom. III. Pars I.*

adversarios, modo Pelagii reliquias, modo ingratos, quod contra gratiam stabant, ignominiae causa nuncupabat; ita etiam illi, ut pares vices redderent, Prosperum ab sectatores Prædestinationis dicebant. Quibus certe verbis oblique significat Eminentissimus Auctor, totam hanc Prædestinationis erroris accusationem a Semipelagianis confitam fuisse, in odium sectatorum doctrinæ S. Augustini circa Gratiam, & Prædestinationem. His præmissis

Dico 1. certum esse, ex male intellecta S. Augustini circa gratiam, & liberum arbitrium doctrina, rixas, & contentiones subortas esse inter Monachos Adrumetinos, quibus præterat Valentius Abbas. Quinque ex illis, ut scribit ipse Valentinus in Epist. ad S. Augustinum inter Augustinianas 216. alias 256. turbati sunt. Turbarum auctor fuit Florus, quem Cresconius, & Felix apud Augustinum accusarunt, ut constat ex Epist. S. Augustini ad Valentimum, & Monachos Adrumetinos 214. alias 46. Narrat idem S. Doctor L. de dono perseverantiae cap. 15. quemdam de suo Monasterio Religiosum, ex prava divinæ præscientiae consideratione omnino etiam turbatum, apostamat evaluisse. Semipelagiani in Gallia commoti pariter fuere doctrina Augustini, quam in Libris de Gratia, & libero arbitrio, & de Correptione, & Gratia, ad sedandos Adrumetinorum tumultus scriptis expresserat. Dicebant, teste S. Prospero in Epist. ad Augustinum, *Removeri omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates; & sub hoc prædestinationis nomine, fatalem quamdam induci necessitatem; aut diversarum naturarum dici Deum conditorem, si nemo aliud possit esse, quam factus est.* Et in Epistola, quam idem Prosper scripsit ad Rufinum, de iisdem Semipelagianis ait c. 3. *Scripta (S. Augustini) quibus error Pelagianorum impugnatur, infamant; dicentes, eum liberum arbitrium penitus submovere, & sub gratiæ nomine necessitatem prædicare fatalem. Adjicientes etiam, duas illum humani generis massas, & duas credi velle naturales: ut scilicet tantæ pietatis viro, Paganorum, & Manichæorum adscribatur impietas.* En querelæ, & accusations, quibus Semipelagiani doctrinam S. Augustini infamabant.

Dico 2. Florum cum aliis nonnullis Adrumetinis, heresi Prædestinationis ortum non dedisse, sed Massiliensium dumtaxat accusations, & columnias contra doctrinam S. Augustini utcumque præformasse.

Probatur 1. ex S. Augustino L. 2. Retractionum c. 66. ubi sic loquitur:

T. I. p. 64 Propter eos, qui cum defenditur Dei gratia, putantes negari liberum arbitrium, A. sic ipsi defendunt liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam, afferentes eam secundum merita nostra dari, scripsi Librum, cui titulus est: de Gratia, & libero arbitrio. Ad eos autem scripsi Monachos Adrumetinos, in quorum Monasterio de hac re cœperat esse contentio. Ad eosdem se Librum de Correptione, & Gratia direxisse significat ibid. c. 67. Adrumetini ergo idem objiciebant contra doctrinam S. Augustini, quod Massilienses postea; nempe aut tolli liberum arbitrium, aut gratiam secundum merita nostra naturalia concedi.

Hoc ipsum non obscure declarat S. Prosper scribens ad S. Augustinum occasione Semipelagianorum. Evenit, inquit, ex dispositione misericordie

Inter Aug. T. 2. Dei, ut cum quosdam intra Africam similia moverint, Librum de Correptione, p. 821. B. & Gratia, plenum divinæ auctoritatis emitteres.

Similia ergo moverunt contra doctrinam S. Augustini, Adrumetini illi, & Massilienses: at nullus dixerit Massilienses errori Prædestinationis fa-

favisse: a quo tantopere illi abhorrebant, ut non alia de causa doctrinam Augustini acrius insectarentur, quam quod eam huic errori omnino conformem esse falso sibi persuasissent.

Confirmatur ex Epistola Evodii, quem circa dissidium sui Monasterii consuluit Valentinus. In ea Epistola, quam in Codice manuscripto S. Maximini Trevirensis reperit Sirmundus, & cuius ipse fragmentum refert in Historia Prædestinatiana cap. 1. in ea, inquam, Epistola significat E-
vodius, ab illis Monachis Adrumetinis reprehensam S. Augustini doctrinam. Legant, inquit, sancti Dei majorum dicta, qui habent divini munieris Apud
pium affectum, & quando non intelligunt, non cito reprehendant, sed orent, ut Ser. T. 4.
intelligant. Ait, ut mox fuit observatum, tantum abest, ut Prædestinatio-
ni doctrinam S. Augustini reprehenderent: quin impensis commendabant,
quam & ipsi tamquam suam adoptabant.

Probatur 2. Quia S. Aug. in dupli Epistola ad Valentimum, in hoc uno incumbit, ut demonstret necessariam proprius esse gratiam, sine qua ad bonum faciendum liberi, & expediti non sumus. Proinde, inquit Epis-
tola 214. alias 46. ad Valentimum. Librum vel Epistolam meam, (quam T. 2. p.
ad Sextum scripsiterat) quam secum ad nos supradicti (Cresconius, & Felix)^{791. F.}
attulerunt, secundum hanc fidem intelligite, ut neque negetis Dei gratiam, neque
liberum arbitrium sic defendatis, ut a Dei gratia separatis; tamquam sine illa vel
cogitare aliquid, vel agere secundum Deum ulla ratione possimus, quod omnino
non possumus. Et postea: Nec quisquam dicat meritis operum suorum, vel me-
ritis orationum suarum, vel meritis fidei suæ, sibi traditam Dei gratiam, & pu-
tetur verum esse, quod illi heretici dicunt, gratiam Dei secundum merita nostra
dari; quod omnino falsissimum est: non quia nullum est meritum, vel bonum pio-
rum, vel malum impiorum; alioquin quomodo judicabit Deus mundum? Sed mi-
sericordia, & gratia Dei convertit hominem &c. Cum igitur vis tota proba-
tionum, quibus utitur Aug. contra illos Adrumetinos, in eo sit, ut effi-
ciat gratiam ad quemcumque actum bonum esse necessariam; proculdu-
bio hujus gratiae necessitatem impugnabant, aut impugnare saltem illi vi-
debantur. At Prædestinatiani, ut notum est, nusquam hanc gratiæ neces-
sitatem impugnaverunt.

Probatur 3. Quia falso accusatus fuerat apud Augustinum Florus, quasi
necessitatem gratiæ negasset. Sic enim de fana ipsius fide testimonium
reddit Valentinus in Epistola ad S. Augustinum inter Augustinianas 216.
alias 256. Si gratia, inquit, esset remunerantis, non timeret justus secretarium ib. pag.
judicium Majestatis. Servi tui Flori hec fides est, pater, non sicut fratres isti^{798. A.}
sunt locuti: impræsentiarum audierunt ab illo dictum, non juxta merita nostra dari
donum pietatis, sed per gratiam Redemptoris... Et paulo post: Sed cur non di-
rectum non timeret proferri mendacium? Liberum arbitrium Dei gratia curatum non
negamus, sed per Christi quotidiam gratiam proficere credimus, & adjuvari
confidimus. Intelligis falso accusatum Florum, quasi gratiæ necessitatem
negaret, aut liberum everteret arbitrium: accusationi locum dedisse vi-
detur, quod nec ipse Florus satis a suis intelligeretur; nec ipse satis cum
suis Libros Augustini intelligeret.

Dices: S. Aug. in Epistola ad Valentimum 214. alias 46. initio aperte
declarat Monasterium Adrumetinum in duas fuisse partes divisum; qua-
rum altera necessitatem gratia, altera libertatem arbitrii sub gratia

- ib. p. 791.* prorsus rejiciebat. Venerunt, inquit, ad nos duo juvenes, Cresconius, & Felix, de vestra Congregatione se esse dicentes, qui nobis retulerunt Monasterium vestrum nonnulla dissensione turbatum, eo quod quidam in vobis sic gratiam praedicent, ut negent hominis esse liberum arbitrium: & quod est gravius, dicant quod in die judicii non sit redditurus Deus unicuique secundum opera sua. En ipsummet dogma Prædestinatianum. Quapropter S. Aug. in altera ad eumdem Valentini num Epist. 215. alias 47. ait, se quantum potuit, egisse cum fratribus, ut in fide Catholica perseverent: que neque liberum arbitrium negat ... neque tantum ei tribuit, ut sine gratia Dei valeat aliquid. Ergo illi Adrumentini negabant liberum esse hominis arbitrium sub motione gratiae.

Resp. dist. conf. ergo illi Adrumentini negabant liberum esse hominis arbitrium sub motione gratiae, ex falsa accusatione, quam nonnulli ex imperitia vel simplicitate, adversus fratres suos præsertim Florum, intentaverant, concedo: negarunt in rei veritate, nego. Aug. cum hæc scripsit, deceptus fuerat falsa relatione Cresconii, & Felicis, qui statum contentionis, qua turbatum fuerat Monasterium, perverse exposuerant: quod quidem subodoratus S. Doctor, initio Libri de Gratia, & libero arbitrio cum præmisisset, se pluribus disputasse contra liberi arbitrii adversus gratiam defensores, (hoc est Pelagianos) addit: Sed quoniam sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium: aut quando gratia defenditur, negari existimet liberum arbitrium: hinc aliquid scribere ad vestram charitatem, Valentine frater, & ceteri, qui simul Deo servitis, compellente mutua charitate curavi. Ubi disjunctim, & quasi dubitanter loquitur S. Aug. quia Cresconius, & Felix, ut mox diximus, ex simplicitate, vel imperitia perturbatae dissensionis causam narraverant. Ipsi quippe, quod a Floro, vel aliis paucis tunc objiciebatur contra doctrinam Augustini pro necessitate gratiae, nempe inde fatalem induci necessitatem, ac totale libertatis excidium; hoc, inquam, quod Florus objiciebat, tamquam propriam ipsius doctrinam, ac sententiam illi accusatores arripiuerunt. Quibus primum credulus Aug. ea quæ hic opponuntur, scripsit; at cognita subinde rei veritate, sive ex Floro, quem Valentinus ad ipsum miserat, sive ex Epistola Valentini, in cit. Lib. Retractionum aperte significat, se de necessitate dumtaxat gratiae disputasse, in iis Libris, quos ad Monachos Adrumentinos direxit. Ex his omnibus facile est colligere, hæresim Prædestinatianam, nec a Prospero impugnatam, nec a Cælestino damnatam fuisse. Agebant enim illi contra solos Semipelagianos, quos constat a Prædestinatianis magis distasse, quam distet cælum a terra.

Dico 3. hæresim Prædestinatianam commentitiam non esse, nec fictitiam, ut placet Jansenio, & ejus Apologiftis; sed veram, in Galliis a Lucido quodam Presbytero, Monimo, & aliis nonnullis obscuri nominis propugnatam.

Probatur 1. ex Epistola Fausti ad Lucidum Presbyterum; & ex Libello emendationis, quem Lucidus Episcopis Gallicanis obtulit.

Faustus initio Epistolæ comminatur suspendendum a communione Lucidum, nisi resipiscat: Grandis charitas est, inquit, parum cauti fratri errorem, T. 8. p. per Dei adjutorium, & gratiam magis velle curare, quam, sicut summi Antifitites 524. col. meditantur, a bonitate suspendere. Et in fine ejusdem Epistolæ ait, se illius exemplar secum retinere, in Conventu S.S. Antifitum, si ita necesse fuerit, proferendum: quam si, inquit, eam subscriptam transmittere nolueris, aperte adhuc te

in errore persistere ipso silentio comprobabis: ac proinde jam necessitatem facies ad personam tuam publicis Conventibus exponendam. Refert in eadem Epistola nonnulla dogmata Prædestinatiana, quibus vult, ut Lucidus anathema pronunciet, simulque Catholicam ipsi exponit doctrinam. Delata fuit hæc Fausti Epistola ad Synodum Arelatensem, & ab ipsa comprobata.

Lucidus hac accepta Fausti Epistola, suos errores revocavit, juxta statutum Synodi Arelatensis; mislo ad Episcopos Gallicanos emendationis suæ Libello, quem sic incipit: *Correctio vestra, salus publica, & sententia vestra medicina est. Unde, & ego summum remedium duco ut præteritos errores accusando, excusem, & salutifera confessione mea diluam.* Proinde juxta prædicandi recentia statuta Concilii, damno vobiscum sensum illum, qui dicit,

1. *Humanæ obedientiæ laborem divinæ gratiæ non esse jungendum.*
2. *Qui dicit, post primi hominis lapsum, ex toto arbitrium voluntatis extinctum.*
3. *Qui dicit, quod Christus, & Salvator noster mortem non pro omnium salute suscepit.*
4. *Qui dicit, quod præscientia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quod cum Dei pereant voluntate, qui pereunt.*
5. *Qui dicit, quod post acceptum legitime Baptismum, in Adam moriatur, quicumque deliquerit.*

6. *Qui dicit, alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædestinatos.*
7. *Qui dicit ab Adam usque ad Christum, nullum ex gentibus per primam Dei gratiam, idest per legem naturæ, in adventum Christi fuisse salvatum: & quod omnes liberum arbitrium in primo parente perdiderint.*
8. *Qui dicit Patriarchas, ac Prophetas vel summos quoque Sanctorum, etiam ante redempcionis tempora intra Paradisum deguisse. Hac omnia, quasi impia, & sacrilegiis repleta condemnno. Ita autem, pergit Lucidus, affero gratiam Dei, ut annisum hominis, & conatum, gratiæ semper adjungam: & libertatem voluntatis humanæ non extinciam, sed attenuatam, & infirmatam esse pronunciem; & periclitari eum, qui salvus est; & eum, qui perit, potuisse salvare. Haec tenus Lucidus Presbyter.*

Inter illos articulos, quintum hic obiter observa; nempe, *Quod post acceptum legitime Baptismum, in Adam moriatur, quicumque deliquerit.* Quo certe innuitur, Prædestinatianos in ea mente fuisse, Sacramenta scilicet in iis otiosa, & sterilia esse; hoc est, nec peccatum iis dimittere, nec gratiam conferre, qui sunt ad mortem prædestinati. Sententiam hanc subindicat Faustus, cum inter articulos, quos Lucido damnandos proposuit, hunc recenset. *Item anathema illi, qui hominem cym fidei confessione sollemniter baptizatum, & afferentem Catholicam fidem, & postmodum per diversa mundi bujus oblectamenta prolapsum, in Adam, & originali peccato periisse afferuerit.* Porro si perire ille dicitur propter originale peccatum, quamquam Baptismum percepit sequitur in eo per Baptismum dimissum non fuisse originale peccatum; seu, ut in 2. Gallorum objectione legitur: *At eis, qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferit percepta Baptismi gratia originale peccatum.* Hoc ipsum dogma Goteschalcho, qui nono saeculo Prædestinatianam hæresim renovavit, reprobravit Amolo Archiepiscopus Lugdunensis in Epistola ad ipsum data, sectione 5. sicut postea ostendemus. Inter articulos, qui Gilberto Porretano Episcopo Pictaviensi objecti fuere in Concilio Parisiensi anno 1147. hic unus legitur: *Quod*

*Apud Sirm.T.
5.p.416.C.*

*Inter Op.
S. Prosp.
N. Ed.
p. 206.
A.*

Tom. 10. Ecclesiæ sacramenta evacuando, diceret nullum baptizari, nisi salvandum.
Conc. p. Hunc Prædestinatianorum errorem a Calvinistis renovatum proscriptis
1106.A. Synodus Tridentina sessione sexta can. 17. his verbis: Si quis justifica-
Tom. 10. Conc. p. tionis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero
766. B. omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, ut pote divina
potestate prædestinatos ad malum, anathema sit.

Respondent Jansenii Apologistæ, 1. articulos illos, quos Lucidus retrahet, ea ipsa esse argumenta, quibus Semipelagiani doctrinam Sancti Augustini oppugnabant, & quæ discipuli ipsius Prosper, & Fulgentius tam strenue propulsarunt. 2. Faustum, & Lucidum veros fuisse Semipelagianos, qui, ut invidiam crearent doctrinæ Sancti Augustini, finxerunt aliquos in ea dura, & amplia dogmata prolapsos fuisse; ex nimio studio, ac zelo tuendæ Augustini de prædestinatione gratuita sententias quibus proinde hac in parte omnis fides deroganda est.

Quod vero Lucidus errori Semipelagianorum adhæserit, patet, inquit, ex septimo ipsius articulo mox relato, ubi vult aliquos per legem naturæ, quam primam gratiam vocat, salvos fieri potuisse. Faustus pariter monet Lucidum, ut eum gratia Domini, operationem baptizati famuli semper conjungat: quibus verbis, inquit, cum Semipelagianis docet gratiam non prævenire nostram voluntatem.

Verum infirma prorsus est hæc utraque responsio.

Prima quidem: demus etenim, quod fatemur, illa Prædestinatianorum dogmata, ea ipsa fuisse, quæ a Semipelagianis calumniose opponebantur contra doctrinam S. Augustini; an bene inde probatur, nullos revera fuisse, qui ea tamquam vera, & Augustini doctrinæ consentanea defenserint, quæ Semipelagiani tamquam falsa, & impia refugiebant. Minime profecto; cum habeamus & accusatorem Faustum, & Lucidum reum confitentem, & duas Synodos Arelatensem, & Lugdunensem, a quibus impia illa dogmata proscripta sunt.

Secunda pariter responsio exploranda. Quis enim sanus sibi facile persuadeat, & Faustum fite, ac simulate accusasse Lucidum; & Lucidum ipsum se gratuito illorum errorum reum confessum fuisse? An Gallicanis Episcopis, quorum Synodus appellant, sic impune illudere ipsi potuisset, ac universæ Ecclesiæ, per fictam erroris declarationem, ac damnationem, fictum facere? At Semipelagiani erant Faustus, & Lucidus? Esto, gratis id demus. An ergo propterea, nulla ipsis in facto historico fides? Numquid Eusebius Arianus, & Socrates Novatianus non fuit? An minor idcirco fides habenda iis, quæ referunt? Non puto. Falso porro supponitur Faustum in ea Epistola Semipelagianum fuisse, quam approbavit, & suam fecit Synodus Arelatensis; nec ullus, qui Semipelagianismum redoleat, error deprehendi in ea potest. Quæ vero hic proferuntur, hoc unicum efficiunt, quod sanum, ac Catholicum est, gratiæ adjungendam libertatis cooperationem. Neque enim Lucidus Semipelagianismi reus convinci potest. Per legem enim naturæ, de qua objectio, gratiam non excludit, sed includit; cum afferat in adventum Christi, hoc est, in fide adventus Christi, illos salutem assequi potuisse. Et vero sententia, quam profitetur Lucidus circa gratiæ necessitatem, plane Orthodoxa, & Catholicæ est: frustra igitur eo facto historico, quod narrant Faustus, & Lucidus, fidem eorum elevare tentant Jansenii Apologistæ.

Probatur 2. ex duobus Conciliis Arelatensi, & Lugdunensi, circa annum

Chri-

Christi 975. ut verisimilius est, celebratis: in quibus Epistola Fausti ad Lucidum, Patrum calculis approbata fuit, & errores Prædestinatiorum repressi. Ita testatus Faustus, in prefatione Librorum, quos Leontio Arelatensi nuncupavit, a quo provinciam acceperat eos errores refellendi. Quod, inquit, pro sollicitudine Pastorali, Beate Papa Leonti, in condemnando prædestinationis errore Concilium summorum Antistitum congregastis, universis Galliarum Ecclesiis præstis. Quod vero ad ordinanda, quæ collatione publica doctissime ibid. p. protulisti, operam infirmis humeris, curamque mandasti, parum sanctæ existimationi vestræ consulueris, & me iudicio charitatis, vos periculo electionis onerasti. Et in fine prefationis: In quo quidem Opusculo, inquit, post Arelatensis Concilii subscriptionem, novis erroribus deprehensis, adjici aliqua Synodus Lugdunensis exegit: Habes hic duas Synodos in causa Prædestinatione hæreseos; Arelatensem, quæ Epistolam Fausti ad Lucidum approbavit, & Lugdunensem, quæ jussit, ut Faustus fusori stylo errores illos novos prosequeretur, quod ille præstitit in Libris, quos de libero arbitrio scripsit; in quibus profecto ultra metam progressus est Faustus, in extremum errorem Semipelagianorum declinans. Quapropter Libri illi post Arelatensem, & Lugdunensem Synodos scripti, nusquam ab illis Conciliis approbati fuere, sicut ad invidiam fingunt, qui utramque hanc Synodus velut commentitiam, ac supposititiam traducunt.

Lucidus pariter in suo Retractionis Libello declarat, se juxta prædicandi recentia statuta Concilii, damnare errores, quibus addictus antea fuerat. Concilium autem illud fuit Arelatense.

Duo hic reponunt Jansenii Apologistæ.

Primum, Epistolam Fausti in Synodo Arelatensi approbatam, & subscriptam non fuisse, inde maxime certum videri, quod Henricus Canisius Tomo 5. antiquarum lectionum asserat, in manuscripto codice non reperi subscriptiones illas Episcoporum, quæ in vulgatis editionibus leguntur, sed unius Fausti; nec ipsas etiam in Hincmarii codice legi, fatetur Sirmondus.

Verum hoc unum dumtaxat inde colligi merito potest, nempe in eo, quo Canisius utebatur, codice, quem fatetur omnino perturbatum esse, subscriptiones illas non legi, quæ in aliis leguntur codicibus. Quod vero Epistola a solo Fausto primum, tum etiam a Lucido, & Episcopis undecim Synodi Arelatensis subscripta deinde fuerit, inde contigisse suspicatur Norisius, quod nempe Faustus ad Lucidum scribens suam ipse Epistolam primus subscripterit, cui cum Lucidus postea subscriptisset, ad Synodum Arelatensem delata est, ut Patrum suffragio pariter approbaretur, & subscriberetur: sicque variantes codices ad concordiam adduci posse arbitratur Eminentissimus, & doctissimus Scriptor.

Alterum, quod respondent, nempe duo illa Concilia aut facta esse, aut Semipelagiana, fugillat, & explodit idem Norisius his verbis: Nunquam, inquit, his assentior. Quis enim de Fausto tantos sibi dolos persuadeat, qui coram storie universis Galliarum Episcopis tantorum mendaciorum architectum se sistere non Pelag. extimuerit? Quo animo Leontio Metropolitæ doctissimo imponere ausus fuisset, quasi de remotissimis Asiae rebus prescriberet, non vero de iis, quæ in duabus nobilissimis Urbibus nudius tertius gesta fuerant? Opponit Maginus (pergit Norisius) nusquam præterquam in Fausti Libris illarum Synodorum mentionem fieri. Ad hoc negantis argumenti genus lubricum est. Scimus Leontium Arelatensem ex

Bibl. P. T. 8. 1.
523. H.

524. B.

Apud
Sirmon.
T. 4. p.
418. L.

L. 2. Hi-
storie
Pelag. c.
15. pag.
187. 2.
Op. 2. col.

Hi-

Bibliot. Hilarii decreto *Synodos Gallicanas* quotannis coegisse, quarum tamen nusquam mea Vet. PP. moria extat. *Apologistæ Jansenii* utramque *Synodus* habitam fuisse concedunt, ad T. 15. p. dunt tamen eas conflatas ex Episcopis partim *Semipelagianis*, partim a *Semipelagiano Fausto* deceptis: sed sine testibus hanc injuriam doctissimis, ac sapientissimis p. 619. *Patribus* inurere non ausim. Illud verisimile videtur: *Faustum* mandati limites excessisse, dum non modo quorundam *Prædestinatiorum* errores, ut injunctum fuerat, confutavit, verum etiam ea occasione *Sancti Augustini* de gratuita *prædestinatione* doctrinam subruere conatus fuit. Hæc Eminentissimus Norisius.

Verum, inquies, *Sanctus Prudentius Episcopus Trecensis* in Libro contra *Joannem Scotum* Erigenam c. 4. & *Lugdunensis Ecclesia* in Libro contra eundem cap. etiam 4. asserunt se nec legisse, nec audivisse, nec omnino compertum habere, an extiterit unquam hæresis *Prædestinationis*.

Resp. In rebus facti, fidem potius habendam esse coetaneis auctoribus, quam iis, qui longe post vixerent. Porro *Faustus*, & *Lucidus* ea narrant, quorum oculati fuerunt testes quinto Ecclesiæ saeculo; *Prudentius* vero, & auctor, qui sub nomine Ecclesiæ *Lugdunensis* scripsit, nono dumtaxat vixerent Ecclesiæ saeculo.

Adde, quod cum hæresis illa brevi compressa evanuerit, & a paucis obscuri nominis viris fuerit defensa, mirum videri non debet, quod ignota non nullis fuerit nono saeculo, quandoquidem, & *Synodus ipsa Araticana* II. anno Christi 529. celebrata, quasi subdubitando de illis *Prædestinationis*, an sint, loquitur can. 25. *Aliquos vero*, ait, *ad malum divina potestate prædestinatos esse*, non solum non credimus, sed etiam, si sunt, qui tantum malum 1672. E. credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.

Probatur 3. auctorite auctoris antiqui Libri, qui dicitur *Prædestinatus*, quem publici juris fecit *Sirmonodus*: item *Prosperi Tyronis* in *Chronico*; *Arnobii junioris* in *Expositione Psalterii*; *Gennadii Massiliensis* in Appendix *Catalogi Augustiniani* de hæresibus: *Hincmari* in *Epistola ad Nicolaum S. P. Sieberti* ad an. Christi 415. *Baronii* ad an. Christi 490. & aliorum, qui hujuscem hærefoes mentionem fecerunt.

Verum, inquies, nonnulli ex illis mox citatis auctoribus, ut *Prosper Tyro*, auctor Libri, qui dicitur *Prædestinatus*, & *Hincmarus*, testantur hæresim illam tempore *Sancti Augustini* subortam fuisse, quam *Cælestinus S. P.* compressit; quod tamen nos antea negavimus. Quare igitur his Scriptoribus fidem in uno habemus, ac detrahimus in altero.

Resp. facilem, & apertam esse solutionem. Quia Scriptores illi, ex fide veterum Monumentorum aliqua referunt, quæ tamquam vera admittimus; aliqua vero contra fidem, & auctoritatem illorum Monumentorum, quæ idcirco reiicimus.

Dico 3. *Goteschalcum Monasterii Orbacensis* in *Diœcesi Suectionensi* Monachum, nono saeculo in Galliis regnante Carolo Calvo, extinctam ac sopitam *Prædestinationem* hæresim fuscitasse. Ac primo quidem e Monasterio, ubi erroris semina sparserat, migrans in Italiam, cepit apertius eam diffundere in Agro Veronensi: quod cum intellexisset *Rabanus Moguntinus Archiepiscopus*, duas scriptis contra novos illos errores Epistolæ. Unam ad *Nontingum Episcopum Veronensem*, alteram ad *Eberardum ejusdem Provinciae Comitem*. Quibus perfectis *Goteschalcus*, sive jussu *Episcopi*, & *Comitis*, sive sponte ex Italia Germaniam secessit apud *Rabanum*, a quo

quo propter errorem damnatus, & ad Hincmarum Remensem Archiepiscopum remissus, damnationis sententiam pariter ab ipso reportavit, reclusus in carcere, ubi virgescens; ac Librum, quem scripsérat pro errorum suorum defensione, in ignem prope accensum conjicere coactus fuit.

Jansenius l. 8. de hæresi Pelagiana cap. 23. contendit, *Hincmarum T. I. p. Massiliensium objectiones, & anathemata pro hæresi Prædestinorum accepisse*, ^{322. col. E.} atque fraude ista aliena, vel propria incuria eo usque abruptum fuisse, ut articulos ab Augustino, Prospero, Fulgentioque traditos, qui vel fidem Catholica-^{2.} cam, vel doctrinam non improbandam continebant, quia a Goteschalco in aliis nonnullis errante probabantur, improbaverit. Sunt inter recentiores, qui cum Clarissimo Mauguino Goteschalum ab errore vindicant; quem ajunt Augustinianæ, Catholicæque doctrinæ strenuissimum defensorem, pro justitia, pro veritate, pro gratia persecutionem passum, & patiendo immortuum. Confutari melius illi non posunt, quam prolatis in medium publicis Monumentis, quibus Goteschalci fraudes, ingenium, errores, & eorum censura narrantur.

Annales Bertiniani ad an. Christi 849. hæc de Goteschalco referunt. *Goteschalcus quidam Monasterii Orbacensis Paræcie Suesonice Monacus, & Presbyter, Scientia tunidus, quibusdam superstitionibus deditus, Italiam specie religionis aggressus, inde turpiter ejectus, Dalmatiam, Pannoniam, Noricamque adorsus, quedam nostræ salutis valde contraria, præcipue sub nomine Prædestinationis, pestiferis dictis, & scriptis adstruens.*

Ad eundem annum Sigebertus in Chronico. *Goteschalcus, ait, a Rabano Archiepiscopo rationabiliter, ut multis visum est, convincitur, sed tamen in suo perseveravit errore.*

Anno 848. Rabanus Archiepiscopus Moguntinus, coacto Concilio er- ^{Tom. 8.}
ores Goteschalci proscriptis, data ad Hincmarum Remensem Synodica ^{Concil.}
Epistola, cuius hic est tenor: *Notum sit dilectioni vestrae, quod quidem gy-
ravagus Monachus, nomine Goteschalc, qui se afferit sacerdotem in vestra Pa-
rochia ordinatum, de Italia venit ad nos Moguntiam, novas superstitiones, &
noxiam doctrinam de prædestinatione Dei introducens, & populos in errorem
mittens: dicens, quod prædestinatione Dei, sicut in bono, sit ita & in ma-
lo: & tales sint in hoc mundo quidam, qui propter prædestinationem Dei, que-
eos cogat in mortem, non possunt ab errore, & peccato se corrigere; quasi Deus
eos fecisset ab initio incorrigibiles esse, & pœnæ obnoxios interitum ire. Hanc
ergo opinionem nuper in Synodo apud Moguntiam habita ab eo audientes, &
incorrigibilem eum reperientes, annuente atque jubente piissimo Rege nostro Lu-
dovico, decretimus eum cum perniciosa sua doctrina dannatum mittere ad
vos, quatenus eum recludatis in vestra Parochia, unde primum inordinate
recessit; & non finatis eum amplius errorem docere, & seducere populum
Christianum: quia jam multos, ut audivi, seductos habet, & minus devo-
tos erga suam salutem, qui dicunt: Quid mihi proderit laborare in servitio
Dei? quia si prædestinatus sum ad mortem, nunquam illam evadam: si au-
tem male egero, & prædestinatus sum ad vitam, sine ulla dubitatione ad
æternam requiem vado. Hæc Rabanus in Synodica Epistola.*

Hincmarus Archiepiscopus Remensis in Epistola ad Nicolatum I. Goteschal- ^{Tom. 2.}
cum his coloribus dipingit. *Habitu Monachus, mente ferinus, quietis impatiens, Operum
& vocum novitatem delectans, ac inter suos mobilitate noxia singulari; de omni-<sup>Opere in
Hincma-</sup>
bus,* <sup>ri pag.
202.</sup>

bus, quæ in his regionibus perverse tunc temporis sensa cognoverat, quædam sibi elegit Capitula, ut novitate vocum innotesci valeret, utque simplicium, & deceptorum sensus pervertere: & magistri nomen usurpando post se discipulos trahere . . . Quippe a Remorum Choropiscopo, qui tunc erat, contra regulas presbyter ordinatus, a Monasterio irregulariter exiens, peragratis regionibus plurimis, & exitiosa semina sator pessimus seminaris, tandem in Moguntina civitate habita synodo, & Rabano Archiepiscopo Libellum sui erroris porrigenus, damnatus ab omnibus Germania Episcopis, cum Literis Synodalibus ad Metropolim Remorum, cui jam auctore Domino præceram, est remissus. Postea autem a Belgice Remorum, ac Galliarum Provinciarum Episcopis auditus, & inventus hereticus, quia respisci a sua pravitate non voluit, ne aliis noceret, qui sibi prodesse nolebat, judicio prefatarum Provinciarum Episcoporum, in nostra Parochia . . . monasteriali custodiae mancipatus est.

P. 263. Deinde exponit Hincmarus Nicolao I. Summo Pontifici errores Goteschalci. Dicit, (ait) quod, & veteres Prædestinationi dixerunt, quoniam sicut Deus quosdam ad vitam æternam, ita quosdam prædestinavit ad mortem æternam. Dicit quod & veteres Prædestinationi dixerunt, quoniam non vult Deus omnes homines salvos fieri, sed tantum eos, qui salvantur; omnes autem salvari quoscumque ipse salvare voluerit, ac per hoc quicumque non salvantur, penitus non esse voluntatis illius, ut salvantur. Quoniam si non omnes salvantur, quos vult Deus salvos fieri, non omnia quacumque voluit, fecit: & si vult quod non potest, non omnipotens, sed infirmus est.... Dicit, quod & veteres Prædestinationi dixerunt, quod non pro totius mundi redemptione, id est, non pro omnium hominum salute, & redemptione Dominus noster J. C. sit crucifixus, & mortuus, sed tantum pro his, qui salvantur. Dicit . . . quod & veteres Prædestinationi dixerunt, Baptismi Sacramento eos emit, non tamen pro eis crucem subiit, neque mortem pertulit, neque Sanguinem fudit.

T. i. p. 63. Circa liberum arbitrium idem dicebat, quod veteres dixerant Prædestinationiani, referente eodem Hincmaro L. de Prædestinatione c. 15. Priisci dixerunt Prædestinationiani, inquit, quod liberum arbitrium, in homine nihil sit, sed sive ad bonum, sive ad malum prædestinatione Dei in hominibus operatur: quoniam Deus tale in hominibus plasmet arbitrium, quale est dæmonum, quod proprio motu nihil aliquid possit velle, nisi malum.

Hæc omnia erroris capita cum proscripsisset Moguntina Synodus, Goteschalci professionem suæ fidei edidit de gemina prædestinatione, quam Synodo, & illius Präsidii Rabano obtulit, una cum Libello, quo eruditissimum Präfulem arguebat, ob impugnatam Opusculo ad Notingum Veronensem Episcopum, prædestinationem reproborum ad mortem sempiternam; eumque velut Semipelagianum traducebat in questionibus de libero arbitrio, & de voluntate Dei, ac redemptione Sanguinis Christi ad omnium salutem effusi. Hæc habemus ex Hincmaro in Lib. de Prædestinatione cap. 5. Idem Hincmarus permisit Goteschalco in carcere recluso, ut suam ederet fidei professionem; si forte ad meliorem mentem reversus; ejuratis erroribus e carcere dimitti, ac communioni restitui posset. Duplicem ille confessionem edidit, breviorem unam, prolixiorum alteram. In breviori, prædestinationem impiorum ad mortem æternam, propter ipsorum mala merita certissime præscita, propugnat, sicut prædestinationem gratuitam electorum ad vitam. Sic ille astu-

astute ac fraudolenter errorem suum tunc dissimulabat, quo prius in Germania docuerat, reprobos prædestinari a Deo, non tantum ad peccatum, sed etiam ad culpam; ita ut sic ad mortem prædestinati, ad malum inevitabilem necessitate cogerentur.

Ita significat Rabanus, in Opusculo de prædestinatione ad Notingum, *Apud* in cuius præfatione sic loquitur: *Convenit inter nos, ut e divinis Scriptis Sirmontinis, & Orthodoxorum Patrum sententiis aliquod Opusculum conficerem, ad convincendum etrem eorum, qui de Deo bono, & justo, tam nequiter sentiunt, ut dicant ejus prædestinationem facere, quod nec homo ad vitam prædestinatus possit in mortem incidere; nec ad mortem prædestinatus, ullo modo se possit ad vitam recuperare: cum auctor omnium rerum, & conditor naturarum Deus, nullius ruinæ, atque interitus causa sit, sed multorum origo salutis.*

Et in Epistola, quam scripsit idem Rabanus ad Eberardum Comitem, *Ibid. p. 1342. C.* inquit, *divulgatum in ipsis partibus constat, quemdam scolum, nomine Goteschalcum, apud vos manere, qui dogmatizat, quod prædestinatio Dei omnem hominem ita constringat, ut etiam si quis velut salvus fieri, & pro hoc fide recta atque bonis operibus certet, ut ad vitam aeternam per Dei gratiam veniat, frustra & incassum labore, si non est prædestinatus ad vitam. Quasi Deus prædestinatione sua cogat hominem interire, qui auctor est salutis, non perditionis.*

Et Hincmarus Lib. de Prædestinatione c. 15. de antiquis Prædestinatis ait: *Prædestinationem electorum ad vitam non denegant, & reproborum 63. prædestinationem ad interitum confitentur: quos sicut dicunt a Deo prædestinatos ad interitum, ita etiam ad peccatum. Hunc tamen articulum emollire, ac temperare videbantur novi Prædestinationiani, referente eodem Hincmaro ibid. Dicunt enim, inquit, *Prædestinavit Deus reprobos ad interitum, non ad peccatum. Sed dolose id ab ipsis dictum statim observat Hincmarus. Colore mutant, inquit, sed odoris, atque savoris intelligentia redolent: cum non nisi per peccatum pervenire valeat ad interitum.**

Idem testatur Amolo Archiepiscopus Lugdunensis, in Epistola ad Goteschalum, quam edidit Sirmondus. Edoctus ille fuerat de erroribus hujus inquieti, ac turbulenti Monachi, per Hincmarum, & Pardulum: in ea igitur Epistola sic loquitur de erroribus Goteschalci: *Quarto loco displicet nobis valde, qui tam dure, & indisciplinate, & immaniter de divina prædestinatione 63. Sirmond. sentis, & loqueris in damnatione reproborum, ut omnes illos, qui ad sinistram ponendi sunt in die Judicii, & cum diabolo atque Angelis ejus pro malis meritis suis aeterno igne damnandi; ita sint divinitus ad interitum prædestinati, ut eorum prouersus nullus aliquando potuerit, nullus possit salvus esse... Quinto loco non minus detestamur, & horremus, quod ita exarsisti adversus eos, qui aeterno interitu sunt digni, ut dixeris eos, tam irrevocabiliter, & incommutabiliter perditio- 1245. E. nis esse prædestinatos, sicut Deus ipse incommutabilis, & inconvertibilis est.*

In ea Epistola innuit Amolo, Prædestinationarios censuisse Sacraenta nihil operari in illis, qui sunt ad mortem aeterno Dei propofito destinati. *Displicet nobis valde, inquit, quia verissima, & sacratissima Ecclesiæ Sacraenta, videlicet Exorcismi, & Baptismi, Chrismatis, & Eucharistiae, 1144. D. ac manus impositionis, perfunditorie, & frustratorie omnibus, qui post perceptio- nem eorum pereunt, dari confirmas, dum eos Sanguine Christi, sine quo ipsa mysteria, jam non mysteria, sed quedam velut vacua, & inania ludibria sunt habenda, redemptios negas. Cum e contrario Apostolus, & veritatem redemptio-*

Ibid. p. 1149. T.

nis

nis Christi, & verum divinorum mysteriorum effectum, etiam in eis, qui irreparabiliter pereunt, doceat esse collata.

Apud Sirmondus a Sirmondo editus, lib. 1. hæresi 90. de Prædestinationis sic loquitur: *Dicunt Baptismatis undam non universa peccata mundare . . . Dicunt omnia non in re, sed ita in spe fieri, ut quod dicit Apostolus, spes, que videtur, non est spes, etiam hoc mysteriis applicent dictum, & dicant, ea que percipiuntur, videntur quidem esse, sed non sunt. Dicunt, plus obfuit ad nocendum Adam generi humano, quam Christus, in subveniendo. Nam, ajunt, quod nocuit, ita manet, ut hoc nec passio Christi, nec Baptismatis sanctificatio possit auferre.* Et lib. 3. *Damnabilitas ejus (Libelli a Prædestinationis scripti) eo usque pervenit, ut universa mysteria Salvatoris evacuet. Dicit Baptismum Christi fructum ullum penitus, dum traditur, non habere. Spes, inquit, que videtur, non est spes, idest, remissio peccatorum: & quidquid in presenti promittitur, non est, quia in futuro servatur, hic tamen, idest in hoc mundo, non accipitur.* Quis sit hujus Operis auctor, plane incertum est. *Observat autem Sirmondis in Epistola ad Lucam Holstenium, eum vivisse ante natam hæresim Eutychianam, hoc est, ante annum Christi 447.*

T. 1. p. 63. *Hincmarus L. de Prædestinatione c. 15. inter errores veterum Prædestinationariorum, hunc etiam recenset: Aliud est, inquit, quod ab eis, qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferat percepta Baptismi gratia originale peccatum, & licet pie, jusque vixerint, nihil eis profit. Non dissimulat ibidem, Prædestinationarios sui temporis hunc quidem articulum transflire, sed dolo ac fraude ad censuram Episcoporum declinandam: qua ratione, alia errorum capita vel non tangebant vel transfliebant, vel declinabant, vel colore mutabant, ut ait ibidem Hincmarus, sed odoris, pergit, atque saporis intelligentia redolebant. Hoc est, verbis negabant, re autem ipsa fatebantur. Varias enim formas induere solent hæretici, ut tutius obrepant, erroresque suos insinuent.*

Anno Christi 849. in Synodo Carisiaca, auditus, convictus, ac damnatus fuit Goteschalcus. Audiatur Hincmarus L. de Prædestinatione c. 2. A Synodali, inquit, Conventu in Carisiaco palatio iterum auditur ab Episcopis, & ceteris quamplurimis viris Ecclesiasticis atque Religiosis, qui eidem Synodo interfuerunt (nomina eorum deinde recenset) . . . in quorum praesentia idem Goteschalcus, sicut, & in Moguntina civitate, inventus hæreticus, atque incorrigibilis, honore presbyterali, quem per Righoldum (Remo) Chorlepiscopum, cum esset Suessonice Parochie Monachus, in scio civitatis sue Episcopo, usurpaverat potius, quam accepérat, abjectus, & pro sua irrevocabili contumacia, secundum leges, & Agathenses Canones, & regulam Sancti Benedicti, ut improbus virgis cæsus, sicut decreverant Germaniae Provinciarum Episcopi, ne illis noceret, qui sibi prodeſſe nolebat, ergastulo est retrusus. Hæc Hincmarus, quæ in sententia, quam Synodus pronunciavit, summatim continentur.

Non satis habuit Synodus illa errorē proscribere, sed totidem capitula opposuit quatuor præcipuis Goteschalci erroribus.

Capitu- la Cari- bria. Primum est. Deus omnipotens hominem sine peccato rectum cum libero arbitrio condidit, & in Paradiso posuit, quem in sanctitate justitiae permanere voluit. Homo libero arbitrio male utens peccavit, & cecidit, & factus est massa

massa perditionis totius humanis generis. Deus autem bonus, & justus elegit ex eadem *massa perditionis*, secundum præscientiam suam, quos per gratiam prædestinavit ad vitam, & vitam illis prædestinavit aeternam: ceteros autem, quos justitiae judicio in *massa perditionis* reliquit, perituros præscivit, sed non, ut perirent, prædestinavit: *ponam autem illis*, quia justus est, prædestinavit aeternam. Ac per hoc unam Dei prædestinationem tantummodo dicimus, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem justitiae.

Secundum capitulum istud est. *Libertatem arbitrii in primo homine perdidimus*, quam per Christum Dominum nostrum recepimus: & habemus liberum arbitrium ad bonum, & preventum, & adjutum gratia; & habemus liberum arbitrium ad malum, desertum gratia. Liberum autem habemus arbitrium, quia gratia liberatum, & gratia de corrupto sanatum.

Tertium est. *Deus omnipotens omnes homines sine exceptione vult salvos fieri*, licet non omnes salventur. *Quod autem quidam salvantur, salvantis est donum*: *quod autem quidam pereunt, pereantium est meritum*.

Quartum. *Christus Jesus Dominus noster*, sicut nullus homo est, fuit, vel erit, cuius natura in illo assumpta non fuerit, ita nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo passus non fuerit; licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur. *Quod vero omnes passionis ejus mysterio non redimuntur, non respicit ad magnitudinem*, & pretii copiositatem, sed ad infidelium, & ad non credentium ea fide, quæ per dilectionem operatur, respicit partem. *Quia poculum humanæ salutis, quod consecratum est infirmitate nostra, & virtute divina, habet quietem in se ut omnibus proficit; sed si non bibitur, non medetur*.

Excitatæ per Goteschalculum circa prædestinationem controversiæ Gallicanam Ecclesiam ea tempestate turbarunt, divisis hinc, & inde animorum studiis: multis huic miserabili Monacho errore facti patrocinantibus, aliis vero adversantibus. Multa ex iutraque parte edita Opuscula, inter quæ unum fuit maxime celebre, sub nomine Ecclesiæ Lugdunensis, de tribus Epistolis, auctore Remigio Amolonis in Sede Lugdunensi successore.

Scilicet cum in Conventu Ecclesiæ Lugdunensis lectæ ac expensa fuissent tres Epistolæ, una Hincmari Remensis ad Amolonem, altera Parduli Laudunensis ad eundem, & tertia Rabani Moguntini ad Notingum Episcopum Veronensem circa errores Goteschalcii, Remigius, qui Ecclesiæ Lugdunensi præerat, hujus Ecclesiæ nomine Librum edidit de tribus Epistolis, in quo Goteschalco favere, & doctrinam in his Epistolis, ac Capitulis Carisiacis contentam, vellicare ac carpere videtur.

Circa idem tempus an. 855. celebrata est tertia Synodus Valentina, in qua de motis a Goteschalco quæstionibus actum fuit. Jansenii Apologistæ contendunt, tum Ecclesiam Lugdunensem in Libro de tribus Epistolis; tum Synodum illam Valentinam doctrinam Goteschalcii propugnasse, & contrariam Carisiacis capitulis definitam refutasse. Quod a nobis jam expendendum est.

Dico igitur 4. Ecclesiam Lugdunensem erroribus Goteschalcii non fuisse, nec capitula Carisiaca revera impugnasse: tametsi, errore facti, persona illius Monachi patrocinata fuerit, quem a doctrina ipsi imposita alienum existimatbat, ac durius exceptum fuisse querebatur.

I. Circa prædestinationem reproborum ad malum, quam Goteschalculus admirerat, Lugdunensis Ecclesia in Libro de tribus Epistolis, ubi septem premitit regulas, postquam regula tertia dixit, quæcumque sunt a Deo

præscita, esse quoque prædestinata: ne quis inde concluderet peccata, quæ a Deo præscita sunt, ab ipso quoque prædestinari; regula 4. ait: *mala cpe-*
T. 15. p. ra creature, quia iphus tantummodo sunt, & ex ejus virtute, non ex Dei vo-
668. col. luntate vel operatione procedunt, præscita a Deo dici possunt, prædestinata non
^{1. D.} *possunt. Et regula 5. Ex ipsa, inquit, certa præscientia, & justa prædesti-*
^{2. E.} *natione sua, (Deus) nulli necessitate, imposuit, ut malus esset, & aliud esse*
non posset Non ergo ille ratio bonitatis & pietatis Pater quemquam im-
pellit aut compellit ad malum opus agendum, vel in malo opere permanendum:
tamen vere constringit, & compellit iudicio suo in malis perseverantes ad ju-
^{Ibid. C.} *stum supplicium luendum. Hæc ibidem regula 7. statuitur, & exponitur:*
Ut neque de electis Dei ullum perire posse credamus, neque de reprobis aliquem
^{Ibid. H.} *salvari ulla tenus existimemus: non quia non possunt homines de malo ad bonum*
commutari: & de malis & pravis boni ac recti fieri, sed quia in melius mutari
noluerunt, & in pessimis operibus usque in finem perseverare voluerunt. Quæ
^{Ibid. p.} *profecto Ecclesiae Lugdunensis sententia, penitus adversatur doctrinæ Go-*
^{669. col.} *teschalci, qualem nobis repræsentant Rabanus, Hincmarus, Amolo, ali-*
^{1. G.} *ique Episcopi Synodorum Moguntinæ, & Carisiacæ, tametsi auctor Li-*
bri de tribus Epistolis c. 24. afferat, non ita docuisse Goteschalcum,
eiusque doctrinam a nullo, qui Catholicus haberi velit, respundam ac
^{Ibid. p.} *damnam. Et ideo bac in re, inquit, dolemus non illum miserabilem Mo-*
^{669. col.} *nachum, sed Ecclesiasticam veritatem esse damnatam. Et c. 10. Quapropter*
^{2. E.} *et si illius miserabilis Monachi improbatur levitas; improbatur temeritas, culpa-*
^{Ibid. p.} *672. col.* *tur importuna loquacitas, non ideo divina neganda est veritas. Hæc ille, er-*
^{1. A.} *reore facti non satis exploratam & perspectam habens Goteschalci do-*
ctrinam, ac plus æquo credulus dolosæ professioni Fidei, quam Gote-
schalcus callide ad suum errorem dissimulandum adorna velerat. Non enim
controversia erat de prædestinatione reproborum ad interitum seu ad
pœnam, sed ad culpam; ita ut qui ad interitum essent prædestinati, il-
li cogarentur ac compellerentur ad malum, quod effugere & declina-
re non possent.

II. Circa voluntatem Dei salvandi omnes homines, æquivocatio & ambiguitas tollenda statim, distinctione voluntatis absolutæ seu efficacis, quam Schola consequentem, & voluntatis conditionatæ seu inefficacis, quam antecedentem appellat. Per priorem voluntatem, eos tantum Deus salvare vult, qui revera salvantur: per posteriorem, omnes omnino vult salvare, etiam eos, qui non salvantur. Uterque sensus Catholicus est; neuter rejiciendus. Inificari non possumus, quin Ecclesia Lugdunensis, priori in primis sensu affirmet, Deum eostantum velle salvare, qui revera salvantur. Frustra ea loca colligunt Janseniani, quæ non negamus; solis oculis opus est, ut ea legantur capitibus 11. 12. & 13. dicti Libri de tribus Epistolis: at dissimulare non debuissent Jansenii Apologistæ, posteriori etiam sensu, fatente ipsamet Ecclesia Lugdunensi, affirmari posse Deum velle omnes homines salvos fieri: quem sensum approbat, nemus excludit; hoc enim unum cavit, ne forte alter propter alterum rejiciatur. Cap. 12. *Quarto autem modo, inquit Lugdunensis Ecclesia, ita a*
^{Ibid. p.} *673. col.* *sancitis Patribus intellectum invenitur, quod dictum est: Qui vult omnes homi-*
^{1. B.} *nes salvos fieri, ut simpliciter accipiatur hoc de omnibus hominibus, quantum in*
^{Ibid. D.} *ipso est, Deum velle, eo quod omnes salvari velit bonitate Creatoris. Et paulo*
post:

post: Ita fit etiam si secundum pium quorundam Patrum piorum sensum Deus omnes homines vult salvos fieri bonitate Creatoris, qua creaturam suam bene a se conditam perire non vult, id ipsum iterum nolit iudicis aequitate, qua eamdem creaturam suam vel originali, vel etiam actuali peccato nequiter inquinatam, & vitiatam impunitam esse non sinit. Hanc autem interpretationem rejici non debere, nisi hæretico Pelagianorum sensu, aperte declarat ibidem auctor hujus Libri, quasi nempe Deus, quantum est ex se, vellet omnes homines salvos fieri, si ipsi velint per naturæ vires. In quarto autem modo illud sine dubio cavendum, inquit c. 13. quia & occasionem Pelagianæ pravitati præbet, quod Deum, ut salvet homines, humanas expectare asserit voluntates Et paullo post: Quod autem ibi simpliciter intelligitur Deum omnes homines velle salvos fieri scilicet Creatoris (ita ut putamus) fideliter potest recipi, si hanc voluntatem bonitatis suæ erga salutem hominum non credatur humana obſſidente voluntate implere non posse, sed obſſidente humana iniquitate implere nolle. Quam hic bonitatem, seu Creatoris, & justitiae seu judicis voluntatem appellat Lugdunensis Ecclesia, Theologi ex s. Anselmo antecedentem, & consequentem vocant.

III. Circa mortem Christi pro salute omnium, hæc est sententia Lugdunensis Ecclesie, scilicet Christum duobus modis pro salute omnium dici posse mortuum: 1. efficaci applicatione meritorum Christi. 2. sufficientia non tantum pretii oblati, sed voluntatis offerentis; quod nempe eo animo, eaque intentione Christus Sanguinis sui pretium obtulerit, ut omnibus hominibus ad salutem prodefesse possit. Priori sensu, pro illis dumtaxat mortuus est Christus, quibus pretium Sanguinis ipsius efficaciter applicatur: quo profecto sensu, Ecclesia Lugdunensis docet, 1. Christum mortuum esse pro triplici hominum salvandorum ordine, predestinatarum scilicet; tum eorum, qui a gratia, quam in Baptismo percepunt, subinde per peccatum excidunt; eorum denique, qui aliquando sunt ad Fidem vocandi ita c. 15. docet 2. c. 18. *Christum non esse mortuum* (nempe efficaci applicatione Sanguinis sui) *pro omni illa innumerabilis & infinita multitudine impiorum*, qui ab exordio mundi usque ad passionem Domini, per quatuor ferme annorum millia in sua impietate sunt mortui. Idem sentit de impiis & infidelibus, qui post passionem Christi vixerunt, & in sua impietate ac infidelitate mortui sunt, 3. non excludit alium sensum, quo nempe Christus dicitur mortuus etiam pro infidelibus, sufficientia non tantum pretii, sed etiam voluntatis; imo sensum hunc approbat: Quod si, inquit c. 20. inveniuntur aliqui Patrum, qui etiam pro impiis in sua impietate permanuris Dominum crucifixum dicant... si placet, sicut & nobis multum placet, ut etiam istorum sententia ex pietate veniens, propter pacem, & venerabilem pietatem beatissimorum Patrum non renuatur. Et c. 24. loquens de duplice expositione hujus Apostoli sententie, Deus vult omnes homines salvos fieri, utramque approbat: Licet alii quidam sancti & venerabiles Patres, inquit, simpliciter illa Apostoli verba accepisse inveniantur; utrorumque tamen sententia fuerat honoranda, nec, ut jam superius dictum est, una pro altera damnanda: quia & illa ex divina auctoritate vera esse monstratur, & ista quadam pia ratione non abhorreve a veritate fideliter creditur. Idem repetit c. 18. circa voluntatem Dei, & mortem Christi pro omnibus. Et L de tenenda veritate scripturar. c. 14. *Catholica Fides tenet*, inquit, & *Scriptura sancta*

Ibid. pag. clæ veritas docet, quod pro omnibus credentibus, & per gratiam Baptismi ex 715. E. aqua, & Spiritu Sancto regeneratis . . . Salvator noster sit mortuus.

IV. Doctrinam Goteschalci circa liberum arbitrium apertissime improbat, ac rejicit Ecclesia Lugdunensis, tametsi eam huic Monacho abjudicet.

Ib. p. 677. Quia, inquit cap. 21. hoc genus erroris nec apud hæreticos, nec apud quemquam col. 2. G. Catholicorum nos cognovisse, vel audivisse meminimus. Et cap. 24. Quod vero Ib. p. 679. dixisse (Goteschalcus) firmatur, ad male tantummodo agendum liberum nos hab. col. 2. G. bene arbitrium, ad bene vero agendum non habere: si vere ita sensit, & dixit, hoc vere non est ex divina auctoritate sumptum, neque ex SS. Patrum dogmatibus tractum, sed aperte ex proprio errore prolatum.

Dico 5. Valentinam Synodus ex tribus Provinciis, Lugdunensi, Vienensis, & Arelatensi, an. 854. congregatam, Carisiacis Capitulis non fine T. 8. Con. quadam verborum asperitate repugnasse. Porro, inquit Can. 4. Capitula 2. 137. A. quatuor, que a Concilio fratrum nostrorum minus prospicte suscepta sunt, propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati: sed & alia novemdecim Syllogismis ineptissime conclusa, & licet jacetur, nulla seculari Literatura nitentia, in quibus commentum diaboli potius, quam argumentum aliquod fidei deprehendiur, a pio auditu fidelium penitus explodiumus: Prima parte Carisiaca Capitula designantur; secunda vero, Joannis Scoti placita, qui Goteschalci hæresim impugnare aggressus, in alias impegit nihil tolerabiliores. Illi vero Præfules, qui Valentino Concilio interfuerant, postea an. 839. ad Synodum Tullensem primam apud Saponarias, & Lingonensem convenientes ex duodecim Provinciis, hoc est universo Gallico Imperio, hæc ipsa Valentina Decreta relecta ita probaverunt, ut tamen mox dictam in Concil. Carisiacum notam tolli voluerint, & omitti: quod certe argumento est, illam, Hebbonis Hincmaro infensi potius arte, quam ex sententia Concilii appositam fuisse. Statuant ejusdem Concilii Præfules Can. 20. Ut pace ac tranquillitate recuperata simul convenient, & prolatis *Ibid. pag. 678. A. Sanctarum Scripturarum, atque Catholicorum Doctorum sententiis, quæ saniora sunt concordi unanimitate sequantur.*

Ibid. p. 708. Et re ipsa restituta Imperii pace, iidem Præfules studiis, ac doctrina, divisi haec tenus, anno subsequente in Concilio secundo Tullenzi apud Tusiacum congregari, ad concordiam, & unitatem doctrinæ redire visi sunt, earumque confirmare, quæ Capitulis Carisiacis expressa fuerat; atque ita compositum videtur totum illud grave dissidium, quod Ecclesiam Galicanam nono Ecclesiæ sæculo turbaverat. Legatur Epistola Synodalis manu Hincmari Rheemensis iussu Concilii exarata, ubi doctissimus Præfus doctrinam Carisiacam renovat, ac confirmat.

Quidquid sit, dogma Capitulis Carisiacis propositum re ipsa non impugnant, nec evertunt Canones Valentini.

Primus universe præscribit, vocum novitates omni studio fugiendas esse; atque Joannem Scotum sive Erigenam impetrat, qui contra geminam Goteschalci prædestinationem Librum evulgaverat erroribus, & profana vocum novitate scatentem.

Ibid. p. 131. D. Secundus decernit: Nec prorsus ulli malo presentiam Dei imposuisse necessitatem, ut aliud esse non possit: adeoque Goteschalci opinionem in Moguntina Synodo pridem detestatam condemnat.

Ibid. p. 136. A. Tertius talis est, Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & præ-

& prædestinationem impiorum ad mortem : qui Canon Goteschaleo in speciem favere videtur, ac verbo tenuis tantum discrepat a primo capitulo Carisiaco : quod cum unam dumtaxat prædestinationem ad bonum admittit, excludere tantum voluit prædestinationem ad malum seu peccatum sensu Goteschalci : non vero prædestinationem ad poenam seu supplicium propter peccata præcedentia, quem sensum etiam sequitur Valentinus Canon : *In electione tamen salvandorum, ait, misericordiam Dei præcedere meritum bonum ; in damnatione autem periturorum meritum præcedere justum Dei judicium.... Verum, addit Canon, aliquos ad malum prædestinatos esse divina potestate, videlicet, ut quasi aliud esse non possint, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione, sicut Arausica Synodus, illis anathema dicimus . Nihil profecto aliud voluit Capitulum Carisiacum.*

Quartus Canon Valentinus agit de redemptione Sanguinis Christi : *Ibid. D.*
Item, inquit, de redemptione Sanguinis Christi propter nimium errorem, qui de hac causa exoriens est, ita ut quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impiis, qui a mundi exordio usque ad passionem Domini in sua impietate mortui æternæ damnatione puniti sunt, effusum eum definiant, contra illud propheticum: Ero mors tua o mors ! ero morsus tuus inferne : illud nobis simili citer & fideliter tenendum, ac docendum placet, juxta Evangelicam & Apostolicam veritatem, quod pro illis hoc datum pretium teneamus, de quibus ipse Dominus noster dicit: Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam . His verbis Patres Valentini eorum dumtaxat errorem proscribunt, qui teste S. Aug. hæref. 79. dicunt: Descendente ad T. 8. p. inferos Christo credidisse incredulos, & omnes exinde liberatos . Et ut loquitur S. Greg. Magnus hom. 22. in Evangelia, morte Christi exinanitos fuisse inferos . Quod nusquam assertum legimus in capitulis Carisiacis, quorum quarto ista dumtaxat Goteschalci sententia perstringitur: Christi Sanguinem nullatenus pro salute illorum effusum, qui æternum pereunt . Econtra docet capitulum, etiam pro hujusmodi hominibus mortuum esse Christum, non quidem efficaci applicatione meritorum ipsius; sed sufficientia, non tantum pretii oblati, verum etiam voluntatis offerentis: quia nempe, ut diximus, eo animo ac consilio Christus Sanguinem suum fudit, ejusque pretium Patri obtulit, ut omnibus prodeesse possit ad salutem . Quem sensum Patres Valentinos non impugnasse vel ex eo patet maxime, quod de isto tertio capitulo Carisiaco, Deus omnipotens sine exceptione vult omnes homines salvos fieri, licet non omnes salvantur, ne verbum quidem fecerint . Est tamen ista Dei voluntas pro salute omnium fons & origo mortis Christi pro omnibus . Preterea in Canone 5. Patres Valentini docent, Christum mortuum esse pro multitudine Fidelium, qui per Sacraenta gratiam assecuti quidem sunt, sed tamen æternum pereunt, quia in illa non perseverant: ergo Christus non est mortuus pro salute dumtaxat solorum prædestinationum, sicut Jansenio, ejusque sectatoribus videtur .

Quintus idem Canon statuit, quod omnes ex aqua & Spiritu Sancto regenerati, a peccatis abluti sint; *Cum in Ecclesiæ Sacramentis nihil sit cassum, nihil ludificatorium ... quamquam non omnes illi salvi fiant. Illum Go-*

teschalci errorem perstringit iste Canon, quo, teste Amolone, & Hincmaro, asserebat solos prædestinatos in Baptismo gratiam consequi.

Sextus denique Canon Valentinus est de libero arbitrio, nec a Cari-siacensibus editis abludit.

Consule caput 12. Historiæ Prædestinationaræ Sirmondi, ubi solidissime probat Lugdunensem Ecclesiam, Synodumque Valentinam in causa Go-teschalci prædestinatorum erroribus non suffragari.

Opera Hincmarie In errore suo pertinacem, extremum diem obiisse Goteschalcum scribit Hincmarus L. De non trina Deitate. *Cum jam finis ejus appropinquatur.* T. 1. p. ret, ait, fratribus, qui aderant, ut a pravo suo sensu, & perversa sententia se revocaret, & Communionem sacram perciperet, suadentibus respondit, a suo se sensu, & sententia revocare, & Communionem per auctoritatem non posse accipere. Sicque indignam vitam digna morte finivit, & abiit in locum suum.

DE LUTHERO, & CALVINO.

Circa modum agendi, seu efficaciam gratiæ, hæc est Novatorum sententia:

I. Voluntatem sub motione gratiæ necessario agere; nec in ipsius potestate esse, moventi gratiæ obtemperare vel refragari, sed necessario

Ed. Gen. 1559. p. c. 3. n. 10. obtemperare. Voluntatem (Deus) movet; ait Calvinus l. 2. Institutionis

99. postea sit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari: sed illam efficaciter

afficiendo Neque secus accipi sententia Christi potest: Omnis qui audivit a Patre meo venit ad me, quam ut efficacem a se ipsa Dei gratiam doceat... Et postea Medium quem Sophistæ (sic Catholicos appellat) imaginantur modum, cui obsequi vel quem repellere liberum sit, aperte excludi videmus, ubi assertur efficax ad perseverandum constantia. Et n. 11. Quoniam, pergit, inde natus est (error) quod putabant in manu nostra esse respuere vel accipere oblatam Dei gratiam, hac opinione explosa, ille quoque sponte sua corruit. Et

Ibid. c. 2. n. 6. referens sententiam Catholicorum: Ideo, inquit, putarunt nos secundæ Dei gratiæ cooperari, quod nostri juris sit primam gratiam vel respuendo irritam facere, vel obedienter sequendo confirmare. Quam nostrorum do-

*Pag. 84.*ctrinam subinde refellit Calvinus.

Pag. 65. Quæ porro illa sit necessitas per gratiam illata docet idem Calvinus

1. l. Institutionis c. 16. n. 9. in fine. Interea, inquit, quod statuit Deus, sic necesse est evenire, ut tamen neque præcise, neque suapte natura necessarium sit. Exemplum in Christi ossibus familiare occurrit. Cum induerit corpus nostro simile, fragilia fuisse ejus ossa nemo sanus negabit: quæ tamen frangi fuit impossibile. Unde iterum videmus non temere in Scholis inventas fuisse distinctio-nes de necessitate secundum quid, & absolute: item consequentis, & consequen-tiæ: quando ossa Filii sui Deus quæ a fractura exemerat, fragilitati subjecit, atque ita restrinxit ad consilii sui necessitatem, quod naturaliter contingere potuit. Mens igitur Calvini est, ex decreto, & motione Dei non sequi assensum nostrum necessario, necessitate, ut ajunt, consequentis, sed tantum necessitate consequentiæ. Item non sequi necessario necessitate absolute, sed secundum quid. Deinde non esse assensum nostrum suapte natura necessarium; sed si cum proxima caussa, humana scilicet vo-luntate comparetur, contingentem esse: sin vero referatur ad voluntatem, & motionem Dei, catenus fieri necessario.

Eo

Eo usque tandem progressi sunt Lutherus, & Calvinus, ut præfracte contendent, non esse in homine liberum arbitrium, sed esse dumtaxat vacuum sine re titulum. *Liberum arbitrium post peccatum, est res de solo titulo*, ait Lutherus in articulo 36. eorum, quos Leo X. damnavit. Et in assertione corundem articulorum: *Liberum, inquit, arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re.* Calvinus pariter in Antidoto ad Canonem 5. confessionis 6. Conc. Tridentini, *Quia, inquit per liberum arbitrium intelligunt (Patres Tridentini) eligendi facultatem, quæ sit in utramque partem libera, & soluta, titulum sine re esse, qui affirmant, Christum habeant auctorrem Quod ad ipsam vocem attinet, audiant Augustinum &c.*

II. Docent iidem Novatores, per gratiam, simplicem necessitatem, non vero coactionem voluntati nostræ inferri; ac dure increpant eos ex nostris, qui necessitatem cum coactione, & violentia videntur confundere. Audiantur

Lutherus in Libro de servo arbitrio, *Sequitur, inquit, nos necessario operari Necessario vero dico, non coacte, necessitate immutabilitatis, non coactionis. Hoc est, homo cum vacat spiritu Dei, non quidem violentia, velut rapitus obtorto collo, nolens facit malum; sed sponte, & libenti voluntate facit. Hoc vocamus modo necessitatem immutabilitatis, quod voluntas sese mutare, & vertere alio non possit. Rursus ex altera parte, si Deus in nobis operatur, mutata & blande assilata per spiritum Dei voluntas, iterum mera lubentia, & pronitatem, ac sponte sua vult, & facit, non coacte, pro natura voluntatis, quæ si cogeretur, voluntas non esset: nam coactio potius est, ut sic dicam, voluntas. Hæc quidem Lutherus clara, & perspicua.*

Calvinus l. 2. Institutionis c. 2. n. 7. *Liberi ergo, inquit, arbitrii hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni æque ac mali electionem; sed quia mala voluntate agit, non coactione.* Optime id quidem; sed quorsum attingebat rem tantulam adeo superbo titulo insignire? Et c. 3. n. 5. Porro, inquit, quod libertate abdicata voluntatem dico necessitate in malum trahi vel duci: mirum est si cui videatur aspera locutio Offendit eos qui inter necessitatem, & coactionem distinguere nesciunt.

Et lib. 2. de libero arbitrio contra Pighium: *Si coactioni, inquit, opponatur libertas, liberum arbitrium esse, & fateor, & constanter assevero; ac pro heretico habeo, quisquis secus sentiat. Si hoc, inquam, sensu liberum volgetur, quia non cogitur, aut violenter trahatur externo motu, sed sponte agatur sua, nihil moror. Deinde addit, quod cum aliter sumi soleat liberum arbitrium nempe pro voluntate, quæ sub potestate sua habeat bonum & malum, ut alterutrum eligere suapte virtute queat, se hoc sensu rejicere liberum arbitrium profitetur. Coacta, inquit, voluntas nulla esse potest.* Ibid. p. 252. Calvinus igitur non gravate liberum hominis arbitrium agnoscit, modo solam excludat coactionem, non simplicem necessitatem.

III. Docent iidem Novatores, voluntatem assentiendo Deo vocanti, nihil ex se ipsa cooperari, hoc est, nihil vi propria & partiali virtute, quamvis per gratiam elevata, agere, sed Deum esse causam totalem & adiquatam consensus, quem in voluntate, & per voluntatem operatur. Ita Calvinus l. 5. de libero arbitrio: *Nego, inquit, gratiæ sic nobis offerri, ut nostræ postea sit optionis vel obtemperare, vel refragari: nego tantum in hoc dari, ut imbecillitatem nostram subsidio suo adjuver: quasi in nobis alias quidquam sit situm: sed hoc in solidum illius*

Inter
Opusc. Ed. Gen.
1525. p.
11.

opus, ac beneficium esse confirmo, ut cor nostrum ex lapideo in carneum vertatur.
 Et lib. 3. Institutionis cap. 15. n. 7. Sorbonicos, idest Catholicos fugillat, quod, et si principalem boni operis caussam referant ad gratiam, libero tamen hominis arbitrio aliquam ipsius partem vindicent. *Quia vident, inquit, parum valere ad hominem attollendum bona opera, ac ne merita quidem proprie vocari, si divinae gratiae fructus censentur; ex vi liberi arbitrii ea elicunt, oleum scilicet ex lapide.* Ac principalem quidem caussam in gratia esse non negant; sed eo tamen contendunt non excludi liberum arbitrium, per quod sit omne meritum. Mens igitur Calvini est, omne boni operis meritum in solidum a Deo esse, nec liberum arbitrium quidquam de suo conferre.

Inter Opusc. p. 720. In Antidoto Conc. Trid. ad can. 4. sess. 6. rursus sic loquitur: *Qui ergo motum aliquem libero arbitrio proprium tribuunt, & separatum a Dei gratia, nihil aliud, quam spiritum discerpunt.* Separatum a Dei gratia dicit hic Calvinus motum liberi arbitrii, non quod excludat gratiam, aut a Catholicis ad bonum illum motum eam excludi existimet, ut manifestum est ex verbis ipsius mox citatis lib. 6. de libero arbitrio, sed separatum dixit, quia nullum liberi arbitrii motum, seu nullam veram co operationem, nullum verum influxum ipsius ad bonum opus agnoscit, eo quod per gratiae influxum necessario ad unum determininetur.

Temp. 14. Conc. p. 724. F. Atque ex hoc postremo doctrinæ Calvinianæ capite, necessario nexu sequitur, liberum arbitrium mere passive se habere respectu boni forma liter sumpti, seu agi, non agere: quandoquidem Deus tamquam totalis & adæquata causa, in ipso, & per ipsum, totum quod bonum est, operatur. Quam consequitionem aperte & libere admisit Lutherus.

Quapropter merito Synodus Tridentina sess. 6. can. 4. anathema istud pronuntiat. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quoad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac prepararet, neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathema sit.*

Cum Pighius istud doctrinæ Calvinianæ consecutarium Calvino ipsi objiceret, reclamabat Hæresiarcha, contestans falso sibi imponi liberum hominis arbitrium passive dumtaxat se habere. *Frustra, inquit, Calvinus l. 5. de libero arbitrio, hinc nobis constare invidiam nititur, (Pighius) quod homines lapidibus similes fiant, si nullæ illis in bene agendo partes relinquantur.* Id enim ex doctrina nostra perperam infert, qui mentem hominis fatemur videre, sed illuminatam; *judicium discernere, & eligere, sed Spiritus directione gubernatum: cor esse voluntarium, sed reformatum manu Dei; hominem ipsum, & conari, & agere, & ad Dei obsequium applicare suas facultates, sed pro gratiae mensura, quam accepit.*

Ibid. p. 318. Et l. 6. Non hoc queritur, agat ne voluntas, quod extra dubium est; sed agat ne ex se ipsa, an pro modo divinae actionis: aut crassiore, si placet, loquendi modo, distincta ne an separata sit actio voluntatis ab operatione Dei: an illi, quod ajunt, subordinetur. *Quis enim nescit, per voluntatem fieri ut velit homo?* Sed Paulus illic voluntatem asserit Dei Spiritu gubernari, ut ad bonum inclinet & aspiret, ideoque propriam ejus esse actionem, si quid boni animo concipimus. Verum his verbis fucum facit Calvinus, nec intortum a Pighio telum ex-

cutit. Esto enim fateatur Calvinus, mentem videre, judicium discernere, & eligere, cor esse voluntarium, hominem conari & agere, voluntatem velle, &c. Quid inde? Hoc unum, nempe liberum hominis arbitrium: utpote facultatem vitalem, vitaliter agere, se mouere; nec instar lapidis se mere passive habere ad bonum materialiter sumptum. At non ita est circa bonum formaliter sumptum, prout meriti rationem habet; namque Calvinus in opere bono ac meritorio nullam homini partem reservat, sed totum Deo tribuit: cuius quidem sententia ratio & causa a priori haec est juxta Calvinum, quod optima quæque viri etiam sanctissimi opera, inficiantur ac maculentur aliqua peccati saltem venialis forde; nempe propter vitium concupiscentiæ, quod semper optimis actionibus humanis adhærescit.

Sic loquitur Calvinus l. 3. Instit. c. 15. n. 3. Bonorum, inquit, operum laudem non (ut Sophistæ faciunt) inter Deum & hominem partimur: sed totam, integrum & illibatam Domino servamus. Tantum hoc homini assignamus, quod ea ipsa, quæ bona erant sua impuritate polluit & contaminat. Nihil enim ab homine exit, quantumvis perfecto, quod non sit aliqua macula inquinatum. Et n. 4. Scriptura doctrina est, pergit Calvinus, aspersa esse perpetuo fôrdibus multis bona nostra opera, quibus merito Deus offendatur, ac nobis succenseat.

4. Vim, & efficaciam gratiæ, ut & libertatis originem, Calvinus repetit ex p. 101. viætrice seu superiori delectatione. L. 2. Inst. c. 3. n. 14. Aug. docet, quod humana voluntas non libertate gratiam, sed gratia consequatur libertatem; quod per eandem gratiam impresso delectationis affectu, ad perpetuitatem conformetur. Et L. 3. contra Pighium: Semper autem, ait, testatus sum, me de nomine pugnare nolle, si hoc semel constitueretur, libertatem non ad potentiam, vel facultatem boni æque ac mali eligendi, sed ad spontaneum motum & consensum referri debere. Et quid aliud sonant Augustini verba? Libera est, inquit hominis voluntas, sed ad malum. Cur? quia delectatione & proprio appetitu movetur.

Inter Opusc. p. 268.

Ex dictis hæc tenus facile intelligitur, quis sit error Novatorum circa modum agendi, seu vim & efficaciam gratiæ. His capitibus continetur, 1. per gratiam voluntati necessitatem inferri, non eam quidem, quæ coætionis ac violentiæ dicitur, sed eam, quæ simplex vocatur: quia nempe voluntas ita ad unum invincibiliter & insuperabiliter determinatur, ut actus contrarius amplius non sit in ejus potestate. 2. Libertatem in uno voluntario positam esse, non in ea indifferentia activa, qua voluntas, positis omnibus ad agendum prærequisitis, possit ad unam vel alteram partem se inflectere. 3. Voluntatem Deo-moventi & excitanti assentiendo non cooperari, ne partiali quidem influxu; sed mere passive se habere respectu boni formaliter sumpti, seu quatenus meriti rationem induit. 4. Omnia justorum opera semper aliqua macula, seu labe peccati aspergi, ac coinquinari. 5. denique vim & efficaciam gratiæ, sicut & originem libertatis oriri ex delectatione viætrici, quæ voluntatem movet & trahit.

Jansenii discipuli, quibus hoc vitio datur a Catholicis, quod circa modum agendi gratiæ idem cum Calvinistis sentiant, in omne latus se convertunt, ut hanc a se labem amoliantur; ajuntque, amplum discrimen hic esse, inter suam & Calvini sententiam. 1. Quia Calvinus vim omnem activam admit voluntati. 2. Quia vim eligendi, & liberum ipsum arbitrium funditus evertit.

Verum reponunt Orthodoxi, 1. falsum esse Calvinum a voluntate vim omnem

omnem activam exclusisse : expresse siquidem declarat , & voluntatem velle seu agere , & mentem intelligere &c. Vim igitur activam sustulit dumtaxat respectu boni formaliter , non autem materialiter sumpti , ut diximus ; qua ex parte fatemur Jansenii discipulos a sententia Calvini discedere. Duo vero in Calvino damnat Tridentina Synodus sess. 6. Can.

T. 14. Conc. p. 764. E. 4. nempe voluntatem Deo excitanti atque vocanti dissentire non posse , si velit , sed velut in anime quoddam nihil omnino agere , mereque passive se habere . Postrema hæc pars Canonis ad Jansenium quidem nihil attinet : at prior eum perinde , ac Calvinum ferit . Reclamat Janseniani , ac contestantur docere se cum Magistro suo , voluntatem gratiæ moventi , & excitanti dissentire posse si velit : at ludunt illi . Revera potest voluntas dissentire si velit : verum , in eorum systemate , voluntas non potest velle dissentire gratiæ , quia caret opposita delectatione superiore , sine qua voluntas non potest velle : sed de hoc argumento plura inferius . 2. Nusquam negavit Calvinus , quin voluntas a Deo mota , & excitata vim habeat eligendi , si electionis nomine intelligas cum discipulis Jansenii , non quidem activam indifferentiam flectendi se ad partem alterutram ; sed rei propositæ reflexam cognitionem , ac in ea complacentiam . 3. Nusquam pariter liberum arbitrium Calvinus omnino sustulit , si eo nomine voluntarium intelligas , tametsi aliqua necessitate ligatum , sicut , & ipsi intelligent Jansenii sectatores . Fatemur , ait Calvinus l. 5. de libero arbitrio , cor hominis voluntarium , sed reformatum manu Dei . 4. denique , nusquam Calvinus admisit in voluntate coactionem aut necessitatem absolutam , & consequentis ; sed tantum necessitatem secundum quid , &c , ut ajunt , simplicem , & consequentiæ , qualem agnoscent iidem Janseniani .

DE MICHAEL B A J O.

De Bay. Totius causa Bajanæ hæc est historica Synopsis . Michael Bajus anno 1513. nascitur Melini in territorio Athensi apud Belgas .

Anno 1550. Laurea Doctorali donatur in Sacra Facultate Theologica Lovaniensi .

Hessels. Anno 1551. Regius Sacrarum Literarum Professor instituitur a Carolo V. Hispaniarum Rege . Eo in munere nova docere cœpit cum Joanne Hesselio . (1)

Anno 1552. Cum die 20. Aprilis Tridentina Synodus propter bellorum tumultus intermissa fuisset , Ruardus Tapperus , quem Magistrum Bajus habuerat , & Judocus Ravesteyn ex Trid. Concilio Lovanium reduces , Bajo nova disseminanti , & ab antiquis Scholæ Lovaniensis placitis recedenti strenue obstiterunt .

Anno 1560. Exorta inter Minoritas Belgii contentione , circa multos articulos , quos Bajus docere ferebatur , Petrus de Quercu Guardianus Conventus Nivellensis , & Aegidius de Quercato Guardianus Athensis , octodecim ex illis selectos miterunt ad Sacram Facultatem Parisensem , eni-

(1) Errat hic Turnelius a Gerberonio , & Dupnio deceptus . Theologiam quidem docuit Bajus an. 1551. cum Hesselius ad Trid. Concilium profectus esset , sed sacrarum literarum Professor constitutus non est , nisi sequente anno 1552. quo nonis Januarii Hesselius e vita discessit .

enixe rogantes, ut suam de illis aperiret sententiam. Eorum votis annuit sacra Facultas, ac sua censura die 27. Junii an. 1560. articulos illos notavit. Censuram hanc quibusdam notis dispunxit Bajus.

Anno 1561. Multæ Propositiones, quæ dicebantur esse Baji, oblatæ sunt Card. Granvellano, quas cum Bajo tradidisset, iste responcionem suam dicto Cardinali porrexit. Tunc vero jussu Pii IV. S. Pontificibus partibus hinc, & inde non sine animorum æstu dissidentibus ac tumultuantibus, imposito silentio, controversia visa est defervescere ac tranquillitas restitui. Ita significat ipsem Bajus, in sua ad Cardinalem Simonetam Epistola. Quapropter

Anno 1563. ineunte, Michael Bajus a Rege Catholico delegatur Tridentum, ut Concilio interesset, quod eo anno abeunte completum fuit. Narrat Concilii Historicus Palavicinus lib. 15. c. 7. Commendonum Card. Mantuanus Concilii Præsidi ad expendendum proposuisse, an expediret Bajum, & Hesselium mitti ad Concilium. Etenim si permitteretur illis (ajebat) pro sua libidine loqui, posse magnas excitari turbas, præsertim in Germania: si varentur, Protestantes accepturos inde fuisse contumacie sue tegumentum, causatos, nolle se interesse Concilio, in quo doctorum hominum linguis vinculum injiceretur. Addebat: Nolle se infaustum præ sagium de bujusmodi viris præ cinere: compertum tamen sibi esse, Ruardum, in Theologicis disciplinis præclarum, in his duobus adhuc atate juvenili obseruasse infaustum conjunctionem ingenii, & audaciæ, ac dicere solitum, se nonnisi schisma ab illis expectare; atque Theologicam Lauream diu ipsis idcirco distulisse. Eos videri scientiæ sue nimis amantes, quamvis alioqui probos, & modestos. His tamen non obstantibus, censuit Commendonus dandam esse operam, ut Doctor uterque Tridentinum pergeret; ubi Legatorum solertia eos sibi conciliaret. E Concilio Lovanium redux Bajus, nonnulla sua Opuscula typis mandari curavit: inde nova dissidiorum seges.

Anno 1564. Aliqui, non ex Minoritis tantum, sed ex ipsa Lovaniensi Academia, multos articulos ex libris Baji extractos denunciarunt apud S. Pontificem Pium IV. Apostolicæ Sedis judicium circa ipsos rogantes. Interim e vivis excedit Pius IV. cui successit S. Pius V. e familia S. Dominici, ubi per plures annos doctrina S. Thome innutritus, summa cum laude Theologiam docuerat; ad Episcopatum, tum ad Romanam purpuram, ad supremum deinde Pontificatum assumptus.

Circa istud tempus, Academiæ Complutensis, Salmanticensis, & aliæ nonnullæ Italia suis censuris quosdam novæ doctrinæ Baji articulos confixerunt.

Anno 1567. Pius V. Calendis Octobris, data sollemni Constitutione damnavit Propositiones numero septuaginta sex, tacito Baji nomine. Ad preces scilicet Cardin. Granvellani, Censuræ Romanae titulus, quo nomen auctoris, & libri exprimebatur, mutatus fuit, sicut ipse Cardinalis fatetur in Epist. quam die 13. Nov. ejusdem anni scripsit ad Maximilianum Morillonum Præpositum Ariensem, & suum in Archiepiscopatu Mechliniensi Vicarium Generalem. Consultum ea economia fuit, tum leniendo Baii dolori, tum ejus honori ac famæ conservandæ. Propositiones vero illas, in genere tantum seti in globo, & respective damnavit S. Pontifex, tamquam hereticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offendentes. Neque porro aut insolens, aut minus firmus est iste feredæ censuræ modus, ut ex mox dicendis constabit.

*In nova
Operum
Bajie edi-
tione p.*

*2.p.124.
& seq.*

*Historic.
Conc.
Trid. L.*

11.c.7.

T. 2. p.

635.

P. 636.

*In nova
ed. Oper.
Baii 2.
par. p. 62*

Clausulam in sua Constitutione adjecit Pius V. quæ propter unam interpunctionem seu virgulam diversimode collocatam, novis contentionibus ac rixis, Bajique fautoribus occasionem ac praetextum suppeditavit eludendi Apostolicam censuram. Scilicet post enumeratas Propositiones

Recueil des Bulles p. 23. hæc addit S. Pontifex: *Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento hereticas, erroneas, &c. damnamus.* Qui

Bajo farent, virgulam, quæ post verbum istud, possent, collocanda est, transferunt post ista, sensu ab assertoribus intento; nimirum ut istum sensum eliant: *Quamquam nonnullæ (ex notatis Propositionibus) aliquo pacto sustineri possent in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, eas tamen ut hereticas &c. respective damnamus.* Verum momentum istud mox expendemus.

Interim anno 1567. die 29. Dec. Morillonius prædictam Pii V. Bullam legit, ac promulgavit coram stricta Facultate Theologica Lovaniensi ad id specialiter convocata; atque præmissa brevi ad pacem & concordiam inter Doctores foventam adhortatione, duo indixit executioni mandanda: primum, deinceps abstinendum omnino ab omnibus & singulis sententiis in Bulla damnatis, seu voce, seu scripto propugnandis: alterum, interdicendos libros, ex quibus articuli damnati extracti sunt. Bullæ obsequientissimos se fore promiserunt, quotquot cum Decano aderant Doctores Lovanienses; cuius exemplar ad majorem fidem suis faciendam, sibi dari enixe postularunt: interpositis etiam precibus, ne publice interdicerentur libri, ex quibus articuli damnati educti fuerant, cum istud fieri vix posset sine gravi multorum offendiculo, & auctoris Libellorum infamia; unde forsan, majoris discordiæ periculum timeri posset. Repositus Morillonius non posse se exemplar Bullæ, quod postulabant, ipsis concedere, (quod nempe sperabat S. Pontifex rem totam brevi componendam esse, ac sopiaendam) satisque esse, si articulos damnatos, suaque propria manu descriptos acciperent.

In nova ed. Oper. Bajii par. 2. p. 66. & seq. Quantum vero ad interdictionem librorum, dilaturum se, donec secundo iususu differre amplius non posset. Hæc omnia constant ex Instrumento, quod Jansenius Facultatis Decanus, postea Gandavensis Episcopus, coram Notario publico edidit dicta die 29. Dec. an. 1567.

Ibid. p. 147. Ad sedandas vero, quæ inter Minoritas suborta fuerant occasione Doctrinæ Bajii contentiones, idem Morillonius Bullam Pianam vocatis eorum Rectoribus intimavit; qui omnes confessim acquievere: emisso postea in Comitiis Nivellensibus anni 1568. sollempni decreto, quo omnibus & singulis Provinciæ Flandriæ Minoritis Lex imposta fuit, nusquam propugnandi vel unum ex damnatis in Bulla Pii V. articulum.

Ib. p. 71. & seq. Anno 1568. die 20. Junii, Morillonius Card. Granvellano per literas significavit, se Michaelem Bajum magis, quam antea offenditum & exasperatum reperisse, eaque de causa noluisse se urgere ipsum ad ejurandas Propositiones damnatas. Addit nihilominus ibidem, eum sequenti die pacatoris animi fuisse. Inter multa vero, quæ in hac sua prolixâ epist. narrat Morillonius a se dicta vel facta, ut Bajum deliniret, & ad obsequium promptum Apostolicæ Constitutioni exhibendum addiceret, istud prætermitti non debet, Bajum scilicet ignorare non posse, doctrinam suam a Facultate sacra Parisien sū.

sensi, ab omnibus Hispaniæ Academiis, & Romæ a pluribus eruditione conspicuis viris improbatam fuisse; &, quod gravius longe est, ea sic multos e Patribus Tridentinis offensos fuisse, ut nisi obstatisset, & Dominus Irensis, & finis Concilio fuisse impositus, etiam se (Bajo) præsente damnata fuisse.

ib.p.79.

Anno 1569. die 8. Januarii Bajus litteras dedit ad Pium V. quibus exponit, se nullum Bullæ transumptum neque Romæ, neque Lovanii obtinere potuisse; cum interim sententiæ damnatae per inferiorem Germaniam circumferrentur.

Misit insuper doctrinæ suæ Apologiam, in qua duo tentat. Primum; inter sententias damnatas, plurimas sibi falso imputari: alterum, eas ad mentem S. Augustini veras esse. Tum Pontificem enixe rogar, ut hac attentius perlecta doctrinæ suæ Apologia, cogitet, utrum Bullam ut legitimam, & sufficienter discussam haberi velit, an tamquam subreptitiam reseindere.

Bajo rescriptis S. Pontifex die 13. Maii ejusdem anni; declaravitque, Bullam suam non sine matura deliberatione editam fuisse, quemadmodum, & ipsius causæ gravitas, & hominum de Sancta Sede bene meritorum conditio postulabat. Nihilominus se, ut ipse satisficeret, curavisse, ut & Libri, & ipse Propositiones, & scripta Apologetica novo ac maturo examine expendarentur. Quibus expensis, addit S. Pontifex: quæ super hoc ipso jam decreveramus, nisi antea a nobis decreta fuissent, eadem, prout facimus, de integro decernenda, statuendaque esse judicavimus. Itaque tibi, & ceteris prædictarum Propositionum assertoribus ac defensoribus pro earum assertione perpetuum silentium imponimus. Deinde serio Bajum, ejusque patronos admonet, ut quantocius Apostolicæ Constitutioni se subjiciant. Istud Pontificis Breve Morillonius Bajo redidit die 20. Junii ann. 1569. simulque ipsi communicata Granvellani Epistola, Bajus intellexit se apud Pontificem male audire, quod ad ipsum sui apologiam pertinacia vicinam misisset, quapropter veniam postulavit, affirmans se ad obsequendum paratum esse. At Morillonius ab eo sciscitatus, num damnatas Propositiones ejurare vellet, respondit se istud facere non posse, nisi haberet Bullæ transumptum, eo quod in ea diceretur nonnullas Propositiones sustineri posse in rigore, & proprio verborum sensu. Repositus Morillonius, se tale transumptum non posse concedere, ipsique apprime notum esse, quod cum Romam idcirco scripsisset, illud obtinere non potuerit, eo quod sua Sanctitas rem istam silentio sopiri cuperet. Tandem iterum atque iterum pulsatus, num Bullæ S. Pontificis acquiesceret, dixit paratum se esse absolute parere, & Propositiones omnes in Bulla notatas ejurare. Quo dicto genu flexit, ejuravit, & a censura, quam incurrisse dicebatur, absolutus fuit. Hæc omnia narrat testis oculatus Morillonius in litteris, quas die 20. Januarii an. 1569. scripsit ad Granvellanum.

Anno 1570. die 16. Novemb. Morillonius Pii V. Bullam, quam coram stricta dumtaxat Facultate legerat, ritu sollemini in Scholis publicis promulgavit, omnibus consentientibus, ac Bullæ se subjacentibus. Ita ferunt Acta Facultatis Lovaniensis.

Cum vero nonnulli adhuc inquieti caussarentur, Morillonum suo proprio motu sub ementito Episcoporum in Synodo Provinciali Mechliniensi congregatorum nomine, dictam Bullam promulgasse, ac ipsius subscriptionem exegisse; Rythovius Irensis, & Jansenius Gandavensis Antistites, Facultati Theo-

ib.p.118

& 119.

ib.p.185.

Theologicæ, e qua ad Episcopatum assumpti fuerant, per literas die 20.
 & 150. Ib. p. 149. Decemb. ejusdem anni datas significarunt, se revera Morillonio Provin-
 ciam illam demandasse: necdum tamen inter Lovanenses pax omnino
 firmata, nec Bullæ Pianæ auctoritas inconcusa. De illa variis in Con-
 gregationibus Theologicæ Facultatis actum annis 1571. & 1572. ac om-
 nium unanimi suffragio conclusum: 1. Ut omnes articuli in Bulla enu-
 merati pro damnatis haberentur. 2. Libros & Tractatus, in quibus illi
 articuli docentur & asseruntur, esse e manibus studiosorum auferendos:
 alios autem una cum manuscriptis, quæ studiosorum diligentia collecta
 sunt, permitti quidem posse, sed ita ut moneantur studiosi, defensiones
 & assertiones eorumdem articulorum, ubicumque occurrant, else expun-
 gendas & delendas: quod ut fiat diligentius, deputati sunt aliqui ex
 Magistris, ad repurganda scripta D. Hessels. 3. Facultatem acceptare de-
 clarationem, quam ante aliquot dies fecit in Scholis Theologicis D. Mi-
 chael Bajus, se nempe paratum esse judicium Facultatis in ea re subire:
 neque recordari se, quod unquam dixisset, quod opponebatur; nimurum,
 moriendum potius esse pro illis articulis, quam eos damnare. Quod si istud di-
 xisset, respexisse se, ajebat, ad alias dumtaxat partes in nonnullis ar-
 ticulis comprehensas, non vero ad integros articulos. 4. denique, de non-
 nullis articulis modestam & amicam inter Doctores habendam esse col-
 lationem ac disceptationem, ut una eademque sit omnium vox atque
 sententia. Leguntur ista in libro Auctorum Facultatis Theologicæ Lova-
 niensis ab anno 1515. usque ad ann. 1572.

& 187. Ib. p. 186. Anno 1579. inchoante, cum Gregorius XIII. Pii V. successor intellexis-
 set (referente Urbano VIII. in Bulla *In eminenti* anno 1641.) non sine ani-
 mi dolore, non deesse inter Theologos, non modo studiosos, sed & Pro-
 fessores, qui articulos Constitutione Pii V. damnatos asserere, & pertinaci-
 ter defendere pergerent; imo non paucis persuasum esse, præfatam Bullam
 etiam ab ipsa Sede Apostolica aliquando retractandam ac revocandam fore;
 ad coercenda hujusmodi ingenia, simulque ad eximendam vanam illam isto-
 rum futuræ aliquando retractationis spem ac expectationem, præfatam Bul-
 lam sua quoque auctoritate confirmavit, articulosque ibidem comprehensos
 iterato damnavit; missò Lovanium Franciso Toleto e Soc. Jesu, quem a
 sacris habebat Concionibus, postea Cardinale, qui Bullam deferret, pro-
 mulgaret & ab omnibus, ea, qua par est, reverentia, recipi curaret.

Anno itaque 1580. die 21. Martii, in frequentissimo totius Academiae
 confessu, jussit Bullam clara & intelligibili voce per Conradum Sylvium
 Universitatis Notarium recitari. Qua lecta, Toletus convertit se ad D. Mi-

Recueil des Bull chaelm de Bay Universitatis Cancellarium, petiitque ex eo, an ne agnosceret
 p. 30. in Bulla multos articulos damnari, qui in Libellis quibusdam ejus prius editis con-
 tenerentur, etiam in eo sensu, quo in Bulla damnarentur? Quo agnoscente, & re-
 spondente quod sic: rogavit deinceps: An ne eosdem, & reliquos ibi comprehensos,
 & lectos damnaret? Tum ille: Damno, inquit, secundum Bullæ ipsius intentio-
 nem, & sicut Bulla damnat. Dehinc idem Toletus ad reliquos Doctores Theologie
 conversus, interrogavit: An ne eosdem articulos omnes damnarent, & Bullam re-
 verenter susciperent? Qui omnes uno ore responderunt, se eos articulos damnare,
 & Bullam religiose habituros, atque observaturos. Eadem fuit vox omnium Licen-
 tiatorum, Baccalaureorum, & studiosorum; omnesque consona voce conclamarunt:

Articulos damnamus, Bullam reverenter suscipimus, atque obedientiam pollicemur. Tandem his feliciter consecatis, privatis suis cum Bajo colloquiis eum adduxit, ut scripto publico dato die 24. Martii an. 1580. ac propria manu subscripto agnoverit ac declaraverit, se plene persuasum habere earum omnium sententiarum damnationem atque prohibitionem jure meritoque, ac non nisi maturo judicio, ac diligentissima discussione præmissis factam atque decretam esse. Fateri insuper plurimas ex iisdem sententiis in nonnullis Libellis a se olim & ante emanatam Sedis Apostolicæ super eis censuram, conscriptis, & in lucem editis contineri, & defendi, etiam in eo sensu, in quo reprobatur. Denique se in præsentiarum ab iis omnibus recedere, & damnationi a Sancta Sede factæ acquiescere, neque post-hac ullam earum docere, aut defendere velle. Sunt ipsamet Baji verba, in eo, quod subscripsit, publico Instrumento. Hæc porro omnia ex Actis Facultatis Theologicæ Lovaniensis referuntur in nova editione Operum Baji parte 2. pag. 88. & 189.

Observa hic obiter ista Baji verba, olim, & ante Constitutionem &c. male in nonnullis Libellis Gallice redditâ fuisse per ista, devant, & après; quasi, & ante, & post Constitutionem Apostolicam Bajus in suis scriptis editis eas Propositiones defenderit: quem profecto sensum non redunt ista, olim, & ante.

Ad Summum Pontificem Gregorium scripsit Bajus, cui Summus Pontifex rescripsit die 5. Junii ejusdem anni 1580. Breve testimoiiis benevolentia, ac paterni effectus plenum.

Anno 1585. Lovaniensis Academia, promovente Vercellensi Episcopo ac Nuntio Apostolico, iussa est non solum a damnatis articulis abstinere, sed etiam sententias singulis quoad doctrinam contradictorias definire; quarum indicem contexuit D. Lensæus, ceterique Doctores una cum Bajo probaverunt, ut constat ex Actis ejusdem Facultatis ibidem relatis pag. 153.

Anno 1589. die 16. Septemb. moritur Bajus annos natus 77. Post ejus mortem non defuere identidem, in Belgio præsertim, qui doctrinam ejus revocare ac renovare tentarent, quos profecto Constitutionum Apostolicarum adversus Baji doctrinam reverentia & auctoritas retinere in officio debuisset. Juvat ergo, & officii nostri ratio postulat, ut salvis ac in tuto positis Regni & Ecclesiæ Gallicanæ juribus, Constitutiones illas a vanis obtrectatorum illorum conatibus vindicemus.

Bullæ Summorum Pontificum in cauſa Baji.

Prima est Pii V. anno 1567. Secunda Gregorii XIII. qui priorem confirmat, & executioni mandari jubet an. 1579. Tertia Urbani VIII. anno 1641. qui Pianam, & Gregorianam auctoritate sua rursus confirmat & approbat, *Librumque Jansenii, cui titulus, Aug. articulos, opiniones, & sententias in dictis Constitutionibus reprobatas atque damnatas continentem, ac renovantem damnat & prohibet.*

Jansenius l. 3. de statu puræ naturæ cap. 22. ad Bullas Pii V. & Gregorii XIII. quas sibi objicit, hæret attonitus. *Hæro, fateor, inquit, sed quid ad doctrinam S. Augustini?* Obvia erat, & prompta responsio: Scilicet, doctrina Baji a Sede Apostolica proscripta fuit; econtra, doctrina S. Augustini ab eadem Sede approbata semper fuit multisque encomiis exornata. Ergo doctrina Baji non est Augustini doctrina. Sic discurrere

Baji retractatio

Op. Baji
p. 2. pag.
152.

Et Re-
cueil des
Bulles p.
27.

ac

ac concludere debuisset Jansenius, maxime cum initio citati mox capitulo dixisset. *Vim totam bujus argumenti (nempe contra impossibilem purae naturae statum) ex Apostolicæ Sedis auctoritate peti, quæ Catholicis omnibus tamquam obedientie filiis veneranda est: aliunde vero ipsem alibi doceat, S. Pontificem de fide ac moribus ex Cathedra prouuntiantem, aberrare non posse.*
Ib. p. 402. col. 2. C.

Hæc profecto vera cauſa est, cur Jansenius secum ipſe pugnans, anxius, & attonitus statim hæserit. Sed ut erat erroribus Baji impensè adictus; collectis animis, & audacior factus, de eludendis Apostolicis Constitutionibus unice cogitavit, eas ad sensus alienos, & distortos infleſtendo. Magistrum discipuli sequuntur. Nihil ab ipsis prætermisum, ut censuræ Romanæ jugum eliderent, & excuterent. Effugia fere omnia, quæ apud ipsos haec tenus in usu fuere, collegit; & adoptavit scriptor recentior Operis; cui titulus: *Ethica amoris, sive Theologia sanctorum*, Leodii tom. I. prolegom. 6. parag. 7. At nullibi minori cum reverentia, ne dicam audacia majori exagerrantur, quam in Libello Gallico, qui prodidit an. 1722. sub isto titulo: *Sentimens des Facultes de Theologie de Paris, de Reims, & de Nantes, sur une These soutenue a Notre-Dame des Ardilliers, & condamnée par un Mandement de M. l'Éveque d'Angers, du 30. Septembre 1718.* Quam inconsiderate ac inverecunde Libelli auctor Apostolicas Constitutiones contra Bajum discepit ac dilaniat! Si ipsi fides, Bulla Pii V. immerito Sanctæ Sedi tribuitur; subreptitia enim est, multis titulis abusiva, informis, inutilis; imo magis fidelibus noxia, ob illam indistinctam, & non distributam multorum articulorum censuram; præter debitam ac consuetam formam lata; Romæ nec affixa, nec publicata, nusquam recepta, imo nec a Gregorio XIII. vere confirmata.

Si audiatur Bulla Urbani VIII. infinitis seatet abusibus a moribus nostris Gallicanis plurimum alienis. Nullius est apud nos momenti, ac ponderis: nusquam promulgata, nusquam recepta. Hæc summatim hic referimus, paullo umerius subinde disentienda.

Verum prius generatim asserenda est dictarum Bullarum, quantum ad doctrinam proscriptam, auctoritas. Qua una semel demonstrata, velut ieiū fulmineo attrita concident, quæcumque in citato Libello probra converguntur.

Auctoritas Bullarum adversus Bajum.

Cum auctoritatem illarum Bullarum vindicandam hic aggredimur, ad unam dumtaxat doctrinam his Constitutionibus Apostolicis, & Episcoporum judicio pariter damnatam attendimus; non ad formam, seu modum damnationis, aliaque externa, & ascititia, quæ moribus nostris Gallicanis non satis congruunt, quibus sepositis ac præcisis, in sola doctrina, quam auctoritas Apostolica proscriptit, oculos desigimus: quæ quidem auctoritas, ait Jansenius paullo ante citatus, *Catholicis omnibus tamquam obedientie filiis veneranda est.*

Auctoritatem porro illarum Bullarum, quantum ad proscriptam Baji doctrinam, invicte demonstrat, & adstruit communis ille Episcoporum, Pastorum, Academiarum, ac Doctorum Scholæ consensus, ac conspiratio in proscribenda Baji doctrina, quam Sedes Apostolica proscriperat; ex quo enim prodire dictæ Constitutiones, vix ullus fuit Episcopus, ac Scholæ Magister,

ster, qui pro data occasione eas in argumentum, & probationem non adduxerit, nullis reclamantibus, nisi Baji, & Jansenii discipulis.

Omissis hic exteris exemplis, in una Gallia hærebimus, ubi multa nobis occurunt insignia in rem nostram argumenta.

I. Bulla Urbani VIII. qua Piana, & Gregoriana confirmantur, transmissa est ad sacram Facultatem Parisiensem die 2. Januarii ann. 1644. una cum Literis Regiis, parvi, ut vocant, sigilli, ac decreto Archiepiscopi Parisiensis an. 1643. in Praeconiis Parochiarum publicato, circa recipiendas quo ad doctrinam, dictas Constitutiones. Sacra vero Facultas auditis, quos ad hoc discutiendum negotium pro more deputaverat, Magistris, sic censuit die 15. ejusdem mensis, *Negotium illud esse differendum; prohibuit tamen tam Doctoribus, quam Baccalaureis, ne probent, vel sustineant predictas Propositiones, per Bullas Pii V. Greg. XIII. & Urbani VIII. summorum Pontificum prohibitas.* Duo hic manifeste distinguit sacra Facultas; doctrinam damnatam, & modum, quo damnata est, aliasque clausulas in dictis Bullis contentas. Quoad doctrinam, censet nemini post damnationem fas esse illam tueri, ac propugnare; & ea ex parte dictis Bullis aquiescit. Quantum vero ad alias clausulas, nempe prohibitionem disputationum de gratia, censuras, & alia hujusmodi, censet procrastinandum, donec plenius mens Summi Pontificis intelligatur. Quam quidem cautam, ac prudentem Facultatis agendi rationem laudavit, ac probavit Eminent. Card. Hieronymus Grimaldi tunc temporis Nuntius Apostolicus in Gallia, in Responso, quod dedit ad dictos Doctores Parisienses. At, inquit auctor memorati Libelli, (pag. 264.) Facultas Parisiensis hoc unum cavet, ne Propositiones censura notatae, iisdem verbis, ac terminis sustineantur. Ergo licebit aliis verbis errorem tueri? De solis ergo verbis erat controversia? Quid, quæso, absurdius? quid in religione periculosius? *Nec putemus* T. 4. p. dicebat S. Hieronymus Comment. in caput 1. Epist. ad Galat. 1. p. 230*in verbis scripturarum esse Evangelium, sed in sensu; non in superficie, sed in medulla; non in sermonum foliis, sed in radice rationis.* Et Sanctus Hilarius Libro secundo de Trinitate n. 3. *De intelligentia*, inquit, *hæresis, non de scriptura est: & sensus, non sermo fit crimen.* Exemplum Archiepiscopi Parisiensis imitatus Illustrissimus Episcopus Sveffionensis ann. 1650. die 4. Febr. Bullam Urbani VIII. a suis ea, qua par est, reverentia, recipi curavit.

II. In famosa Epistola, quam an. 1651. octoginta quinque Gallicani Præfules ad Innocentium X. dedere, quinque Jansenii Propositiones ipsi denunciantes, ejusque circa illas judicium enixe rogantes, Bullæ Urbani VIII. mentionem faciunt; ajunque motus in Ecclesia Gallicana occasione Libri posthumi Cornelii Jansenii Ypresensis Episcopi excitatos *sedari oportuisse tum Concilii Tridentini auctoritate, tum Bullæ illius, qua Urbanus VIII. felicis memoriae adversus Jansenii dogmata pronunciavit, & decreta Pii V. ac Gregorii XIII. in Bajum edita confirmavit.* Cujus quidem Bullæ veritatem, ac robur novo diplomate *vindicasti.*

Duo hic insigniter falsa obtendunt Janseniani.

I. Sensum Epistolæ mox laudatae adulterant, apposita particula negante, non. Ut sensus sit, motus in Gallia excitates non potuisse sedari auctoritate Bullæ Urbani: at manifesta est textus corruptela. Affir-

Tournely de Gratia. Tom. III. Pars I.

K

mant

Recueil des Bulles p. 74.

mant etenim econtra Episcopi nostri, tales motus sedari oportuisse auctoritate tum Concilii Tridentini, tum Bullæ Urbani.

II. Contendunt Episcopos illos violasse libertates Ecclesiae nostræ Gallicanæ, cum ad Romanum Pontificem quinque Jansenii Propositiones immediate detulerunt, ac lato judicio acquieverunt. Verum hec ipsissima est doctrina, & Propositio, quam Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus anni 1700. damnavit, gravique censura confixit. En propositio: *Epi-*
scopi Gallicani libertates Ecclesiae Gallicanæ, sub earum afferendarum specie,
labefactarunt, super recipienda Constitutione Innocentii X. contra Jansenium.
haec propositio, ait Censura Cleri Gallicani, falsa est, temeraria, scandala-
sa, contumeliosa in Clerum Gallicanum, sumnos Pontifices, & in universam
Ecclesiam, schismatica, & erroribus condemnatis favens.

Recueil des Bulles 5. ed. an. 1710. p. 650. III. Anno 1710. die 10. Martii Eminent. Cardinalis Noallius Archiep. Parisiensis, sex Archiepiscopi, & quinque Episcopi declararunt, nullam conditionem necessariam deesse Constitutionibus adversus Jansenium latas, ut totam obligent Ecclesiam; idemque prorsus sentiendum de Bullis aduersus Bajum, Molinosum, & Librum cui titulus: *Maxime de Saints.* Cenfebant ergo Illustrissimi Praefules, Bullas aduersus Bajum, quantum ad doctrinam, vim & robur apud nos obtinere. Inde est, quod an. 1711. die 28. Aprilis idem Eminentiss. Cardinalius Noallius ea maxime de caussa prohibeat a suis legi, ac retineri quædam Mandata sub nomine Illustrissimorum Episcoporum Lucionensis, & Rupellensis evulgata, quod ipsi visa fuissent 26. & 28. Baji Propositiones a SS. Pontificibus damnatas renovare.

Pag. 63. IV. Anno 1714. quadraginta Praefules Gallicani, quos inter eminebant duo sacri Collegii Cardinales de Rohan, & de Bissy, eruditione non minus, quam dignitate inter ceteros conspicui, in eximio illo documento Pastorali, quod occasione Constitutionis Clementis XI. quæ incipit ab his verbis: *Unigenitus Dei Filius:* adornarunt, censuram Propositionum Quesnelii confirmant ex iterata sapienti similium Baji Propositionum damnatione, *Propositions*, inquiunt, *autrefois enseignes par Michel Bajus, & plusieurs fois condamnees par les Souverains Pontifes.*

de l' Assemblee de 1713. & 1714. An vero tot illustrissimi Praefules velut rei violatarum nostrarum libertatum traducendi erunt, quod Bullas aduersus doctrinam Bajii latas appellant, in quibus nonnullæ clausulæ occurrunt usibus nostris contraria? Ad unam scilicet doctrinam illi attendunt, quam reprobant, non vero ad clausulas illas externas, quæ ex stylo Romanæ Curia Apostolicis Decretis, ut plurimum inseruntur: quarum, ex publico veluti condicto, nullam apud nos haberi rationem ignorat nemo, etiam cum dogma his Decretis definitum, Episcoporum judicio, ac consensu approbatum: maxime si Regia non obstet auctoritas; multo magis cum accedit ad tutelam & defensionem doctrinæ definitæ.

Dictam distinctionem manifeste usurpavit sacra Facultas Parisiensis occasione Propositionum Baji, quarum damnationem renovat ac confirmat Bulla Urbanii VIII.

Eamdem adhibuit Ecclesia Galicana anno 1699. occasione Constitutionis in forma Brevis Innocentii XII. S. Pontificis aduersum Librum: cui Gallice titulus, *Maximes des Saints.* In ea scilicet Constitutione, clausula, *motu proprio*, usurpatum, quam Gallicani Episcopi non admittunt; & alia nonnullæ

nullæ clausulæ desiderantur, quas illi appositas fuisse exoptassent. His tamen non obstantibus dicta Constitutio summo plausu, & maxima cum veneratione ab Episcopis Gallicanis in Conciliis Provincialibus congregatis recepta fuit, & approbata: nempe quantum ad doctrinam & Libri censuram, non vero quantum ad alia, quæ moribus nostris non consentiunt. Apposite omnino Eminent. Cardinalis Noallius in Conventu Parisiensi die 13. Maji anni 1699. dictæ Constitutionis occasione observat, amplum statui debere discrimen inter judicia, quæ circa Fidem feruntur, & Statuta seu Canones disciplinæ. In istis formæ, qua res ipsa servatur, tenacius adhærendum; in aliis vero, quæ fidem omnibus communem spectant, rei substantiam, idest doctrinam, quæ ex Scripturis, ac Traditione certa est, formæ preponderare debere, eamque ad se se trahere.

Recueil
de Cam-
bray p.
57.

Vel ipsi Janseniani distinctionem illam inviti admittere tenentur. Quippe cum an. 1679. Inn. XI. S. P. sexaginta, & quinque morales Propositiones, ea forma, & in eo Tribunali condemnasset, cuius nulla est apud nos auctoritas, atque Decreto Senatus Parisiensis die 5. Maji an. 1679. cautum esset, ne quis hujusmodi censuras ex Tribunali Inquisitionis manentes, imprimiceret, aut divenderet, nihilominus tamen ipsimet Janseniani, seposita haud dubie Decreti forma, ejus substantiam, seu doctrinam, velut morum regulam sequendam esse acclamarunt, propositis etiam, & simul cum Decreto editis quibusdam regulis generalibus ad confirmandam dicti Decreti utilitatem.

Verum, quod amplius est, ac majoris longe ponderis, Episcopi Galliani in Comitiis generalibus anni 1700. neglecta, & postposita hujuscem Decreti, sicut & alterius Alexandri VIII. an. 1665. forma, quam exoptassent usurpatam non fuisse, doctrinam tamen approbant, & suam faciunt. Usu enim ajunt Praefules Gallicani in sua censura anni 1700. Sanctissimi Pontifices decretorum formulæ antiquo, & nostro usu receptis, quæque ad universas Ecclesiæ pertinerent, infandam doctrinam proscriptissent: sed dum expectamus, fore ut tantum opus, more majorum, & Canonico ordine perficiant, nos interim ... has Propositiones a prædictis Pontificibus, uti memoravimus, applaudente toto orbe Christiano condemnatas ... suis quasque censuris configendas esse duximus. Ergo Decreti Apostolici doctrina potest approbari, non approbata forma, qua latum est Decretum. Ergo in vanum auctor memorati Libelli, ut elevet auctoritatem Bullarum adversus Bajum, clausulas in illis contentas, & a moribus nostris alienas colligit, & exaggerat: his enim sepositis, & non admissis, stat integra dictarum Bullarum vis, & auctoritas quantum ad doctrinam in Bajo proscriptam. Hinc est, quod Regia auctoritate, vel non intercedente, vel etiam consentiente, nonnulla Romana Curiæ Decreta obtinuerint apud nos, qua, si una formalium ratio habita fuisset, haud dubie non obtinuissent. Verum prævaluuit doctrinæ his Decretis sanctitæ consideratio.

Censura
Cleri
Gallica-
ni an.
1700.
p. 7.

Ita anno 1614. Clerus Gallicanus ratum habuit ac recepit Decretum Romanum latum an. 1613. adversus Librum Becani circa Regum auctoritatem; ac tanti illud fecit, ut ad Proceres tertii ordinis transmiserit, quo intelligerent, quantum abhorreat Ecclesia Romana a detestanda & horrenda eorum doctrina, qui Reges interfici posse opinantur. Quin, & Magister Filescus Doctor & Syndicus sacrae Facultatis Parisiensis, die ultima Decemb. anni

Procès
verbal
de 1614.
p. 1615.
p. 196.
& 201.

1614. plenis Cleri Gallicani Comitiis declaravit, ac contestatus est, universam Academiam censuræ Apostolicae lubenter, & ex animo acquievisse.

Anno 1641. Clerus Gallicanus proscriptos a Sancta Sede tres Libros Patrix Xauny, pariter proscriptis, ac damnavit.

Anno 1645. Decretum seu Censuram Romanam adversus Librum Patris Rabardeau pariter approbat Clerus Gallicanus, data ad absentes Episcopos Epistola, qua rogantur, ut curent censuram illam apud suos evulgari.

Procès verbal de 1641. Anno 1655, die 11. Septembris, Praesules Gallicani etiam approbarunt censuram Romæ latam anno 1654, die 13. Aprilis adversus multos Libellos in favorem, ac defensionem Jansenianæ doctrinae evulgatos ; attigit. que Preve S. Pontificis, in quo hujuscce censuræ mentio habebatur, cum Proces reverentia suscepit.

verbal de 1645. Anno 1656. Sanctioris Concilii Decreto jussit Rex Christianissimus, ut Decretum Innocentii X. in gratiam Regularium pro excipiendis tem-
Relation des deli- pore Paschali Confessionibus, executioni mandaretur.

berations, p. 21. 80. Denique anno 1659. Decretum Romanum latum occasione dissidii, quod erat inter Episcopum Andegravensem ex una parte, & Religio-
& 81. Memori- sos mendicantes ex altera, Andegavi typis editum, ac promulgatum res du fuit, ac famoso sanctioris Concilii Decreto confirmatum in gratiam di-
Clerge. Episcopi Andegavensis contra Religiosos mendicantes.

Qui Documenta Cleri Gallicani sub titulo : *Memoires du Clege &c.* denovo collegit, Tom. I. transcrit de verbo ad verbum Decreta sancti, ut vocant, Officii, adversus Libros P. Bauni, Barbosæ, Cellotii, & Rabardeau.

Stat igitur firmum, & inconcussum argumentum, quod initio duximus ex communī, tum Episcoporum, tum omnium Doctorum Scholæ suffragio, pro vindicanda quoā doctrinam, auctoritate Bullarum adversus Bajum.

P. 249. Non ita est, reponit auctor citati Libelli, quam multa enim sunt, qua
& 253. longa annorum serie ab omnibus probata, & recepta fuere tamquam vera, & genuina, que tamen subinde falsa esse, ac spuria demonstratum fuit ? quales sunt v. g. Summorum Pontificum ante Siricium Decretales Epistole, qua per octo fere secula vim, & auctoritatem in Ecclesia habuere; quales, & Libri, qui sub nomine S. Dionisi circumferuntur, qui a Criticis peritis inter suppositios factus jam amendantur. Tale denique est Eugenii IV. S. Pontificis Decretum, sed Instructio ad Armenos data, sive illa sit ipsius Concilii Florentini, sive solius Eugenii, (perinde enim est ad rem præsentem) quod etsi magno in loco semper apud Theologos fuerit, attamen ex illis bene multi religioni non ducunt discedere a doctrina hujuscce Decreti circa materiam Sacramentorum Confirmationis, & Ordinationis, quam non reponunt, sicut Eugenio placet, aut in unctione, aut in porrectione instrumentorum. Melior autem in mente auctoris non est conditio Bullæ Urbani, quam Decreti Eugenii.

Mirum profecto est auctorem hunc non vidisse, aut dissimulasse, quan-
tum exempla hæc a re nostra præsenti remota sint, & aliena ! In primo, & secundo, quæstio non vertitur de auctoritate, sed tantum de veritate Decretalium ante Siricium, & Librorum S. Dionysii. Reipsa quidem quamdiu persuasio invaluit Opera illa genuina esse, suam obtinuere au-
toritatem, a qua exciderunt, ubi primum eorum falsitas, ac suppositio certis argumentis fuit demonstrata.

Sensu non absimili S. Augustini L. 2. de Baptismo contra Donatistas

c.3. n.4. dicebat : Concilia plenaria s^ep^e priora posterioribus emendari : cum Tom. 9. aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur, quod p. 98. C. latebat. Porro hic non agitur, an veræ sint Bullæ adversus Bajum latæ, nemo quippe eas in dubium revocat; sed an vim, & auctoritatem habeant. Negant Baji, & Jansenii defensores; affirmant vero Catholici. Quod vero auctor repetit ab exemplo Decreti Eugenii, longe magis nobis favet, quam noceat. Nusquam enim definivit S. Pontifex, Unctionem in Confirmatione, & porrectionem instrumentorum in Ordinatione, esse materiam essentialiem, aut solam, aut etiam partialem; sed hoc unum dumtaxat; utramque materiam, sive essentialis illa sit, sive integrans tantum, aut accidentalis, (quod quidem Pontifex Decreto suo non determinat) necessario usurpandam esse juxta ritum Ecclesiæ Romanæ. Sicut ergo nullus est Orthodoxus Theologus, qui negare istud merito posset; ita nec inficiari, damnatas merito, ac damnandas esse Propositiones Baji, quas damnarunt S. Pius V. Greg. XIII. & Urbanus VIII. quod unum demonstrandum nobis proposuimus. Supereft, ut jam expendamus, ac diluamus alia momenta, quibus Baji, ac Jansenii discipuli illarum Constitutionum auctoritatem deprimere, ac eludere conantur.

Expenduntur, ac diluuntur alia momenta, quibus Baji, & Jansenii discipuli, Bullarum S. Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. auctoritatem depri- mere, ac eludere conantur.

Majoris claritatis cau^sa, momenta hæc generatim revocamus, vel ad materiam, vel ad formam dictarum Bullarum.

Materiam appellamus ipsas metu Baji Propositiones, quas contendunt 1. in rigore, ac proprio verborum sensu ab auctoribus intento sustineri posse, iuxta clausulam, quam ipse S. Pius V. suæ Bullæ apposuit: ubi de famosa com-matis, seu virgulæ transpositione. 2. Aliquas esse inter illas, quas nonnulli ex nostris, Vasquez, Toletus, Bellarminus assertunt damnatas dumtaxat propter acerbitatem censuræ, qua Bajus contrariam sententiam notabat, non vero propter errorem, aut falsitatem. 3. Aliquas ex illis, eas pre-sertim, quæ impossibilem spectant puræ naturæ statum, merito quidem da-mnatas; sed eo sensu, qui ad Bajum & Jansenium nihil pertineat.

En fere omnia capita, quæ spectant materiam Bullarum seu Constitutionum, quæ adversus Baji doctrinam latæ sunt.

Formam vero appellamus, tum modum, quo Propositiones Baji pro-scriptæ sunt, in globo scilicet, ac generatim, nulla singulis Propositionib^{us} distributa censura; tum varios abusus seu defectus, quibus Bullas ipsas obnoxias esse prætendunt.

Momenta ex parte materiæ Bullarum aduersus Bajum.

Primum dicitur ab ista clausula, quam S. Pius V. post enumeratas, & damnatas Baji Propositiones adjecit: *Quas quidem sententias*, ait S. Pontifex, *stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore, ac proprio verborum sensu ab auctoribus in-tento, hereticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & impias au-res offensionem immittentes respective . . . damnamus.* Quæstio est de com-mate, seu virgula, ubi scilicet collocanda sit. An post verbum iudit, possent, ut sensus sit: *Quamquam nonnullæ aliquo pacto seu sensu susti-*

neri possent, eas tamen in rigore & proprio sensu verborum ab auctoribus intento, damnamus. An vero post verba ista, *sensu ab assertoribus intento*, ut sensus sit: Quamquam earum Propositionum nonnulla sustineri possent in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, eas nihilominus haereticas, &c. damnamus. Sic legunt Janseniani transposito comitate, post ista verba, *sensu ab assertoribus intento*. Nempe ut a Propositionibus Baji latam censuram avertant, innuentes eas in rigore, ac proprio verborum sensu a Bajo, & aliis intento, sustineri posse.

Si ita est, ut fingunt illi, ergo S. Pontifex 1. damnavit Propositiones, quas ipsemet fatetur sustineri posse. Quid vero absurdius, & S. Pontifici injuriosum magis fingi potest? 2. Ergo S. Pontifex Propositiones illas non damnavit in proprio verborum sensu ab auctoribus intento, sed alieno, & extraneo, qui nihil ad Bajum pertinebat. Attamen ipse Bajus suas esse Propositiones agnovit, & ad meliorem mentem reversus, earum censuræ tandem se subjecit. 3. denique, hic est Ecclesiæ usus, hæc praxis, a qua procul dubio S. Pius V. non recessit, ut cum aliquas Libri, vel auctoris Propositiones condemnat, eas in se ipsis absolute non consideret, sed relative ad mentem auctoris, & sensum Libri. Quia nempe in se ipsis spectatæ nullam aliquando videntur mereri censuram, sed tantum respective ad mentem & sensum auctoris.

Hac una observatione totum de transpositione virgulæ dissidium componi deberet, qua manifeste ostenditur, dictam virgulam collocari aliter non posse, quam immediate post verbum, *possent*: alias Romana censura inepta foret, & contra communem ac receptum usum Ecclesiæ in proscribendis ad sensum auctoris Propositionibus.

Quamquam qui Baji Propositiones tuentur, nihil in rei veritate solatiæ consequi possunt ex dicta clausula Bullæ S. Pii V. inserta; atque æ qualiter premuntur, & causa sua cadunt, ubicumque tandem virgulam collocare placuerit, sive immediate post verbum, *possent*, sive post ista, *in sensu ab assertoribus intento*. Si prius; Propositiones Baji damnatae sunt in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, tametsi aliunde rectum aliquem sensum admittere possent. Si posterius; non obstante recto illo sensu, quo donari illæ possent etiam ad mentem auctorum, nihilominus damnatae fuerunt ob pravum alium, quem habent, sensum. Ergo quocumque se convertant adversarii, Propositiones in Bulla S. Pii V. notatas vindicare, & a censura eximere merito non possunt.

Solvuntur moventia Hærere hic possemus, & supersedere ab ulteriori examine momentorum, quibus Baji discipuli famosa virgulæ transpositionem post verba ista, *sensu ab pro transposito assertoribus intento*, probare conantur. Sed nec examen illud detrectandum. *positione* Probant itaque 1. ex Epistola Morillonii ad Cardinalem Granvellanum virgulæ data die 20. Jun. an. 1569. ubi narrat, Bajum, cum urgeretur, ut Apologia: *sensu stolicæ* censuræ se subjiceret, reposuisse, se id non posse, nisi prius diplo ab assertoribus exemplar vidisset, in quo clausula hæc legebatur, *Nonnullas Propositiones defendi posse in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento*. 1. Probatio. Ad quam Baji expostulationem, inquit, nihil reposuit Morillonius; silentio suo satis comprobans dictæ clausulæ veritatem.

Resp. 1. Bajum reipsa tentasse aliquando censuræ Romanæ doctrinam suam subducere; cui tandem se subjecit publico Instrumento dato die 20.

Martii an. 1580. declaravitque earum omnium sententiarum damnationem, at-
que probationem jure meritoque, ac nonnisi maturo iudicio, ac diligentissima
discussione præmissis, factam & decretam esse. Fatetur insuper, plurimas
ex iisdem sententiis, in nonnullis Libellis a se olim, & ante emanatam
Sedis Apostolicæ super eis censuram, conscriptis, & in lucem editis con-
tineri & defendi, etiam in eo sensu, in quo reprobantur. 2. Mirum
videri non debet, Morillonum ad postulationem Baji nihil reposuisse:
in mandatis enim habebat, Bullæ exemplar non communicare ad gra-
viora jurgia præcavenda. Hoc unum quippe in votis habebat S. Ponti-
fex, ut totum istud dissidium in ortu suo præfocaret, ne forte in majus
incendium exardesceret. *Le voulloit de sa Sainteté*, ait Morillonius ibi-
dem, *etoit de mettre tout sous les pieds*. Nunquam vero passus ille est quo-
cumque prætextu dictas Propositiones defendi.

Probant 2. ex Epistola Card. Granvellani ad Morillonum data die 13. 2. Pro-
Nov. an. 1587. in qua fatetur aliquas ex damnatis Propositionibus in ri-
gore aliquo sensu exponi posse. *ib. p. 62.*

Resp. ita quidem scripsisse Granvellanum. Sed quid inde? nihil prorsus
quod adversariis faveat. Neque enim dictus Cardinalis ait, eas Proposi-
tiones in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, de-
fendi posse, quod prætendent Baji defensores; sed hoc unum, aliquo sen-
su defendi eas posse: nempe si in se, & absolute spectarentur, nulla
ratione habita sensus auctoris; istud vero negamus.

Probant 3. ex decreto sacrae Facultatis Lovaniensis circa Bullam S. Pii
V. a Morillonio intimatam die 29. Dec. an. 1567. ubi dicitur: *Comparuit batio.*
Maximilianus Morillonius . . . qui exposuit se accepisse Bullas Apostolicas . . . *ib. p. 66.*
quibus certæ sententiæ . . . damnantur respective tamquam erroneæ . . .
quamquam earum nonnullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore, & proprio
verborum sensu ab assertoribus intento.

Resp. Esto nonnulli Doctores Lovanienses, qui Bajo erant additi, in
ea tunc fuerint opinione, quæ & ipsius Baji erat, Bullam S. Pontificis
sic intelligi posse, ut nonnullæ ex Propositionibus damnatis, in rigore,
& proprio verborum sensu ab assertoribus intento, defendi possent: esto
id prudenter tunc dissimulandum censuerit Morillonius, ut rem, quam
volebat, citius ac securius perficeret; certum istud est, & extra omne
dubium, tum Bajum, tum universam Academiam Lovaniensem ab hac sua
priori sententia recessisse, cum Franciscus Toletus plenis ejusdem Faculta-
tis Comitiis Bullam Gregorii XIII. qua Piana probatur & confirmatur,
legit ac promulgavit die 16. Maii an. 1520. Qua lecta, ajunt Commen-
tarii Universitatis Lovaniensis pag. 367. & 369. *Dictus Toletus convertit se*
ad Michaelm de Bay, petiitque ex eo, anne agnosceret damnari in Bullam mul- *Recueil des Bul-*
tos articulos, qui in aliquot ejus Libellis continerentur, etiam in eo sensu, quo les p. 29.
in Bulla damnarentur? Quo agnoscente, & credente quod sic; rogavit eum *30. e-*
deinceps, Anne eosdem & reliquos ibi comprehensos, & lectos damnaret? Tum *dit. 5. n.*
ille, Damno, inquit, secundum Bullæ ipsius intentionem, & sicuti Bulla dam- *1710.*
nat. Dehinc præfatus D. Franciscus ad reliquos Doctores Theologos conver-
sus, interrogavit, Anne eosdem articulos omnes damnarent, & Bullam reve-
renter susciperent; Qui omnes uno ore responderunt, se eos articulos damnare,
& Bullam religiose habituros. Et anno 1585. promovente Vercellensi Epi-

scopo Nuncio Apostolico justa est Facultas Theologica Lovaniensis, non solum a damnatis articulis abstinere, sed etiam sententias singulæ quoad doctrinam contradictorias definire.

4. Probant 4. ex Cuneris Petri, qui unus fuit ex æmulis Baji, Opusculo ad Pontificii Diplomatis defensionem anno 1571. elaborato, in cuius præfatione, Op. Baji part. 2. p. 236. quam collector Operum Baji legisse se testatur, dicta clausula Bullæ Pianæ legitur, adjecto commate post ista verba, *sensu ab assertoribus intento*. Hoc ipsum, & ex Literis cuiusdam Licentiati Lovaniensis ad Episcopum Sijlve Duacensem datis an. 1580. probat idem Operum Baji editor, & collector Gerberonius. Ibid.

Resp. inter edita Cuneris Petri Opuscula non reperiri verba, quæ citat Gerberonius. At forte inter manuscripta ejus delitescunt? Verum, quo auctore, quo teste, quo idoneo Instrumento, id evincit historicus? Nullo prorsus, cui certa fides haberi possit. Appellat quidem auctorem documentorum ad Historiam Academiæ Duacensis pertinentium; hoc est Paschafisnum Quenellum. Egregium vero testem! Sed ne is quidem testari audet a se visum illud Cuneris Petri Scriptum. Etenim in prosecutione Documentorum illorum edita ab eodem Quenello an. 1696. hoc tantum ait, ita referre auctorem novæ editionis Operum Baji p. 2. pag. 202. & 236. & ita tandem ad fontem infœctum mittimus. Ita declarari Baji, & Jansenii defensiones, se ipsos mutuo in propria causa, & testes, & judices appellant, ac laudant: quis non rideat? Quasi ignoret aliquis, quantum interficit Baji, & Jansenii discipulorum, Bullam S. Pii V. deprimere, qua perstringuntur. Qui igitur, ait Gerberonius Operum Baji collector p. 2. pag. 240. memoratam S. Pii V. Bullam juxta regulas expendere voluerit, ipsam profecto censebit nullius plane roboris, sed prorsus evanidam, sive materiam spectet, sive... quia articulos, quorum alteri verissimi sunt, ac piissimi in sensu, quem verba præseferunt, alteri vero falsi, & heretici, promiscue, ac sine discrimine dispungit. An quæso fidem aliquam hic meretur, qui tam cæco partium studio abripitur, & erga Bullam S. Pii V. tam male affectus est?

Probant denique, tum ex ipso Bullæ exemplari, quod Franciscus Toletus Roma Lovanium attulit, in quo nulla legitur interpunctio: dicunt alii totam clausulam inter parenthesim in illo exemplari inclusam esse, tum ex tribus codicibus manuscriptis, quos laudat Operum Baji collector, quorum unus est anni 1570. alii duo an. 1571. in quibus virgula legitur post verba, *in sensu ab assertoribus intento*. Tum denique testimonio Op. Baji par. 2. p. 237. D. de S. Amour Diarii par. 2. pag. 64. & 65. ubi affirmat penes se habere exemplar Bullæ Urbani VIII. Romæ typis excusæ an. 1643. in quo famosum comma legitur post verba mox relata.

Resp. ad 1. verisimile istud non videri. Quandoquidem Bajus ipse cum suis circa illam interpunctionem rixabatur; ejusque obtenui, censuram eludere tentabat. Deinde Card. de Lugo die 26. Octob. an. 1644. testatus est se vidisse in ipso Francisci Toleti autographo, comma post verbum, Op. Baji possent. Fingit editor Operum Baji, post Toleti mortem comma in autographo par. 2. p. 339. ipsius, ab iis insertum fuisse, quorum intererat, ut eo loci infereretur. Sed gratis omnino, ac sine ullo fundamento istud asserit.

Ad 2. Quam, amabo fidem merentur prætensi illi manuscripti codices obscuri, incogniti, nullo publico Instrumento muniti? Nihil erit tam falsum, & absurum, quod similium manuscriptorum fide, & auctoritate astrui,

& cœn-

& confirmari; nihil tam certum, quod elevari, & infirmari non possit.

Ad 3. Cum Sinichius, & Papius Doctores Lovanienses circa Bullam S. Pii V. contentiosus dissertarent, & quantum conjici potest, spem conciperent, fore ut illa revocaretur, aut saltem mitigaretur, Urbanus VIII. ad sedandas contentiones excitatas occasione diversitatis exemplariorum dictæ Bullæ, man-
davit ex Archivio Congregationis, & ex matrice Actorum, quæ in eodem Ar-
chivio conservantur, extrahi sive transcribi, & diligenter collationari, ac in Recueil
les Bulles p. 53.
primi exemplar Bullæ præfatae; illudque sic extractum, collationatum, & im-
pressum, eisdem Sinichio, & Papio per Cardinalis Spadam, Pamphilium, &
Falconerium consignari. Verba sunt Congregationis generalis ea occasione
habitæ die 26. Junii anno 1644.

Si verum est, quod narrat D. de S. Amour, haud dubie scribæ aber-
rantis vitium fuit, quod subinde in altera editione Romana emendatum
est; non diffidente eodem de S. Amour: *Ce n° apas ètè seulement, inquit il-
le, dans les Provinces éloignées qu' on a imprimé cette Bulle avec l'addition de
cette virgule entre ces deux mots, possent, & in rigore, mais aussi dans une qui
s'est faite à la même imprimerie Apostolique depuis celle de l'année 1643.*
*Diarie part. 2.
c. 8. p. 65. 1. col.*

Porro sacra Cardinalium Congregatio die 5. Dec. an. 1644. declara-
vit, attendendum ad exemplar, quod Romæ excusum est, non vero ad illa, Recueil
des Bulles, p.
quæ aut Coloniae, aut Parisis sunt expressa.

Paucis, quantum fieri potuit, expendimus momenta, quæ spectant ex-
citatam de famoso commate seu virgula controversiam, quæ omnia fri-
gide recoquit actor Libelli supra memorati; quasi centies a nostris Scri-
ptoribus attrita illa non fuissent. (1)

Secundum generale momentum ex materia Bullæ contra Bajum, ducunt ex 2. Mo-
testimonia nonnullorum ex nostris, Vasquesio, Toletto, Bellarmino, qui asse-
mentum
mentum
ex Vas-
quesio,
&c.
runt aliquas Baii Propositiones damnatas dumtaxat fuisse propter acerbitas
censuræ, qua Doctor ille velut Pelagianam traducebat doctrinam, quæ
fusæ adversabatur, qualis est in primis ista n. 2. *Cum Pelagio sentiunt, qui textum
Apostoli ad Rom. 2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt,
faciunt; intelligunt de gentibus, fidei gratiam non habentibus.* Ita testatur ac
probat Vasquez in 1. 2. S. Thoma disp. 190. art. 2. c. 13. ubi quatuor hu-
jusmodi Baii Propositiones refert. Et reipsa docet ipse Vasquez, hominem
nulli prorsus tentationi, tametsi levi, resistere posse sine adjutorio gratiæ;
licet doctrina hæc nonnullis videatur damnata in Propositione 30. Baii.
*Ego non dubito, ait Vasquez loc. cit. nu. 176. Propositiones, que memoravi-
tus, sicut etiam multas alias continentis acre judicium, quo docto ille aliorum opini-
ones criminabatur, damnari tantum, ut scandalo, & offendiculo patentes; &
hac ratione solum prohiberi: nam & audacia, nimiaque arrogantia in aliorum
sententiis maligne vellicandis ac lacerandis, non parum scandali afferre solet;
a quo docti & prudentes Theologi in suis scriptis abstinere deberent. Et num.
178. sic pergit Vasquez: *Sensem hujus damnationis, prout a me explica-
tus est, contuli cum Illustrimo Domino Cardinali Francisco Toletto, cum adhuc
1. col.
sacri**

(1) Conser P. Du Chesne in elucidationibus quas sue historię Bajanissimi subjicit pag.
1. seqq. & P. Livinum de Meyer sub Theodori Eleutherii nomine latitantem in historia
Controversiarum de auxiliis lib. 6. cap. XXV.

sacri Palatii Concionator & Theologus esset anno Domini 1586. qui, ut dixi, pro hac Bulla, & damnatione recipienda Lovanium missus fuit, eumque probavit, & germanum esse dixit, propriaque manu subscripsit, cuius subscriptio-
nis exemplar apud me adhuc est. Hæc Vasquez. Ita pariter docet Suarez tom.
1. de gratia, prolegomeno 6. n. 12. & Bellarminus ipse L. 5. de gratia &
lib. arb. c. 7. contendit nulli omnino tentationi posse hominem resistere si-
ne gratia; neque tamen Bullam Pii V. sibi objicit; quia nempe, inquit Vas-
quez n. 174. sciebat optime eam adhuc nihil roboris habere.

P. 516. 3. col. Resp. non satis nos intelligere quid ex ista Vasquesii, & aliorum observa-
tione, ad causam suam commodi reportare possint adversarii. 1. Quia hanc obseruationem nobis objiciunt occasione hujus Propositionis Baji: *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis jam nascitur*, quam illi ut veram defendunt. At ista Propositio, nullam, ut patet, acerbioris censu-
rae notam prefecert. Ergo dici non potest damnata propter censure acri-
moniam. 2. Quia viro Catholico haud dubie satis esse debet ad aliquam Propositionem reprobandam, quod legitima auctoritate proscripta fuerit tamquam pacis inimica & perturbativa. *Numquid Deus noster non Deus pacis est? Nonne judicium suum habet qui pacem interturbat?*

1. Cor. 14.v.33. At, inquiet aliquis, Propositiones Baji damnatae sunt, quo tempore tu-
multum, & gravissimas contentiones excitabant in Academia Lovaniensi,
quibus jam sotiris ac compositis, nullus superesse videtur urgenda censu-
rae locus. Imo, censura sedulo ac constanter observanda, ne tumultus
de novo excitetur, ac recrudescat discordia. Qui ergo eas, vel earum a-
liquas propugnandas inverecunde suscipiunt, ut sunt revera nonnulli, ii
veluti pacis perturbatores, severe coercendi ac reprimendi sunt.

Tertium ejusdem ordinis momentum, quod nobis opponitur, istud est. Non-
nullæ Propositiones Baji ille potissimum, quæ spectant repugnantiam status pu-
ræ naturæ, eo sensu dispunctæ fuere, qui ad Bajum & Jansenium nihil omnino
pertineret: namque Propositio ista inter Bajanas 55. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur*, merito proscripta dici potest.

I. Habita ratione Omnipotentiæ divinæ, cui limites præscribere vide-
tur; non autem divinæ justitiæ, bonitatis, ac sapientiæ: eo quippe respe-
ctu Propositio vera est.

II. Damnata dici potest isto sensu, Deus non potuisset talem ab initio
creare hominem in naturalibus, qualis nunc nascitur in naturalibus. Neque enim alius jam homo est in naturalibus, quam ab initio fuerit. Quem ta-
men alium jam esse in naturalibus docuere Novatores Lutherus, & Calvi-
nus, eo quod contenderent justitiam originalem ad naturam hominis tam
pertinere, quam naturale est oculo lumen videre, & auri sonos percipere.

III. Denique, verissima est adducta Propositio, & ab omni censura im-
munis, nimirum isto sensu: *Deus non potuit ab initio creare hominem cum peccato*, qualis jam nascitur obnoxius peccato, filius iræ & indignationis.

Resp. diverticula hæc, & effugia nihil prorsus momenti ac ponderis
habere ad elevandam Propositionum Baji censuram.

Non i. Propositio enim damnata fuit non tantum habita ratione divinæ
omnipotentiæ, sed etiam aliarum Dei perfectionum. Nihil etenim potest
Deus, quod suis aduersetur perfectionibus: se ipsum negare non potest.
In Deo, ait S. Anselmus L. I. Cur Deus homo, quamlibet parvum inconve-
nientia

nens sequitur impossibilitas. An ferrent adversarii, si quis v. g. diceret, Propositionem istam: *Deus non potest hominem innocentem & innoxium in gratia sacrificante mortuum, aeternis suppliciis addicere, falsam quidem esse habita ratione Omnipotentiæ, veram autem habita ratione divinæ justitiae?* An non divinæ Omnipotentiæ repugnat id omne, quod injustum est ac inordinatum? Pariter igitur si repugnat legi justitiae ac bonitatis divinæ hominem ab initio talem creare, qualis jam nascitur; repugnat pariter divinæ Omnipotentiæ, quæ a ceteris divinis perfectionibus indi-vulsa est, iisque semper, & omni casu attemperata.

Non 2. Sensus quippe ille nobis non adversatur. Si enim Deus potuit talem ab initio creare hominem in naturalibus, qualis jam nascitur, (excepto peccato) sequitur, quod cum homo jam nascatur sine gratia, obnoxius tamen morti, ceterisque vitæ hujus miseriis; potuerit etiam sine gratia primitus a Deo creari, iisdem etiam infirmitatibus obnoxius: quæ ipsam est hypothesis status puræ naturæ. Quo vero sensu docuerint Novatores, justitiam originalem homini cum primum conditus fuit, naturalem ac debitam fuisse, parum ad nos attinet; quibus satis est, istam sententiam ab Ecclesia improbatam, proscriptam fuisse.

Non 3. Nullus quippe est inter Theologos, qui Propositionem adducetam sic intellexerit, ut Deus potuerit ab initio creare hominem cum peccato, qualis jam nascitur. Abhorrent aures Christianæ a doctrinam insulsa & impia.

ADDITIONE.

(*)

IV. **D**Enique damnari debuit, inquit Norisius, ut cum Propositione 74. comparata: concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam denominatur, peccatum est, sicut & alii hujus habitu prævi. *Unde sensus merito proscribendus fluit: Deus non potuit initio condere hominem qualis nunc nascitur cum concupiscentia rebelli, quod illa sit formaliter peccatum.*

Non 4. Hac enim evasio, inquit Eminentissimus de Aguirre in Comment. Theol. S. Anselmi disp. 106. Sect. 4. est mere voluntaria, neque ullum sui fundamentum profert, aut habere invenitur: cum in omnes & singulas Baji Propositiones feratur censura Pontificum, atque adeo quin restringenda sit ad unam aliquam, prout conjunctam cum alia. Deinde certum erat Bajo, sicut & olim Pelagio, Deum non potuisse initio condere hominem cum concupiscentia rebelli, quæ sit formaliter peccatum, sicut iisdem exploratum erat, hominem initio creari non potuisse in statu peccati; igitur propositio Baji 55. ex se se confixa est, non collata cum 74.

(*)

Momenta ex parte formæ Bullarum adversus Bajum.

Primum momentum, in quo magnum causæ suæ præsidium collocant, petitur ex modo vago generali, indeterminato, & ut vocant, in globo, quo Propositiones configuntur, nulla ipsis distributa specialis censura nota: qui modus, inquiunt, valde imperfectus est, plenus obscuritatis & confusionis, fidelibus non modo inutilis, sed plurimum noxious; ex quo nihil

i. Momentum ex censura generali & in globo.

nihil lucis menti affulget, ut possit discerni, quæ Propositio hæretica sit; vel falsa, vel temeraria, vel tantum scandalosa, &c.

Resp. 1. Novam non esse, quam adversus censuras generales, & in globo expostulationem instituunt Baii, & Jansenii patroni. Lutherus in altercatione cum Ekio habita Lipsiæ anno 1519. *iniquam appellat viam plures dictiones acerbatim reprobendendi, non assignata cuiusque effati nota, seu ratione censuræ.* Marcus Antonius de Dominis famosus Apostata L. 1. de Repub. Christiana c. 12. n. 5. ea de caussa censuram aliquorum articulorum Joannis Hus a Concilio Constantiensi factam sigillat ac reprehendit, *quia eorum singulorum examen non appareat: sed in confuso simul cum multis aliis sunt in sententia contra Joannem Hus, sub hujusmodi censura notati.* His adstipulatur etiam Petrus Suavis Polanus, quem reprimit Card. Pallavicinus Hist. Conc. Trid. L. 1. c. 21. Tales duces, & antecessores sequuntur, 76. & quibus displicent generales, & indistinctæ censuræ.

77. Resp. 2. Usum hujusmodi censuræ tam antiquum esse, ac probatum in Ecclesia, vel ipso Concilii generalis Constantiensis exemplo, ut mirum sit eum serio impeti posse, præsertim vero a Jansenianis, qui tanto plausu excepérunt censuram vagam, generalem, & in globo Innocentii XI. anno 1670. die 2. Martii contra sexaginta, & quinque laxioris Moralis Propositiones.

Tribus autem modis in Ecclesia usurpatas legimus censuras illas indistinctas, & generales.

Pag. 30. I. Generali Librorum prohibitione ac damnatione, nullis selectis, & extra A. edit. &is Propositionibus. Qua ratione Nicæna Synodus infamem Arii *Thaliam*, Val. dicendi genus molle ac solutum, *sotadicis carminibus non absimile*, ait Socrates L. 1. Hist. c. 9. condemnavit; ac Imperator Constantius igne jussit absumi, statuta capitis pena adversus eos, qui Librum hunc servasse & occultasse deprehensi fuissent. Eodem modo Libri Origenis proscripti fuere eorum lectio interdicta, a Theophilo in Synodo Alexandrina, a S. Epiphanio, a Gelasio in Concilio Romano, & a Concilio V. Oecumenico. Gelasius in Sy Tom. 4. nodo mox laudata an. 494. & Martinus I. in Concilio Lateranensi an. 694. Can. Conc. p. 11. multos hæreticos, & impia eorum Scripta censura Generali, nulla Pro 1263. & 1265. positione designata, perstrinxere. Aliquando speciali ratione designantur Li Tom. 6. brorum, vel Auctorum, qui damnabantur, errores. Ita factitatum in Sa Conc. p. bellio, Paulo Samosateno, Apollinari, Ario, Pelagio, Nestorio &c.

355. II. Damnati nonnumquam leguntur Libri nonnulli, & quidam ex illis articuli, ista dumtaxat generali nota, *error*. Hoc modo usus est Guillelmus Parisiensis Episcopus an. 1240. & Stephanus item Parisiensis an. 1277. ex consilio Magistrorum Parisiensem. Pariter an. 1398. multæ Propositiones circa magicam artem a Cancellario Parisiensi, & Magistris sacra Facultatis ita notatae sunt, ut omnibus hæc generatim affixa dumtaxat sit nota, *error*.

III. Jam diu invaluit usus, & consuetudo proscribendi Libros, & Propositiones seu articulos ex illis extractos, coacervatis, & simul congestis, & ut dicitur, in globo, multis notis, nulla facta earum unicuique Propositioni applicatione, seu distributione. Hac ratione Joannes XXII. quinque articulos Joannis de Poliaco sigillatim designatos reprobavit, tamquam falsos, & erroneos, & a doctrina sana devios. Postea idem Pontifex multos articulos Ekardi Ordinis Prædicatorum eodem modo proscriptis an. 1329. Tum anno

anno 1369. Cancellarius Ecclesiaz Parisiensis & Magistri in Theologia , censoria virgula notarunt quasdam Propositiones F. Dionisi Soulechat ; itemque anno 1382. Theologi Oxonienses, articulos Vviclefi, intelligendo eos prout verba sonant , vel hæreticos, vel erroneos esse judicarunt.

Hunc ferendæ generalis censuræ modum adversus Libros, & Articulos, seu Propositiones ex iis extractas, velut communem, & ordinarium in Sede Apostolica retinuere, ac sequuti sunt Sixtus IV. anno 1478. contra Petrum de Osma. Leo X. anno 1520. contra Lutherum. Pius V. anno 1567. Greg. XIII. an. 1679. Urbanus VIII. an. 1641. contra Bajum. Alexander VII. an. 1665. & 1666. Innocentius XI. an. 1679. & an. 1688. Alexander VIII. an. 1690. Innocentius XII. an. 1699. ac tandem Clemens XI. Constitutione *Unigenitus* an. 1713. quæ quidem ea de causa non magis arguenda est, quam tot alia hujuscemodi Summorum Pontificum Decreta.

Accedit & ipse usus, ac consuetudo Cleri Gallicani. Inter multas illius censuras, quæ referuntur tomo 1. novæ collectionis Documentorum Cleri Galliani, una dumtaxat est lata an. 1700. quæ damnatis Propositionibus singulis singulas, & proprias affigat censuræ notas : quamquam ultima Propositio, quæ est n. 127. & plures partes complectitur, in globo, ac respective proscribitur. *Doctrina his Propositionibus contenta*, ait censura, *est respective falsa, absurdâ, perniciosa, erronea, probabilitatis pessimus fructus*. Aliae vero censuræ in genere dumtaxat, & in globo communiter pronunciant, & feriunt.

Denique vel una auctoritate, atque exemplo plane decretorio Concilii generalis Constantiensis, res tota finiri, & terminari debuisset : neque enim fas est viro Catholico suspicari Ecclesiam, eum ferendæ censuræ modum probare, & sequi posse, qui fidelibus non tantum inutilis, sed etiam noxius futurus est. Concilium igitur Constantiense sess. 845. articulos Vviclefi, & sess. 15. 30. Joannis Hus damnavit in globo ac generatim, nulla ipsis sigillatum inusta censuræ nota. Qui certe modus, si vitium habet, vitium illud in ipsum generale Concilium, hoc est Ecclesiam Universam, redundat. Nihilominus tamen jussit S. Pontifex Martinus V. eos, qui suspecti forent, interrogari, num crederent articulos illos recte proscriptos fuisse.

Argumentum istud ductum ex usu Concilii ipsius Constantiensis, dure ac importune præmit æmulos Bullæ Pii V. ut illud excutiant, ac infirment.

Respondent, disparem causam esse Concilii Constantiensis, & Bullæ Pii V.

I. Quia articuli Vviclefi, & Joannis Hus a Concilio proscripti multis gravissimo scandalo, & offensioni fuerant. Fatemur: Sed quid inde? Hoc unum, articulos publica censura debuisset configi. Sed quali censura? Generali, an distincta? Si cohærenter ad sua principia sentire, & loqui vellent adversarii, distinctam, & distributam necessariam fuisse asserere deberent: altera siquidem inutilis, imo noxia, & periculosa videtur. Non ita tamen Concilio visum fuit, a quo Generali dumtaxat, & indistincta censura damnati sunt articuli Vviclefi, & Joan. Hus. Concilii vestigia insecurus est Pius V. occasione doctrinæ Baji, quæ propter motus, rixas, & contentiones excitatæ inter Theologos, quibus illa scandalo, & offensioni fuerat, pari censura configenda fuit. *Ex omnibus afflictionibus*, ait Sanctus Pontifex in ipso Bullæ suæ aditu, *quas in hoc loco constituti sustinemus, ille animum nostrum præcipue excruciat dolor, quod Religio Christiana tanti jam pridem turbinibus agitata, novis quotidie Propositionibus conficitur*,

To. 12.
Conc. p.
46. 47.
42. 5.
130.
Bulla
Martini
V.
ib. pag.
268.

Recueil
des Bul-
p. 13.

Chri-

Christique populus antiqui hostis suggestione distractus, in alios, atque alios errores passim, & promiseue deferatur: Quantum vero ad nos attinet, totis viribus conanur, ut illæ simul atque profiliunt, penitus opprimantur. Magno enim mœrore afficimur, quod plerique spectatæ aliqui probitatis & doctrinæ, in varias sententias, offensionis & periculi plenas, tum verbo, tum scriptis prorumpunt, deque eis etiam in Scholis invicem controversantur. Par igitur ea ex parte fuit conditio Pii V. respectu Baji, & Concilii Constantiensis respectu Vviclefi & Joannis Hus.

II. Inquiunt, Synodus Constantiensis articulos, Vviclefi & Joannis Hus damnat post longum & accuratum examen, & latum in Concilio Romano de illis judicium, Propterea, inquiunt Patres Constantienses, sancta Synodus sententias prædictorum Archiepiscoporum, ac Concilii Romani ratificans & approbans, prædictos articulos, & eorum quemlibet ... damnat.

Vetus, rogo, quid hoc contra rem præsentem? Nonne Pius V. accusato examine dictos Baji articulos cora se jussit discuti? Nonne post Op. Baji, transmissam ad se Baji apologiam, ipsi rescripsit S. Pontifex, Bullam part. 2. suam non sine matura deliberatione editam fuisse, quemadmodum, & ipsius causæ gravitas, & hominum de Sancta Sede bene meritorum conditio postulabat. Nihilominus se, ut ipsi satisfaceret, curasse, ut & Libri, & ipsæ Propositiones, & Scripta (apologetica) novo ac maturo examine expenditurentur: quibus expensis, addit S. Pontifex, que super hoc ipso jam decreveramus, nisi antea a nobis decreta fuissent, eadem prout facimus, de integro decernenda, statuendaque esse judecavimus. Denique nonne Card. Granvellanus in Epist. ad Morillonum an. 1567. die 13. Nov. affirmat Propositiones Baji a bene multis omnium nationum peritis fedulo expensas, a variis Academiis, in primis Parisiensi, jam proscriptas fuisse? Morosum ac fastidiosum esse oporteat, qui examen magis serium & accuratum postulaverit.

III. Palmarem disparitatis rationem inter Bullam Pii V. & Decretum Constantiensem istam afferunt: Quod nempe Theologi Constantienses singulos articulos, antequam a Synodo generatim, & in globo dispungeretur, speciali, & distributa censura jam notaverant; quorum quidem brevem censuram in publica sessione 8. Concilii lectam, & approbatam fuisse testatur Vanderhart in novam, quam adornavit, Concilii Constantiensis Historiam. T. 3. p. 22. p. 68. Mirum igitur videri non debet, inquiunt, quod Synodus generatim dumtaxat, & in globo tulerit sententiam contra articulos Vviclefi & Joannis Hus.

Resp. momentum istud leve admodum esse, atque videri plus nocere adversariis, quam favere.

I. Quia quæcumque a Theologis in privatis Conciliorum confessibus proferuntur, vim & auctoritatem ex Concilio non habent, nisi plenis Comitiis admissa illa & probata fuerint. Atqui brevem illam, & distinctam censuram a Theologis adornatam, Concilio probatam & admissam non fuisse, vel ex hoc uno patet, quod eam Patres hujus Concilii sequiri non fuerint, sola contenti generali censura.

II. Quia dicta censura Theologorum spectabat dumtaxat articulos 45. Vviclefi, non triginta Joannis Hus: multo minus alios ducentos & sexaginta, quos eadem Synodus generatim damnavit. Ergo fateantur necesse est, qui nobis hic adversantur, istorum articulorum respectu, censuram Concilii informem fuisse, obscuram, confusam, & ambiguam, ex

qua certo dignosci non possit, quod sit uniuscujusque Propositionis proprium ac singulare vitium.

III. Idcirco putant adversarii necesse esse, ut singulis Propositionibus suis singulares affigantur notæ, ne forte populus Christianus in errorem inducatur censuris illis generalibus, & indeterminatis, ex quibus nihil certi extundi potest. Jam rogo, quid utilitatis & commodi populus Christianus reportare potuit ex illis Theologorum censuris, quæ in Actis Concilii relatae non fuere, quæ ab an. 1418. quo clausum fuit Constantiense Concilium, usque ad annum 1697. quo ex tenebris erutæ sunt a recentiori auctore Historia hujus Concilii, prorsus incognitæ delituerunt? Nihil ergo commodi ad dignoscendam & secernendam veritatem ab errore, fideles toto illo temporis intervallo percipere potuerunt. Ergo in mente adversariorum fatendum erit, Concilii censuram toto illo temporis tractu respectu fidelium informem fuisse, confusam, ambiguam, & incertam, ac consequenter inutilem, imo noxiā & periculosam.

IV. Præter brevem illam censuram, alia edita fuerat diffusa magis ac prolixa, quam jam dictus Vanderhart refert tom 3. p. 212. Est autem obser-vandum, duas illas censuras in notis, quas distribuunt, non convenire inter se: ita ut quæ Propositio ab una tamquam hæretica notatur, ab alia dicatur tantum aut falsa, aut temeraria &c. Atque hæc forsan una est ex rationibus, quibus Patres Constantienses moti sunt, ut neglectis illis Theologorum censuris distinctis ac distributis, in una hæserint deli-genda censura generali, & in globo, pro antiquo ac recepto Ecclesiæ usu.

V. In Concilio Romano ubi primum discussi, ac reprobati sunt Vvi-clesi & Joannis Hus articuli, nullum extat vestigium censuræ distinctæ, ac per singulos articulos distributæ. Ergo adversariorum nostrorum judicio, informis illa fuit, anceps, & confusa. Quod si dixerint, industria & studio Theologorum, quos Romana hæc Synodus consuluerat, uniuscujusque articuli vitium perspectum fuisse: quidni supponere merito possumus id pariter factitatum a Theologis, quos Pius V. selegerat ad excutiendas Bajæ Propositiones? Est enim istud Consultorum proprium munus & officium. (1)

Secundum momentum ex parte formæ Bullarum adversus Bajum colligit auctor Libelli jam citati, ex multipli defœtu, vitio, & abusu, quo dictæ Bullæ laborare ipsi videntur.

I. Si ipsi fides, Bulla Pii V. vim legis obtinere non potest, nec pro Apostolico Decreto haberi. 1. Quia ex consilio Cardinalium lata non fuit. 2. Pius V. in ea non loquitur tamquam Caput Ecclesiæ, ad informationem, & instructionem omnium fidelium. 3. Solita forma Romæ affixa, & promulgata non fuit; imo neque Bajo ceterisque Doctoribus Lovaniensibus primum communicata, quoru[m] tamen multum intererat eam legere, & expende-re. *Quibuscumque quoquo pacto loquendi, scribendi, & disputandi (de Propositionibus damnatis) facultatem* Pius interdit; Hoc est, ait Libellus, prohibet Pontifex, ne quis loquatur de peccato originali, de infirmitate naturæ, de gratia & necessitate Redemptoris, &c.

Momen-ta con-tra Bul-lam Pi-i V.
P. 209.
& seqq.

Prohibet autem, ne quis quoquo modo loquatur; idest pergit Libellus, ne quis eas defendat, aut etiam impugnet: quæ prohibitio omnes omni-

omnino spectat cujuscumque conditionis homines, etiam Episcopos, quibus non licebit amplius de his Propositionibus, etiam impugnando, sermonem habere. Prohibet vero Pontifex sub pena excommunicationis ipso facto incurrendæ, a qua nullus, Romano Pontifice inferior, valeat, excepto mortis articulo, liberare. Imo inobedientes omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, & officiis perpetuo privat, ac etiam inbabiles decernit: quæ omnia abusiva sunt, vimque omnem, & auctoritatem Bullæ Pianæ apud nos penitus detrahunt. Ad cumulum abusuum accedit, ait Libellus, quod Pius V. Cardinali Granvellano in mandatis dederit, tum ut Principum opem imploret, ac recurrat ad brachium seculare, si contumaces aliter retinere, ac frangere non possit: tum ut nullam cujuscumque appellationis habeat rationem. Nihil a Pio V. prætermittitur, ait Libellus, sacram cum prophano permiscetur, eademque involvitur censura.

Pudet ista tam misera referre, quæ ex impotenti obtrectandi studio ad invidiam Sanctissimo Pontifici conflandam inverecunde conficta sunt. Verum hæc non alium onerant ac lœdunt, præter eum, a quo proferuntur. Fingit auctor Libelli inconsultos a Pontifice Pio V. Cardinales. At *Op. Baji par. 2. p. 140.* unde id habet? Declarat ipse Pontifex in Bulla sua, *stricto coram se examine ponderatas*, quas damnat, Baji Propositiones. Idem rursus significat in eo Brevi, quod ad Bajum dedit, post receptam, & expensam ejus *Ib. p. 26.* apologiam: verba paullo ante relata sunt. Declarat, & ipse Card. Granvellanus Epistola ad Morillonum die 13. Nov. an. 1567. rem totam sibi a Pio communicatam fuisse. Qui ergo fieri potuisset, ut aliis consultis Theologis, ipsos Cardinales Pontifex prætermisisset? Cum ipsi decisivum, ut vocant, suffragium tamquam judices ferre soleant; ceteri vero Theologi dumtaxat consultativum. Gratis fingit auctor, Pium non loqui tamquam Caput Ecclesiæ ad informationem, & instructionem omnium Christianorum: Ergo loquitur ut Doctor privatus. At quid absurdius? *Ex omnibus afflictionibus*, ait Pius V. initio suæ Bullæ, *quas in hoc loco a Domino constituti, tam luctuoso tempore sustinemus &c.* An vero privati Doctoris hæc verba sunt; & non potius Pontificis Maximi, cuius cura, & solicitude ad omnes Ecclesiæ se extendit? Fatemur Pii Bullam Romæ affixam statim non fuisse; imo nec Bajo, ceterisque Theologis Lovaniensibus communicatam: ratio in promptu est. Optabat scilicet Pontifex studio pacis, totum illud molestum dissidium silentio consepultum in ortu suo præfocare, ne majores in Ecclesia excitaret tumultus; ea de causa nomen Baji in titulo Bullæ suppressum est. Quod si tum ille, tum alii Lovanienses injunctum sibi silentium religiose, ut par erat, observare voluissent, res tota feliciter composita fuisse, ac terminata; nec, ut conjicere licet, publicam lucem aspexisset Pii Constitutio. Verum obstinata multorum pervicacia Gregorium XIII. Pii successorem, dictam Bullam in Academia Lovaniensi tandem evulgare, & executioni demandare coegit. Fingit rursus auctor Libelli, unicuique etiam Episcopis, interdictam licentiam quoquo pacto loquendi de proscriptis Baji Propositionibus, etiam ut oppugnentur, & improbentur. Verum crassissime ille fallitur: neque enim is unquam fuit Pontificis animus, vel sensus dictæ prohibitionis; quasi non liceret errores impugnare, & ipsis oppositam veritatem defendere? Prohibet ergo Pontifex, ne quis quoquo pacto loqua-


loquatur, scribat, & disputet de illis Propositionibus, animo scilicet eas propugnandi ac defendendi; qui solus sensus legitimus est, ac ratione conformis: alter vero absurdus eset, insultus, & a communi usu abhorrens, qui Pontifici, nonnisi per gravem injuriam & contumeliam posset affungi. Risu, non serio excipiendum, quod addit auctor Libelli, Pii Bullam ea etiam ex parte abusivam esse, quod jubeat Pontifex Card. Granvellano, ut ad brachium sacerdotale, si opus fuerit, recurrat. Abusive igitur egere Concilia, Nicenum, Ephesinum, Chalcedonense, & alia quotquot Imperatorum ac Principium opem ac praesidium imploravere, pro tutela, defensione, & executione legum Ecclesie? Abusive pariter ordinavit Synodus Tridentina sess. 25. de Regularibus, & Monialibus c. 5. ut *santimoniales ad monasteria intra urbes, vel oppida frequentia reducantur, invocato etiam auxilio, si opus fuerit, brachii sacerdotalis.* Abusive pariter scripsit S. Ang. L. 2. Operis imperfecti contra Julianum c. 103. damnatam heresim ab Episcopis, non adhuc examinandam esse; sed coercendam a Potestatibus Christianis. Denique, si auctori placuerit abusus erit agnoscere Imperatores ac Principes vindices esse, ac protectores Canonum, atque nobiliores officii eorum partes in eo potissimum esse ut. quam a Deo solo acceperunt supremam potestatem, totam convertant in defensionem ac tutelam Religionis. Verum piget in his diutius immorari.

Aliæ vero clausulæ, quæ in Bulla Pii V. ex stylo Romanae Curiæ inseruntur nec moribus nostris congruunt, apud nos non obtinent; iisque sepositis, unam cum Episcopis doctrinam admittimus, ut jam superius admonuimus. Bullam Momen-
ta contra

II. Adversus Bullam Gregorii XIII. quam Pianam appellat, & continet, præter jam memoratos prætensos abusus ipsos cum Piana communes, Libelli auctor objicit, Gregorium dictam Pii V. Bullam nusquam auctoritate sua probasse, aut confirmasse. Reipsa quidem conceptis verbis non dixit Gregorius, se Bullam sui Prædecessoris approbare, & confirmare. Verum nonne illam approbare, & confirmare censetur, qui jubet eam Lovaniensibus intimari, & ab ipsis, ea, qua pars est reverentia, & obedientia suscipi? At quis ignorat missum a Gregorio Lovanium Toletum e Soc. Jesu Theologum, quem habebat a Concionibus postea Cardinalem, ut Lovanienses, ipsumque etiam Bajum ad promptum Sedi Apostolicae obsequium exhibendum adduceret? Quod quidem feliciter Toleto successit. Nonne Urbanus VIII. Bulla in Eminentia declarat Constitutionem Pii a Gregorio confirmatam fuisse? & a semetipso etiam utramque, tuum Pii, tum Gregorii confirmari? Procul a tam gravi argumento pueriles ineptiae.

III. Denique, nullam esse apud nos Bullæ in Eminentia Urbani VIII. auctoritatem probat auctor Libelli, 1. quia nunquam solita forma recepta, & promulgata fuit apud nos, 2. quia iisdem defectibus ac abusibus scatet, quibus Bulla Pii V. Imo, & novos adjicit: tum quia renovat decretum Pauli V. anni 1611. quo prohibuerat, quidquam in lucem emitti circa materiam de auxiliis, etiam sub praetextu commentandi S. Thomam, aut alio modo? nisi prius, qui vellent de hac materia scribere, & imprimere, mitterent tractatus, & compositiones suas ad dictam sanctam & universalem Inquisitionem; tum quia continet clausulam, *motu proprio.* Quæ duo moribus Ecclesiæ Gallicanæ plurimum adversantur.

De illa Urbani VIII. Bulla pluribus paullo ante dictum a nobis fuit,
Tournely de Gratia. Tom. III. Pars I.



neque quidquam est, quod hic addamus. Hanc enim, quoad doctrinam, etiam annuente, ac jubente Christianissimo Rege, receptam fuisse, depositis, ac præcisis formulis, seu clausulis, quæ nobis non congruunt, abunde satis ut opinor, probavimus.

DE JANSENIO.

Ut decantata toties Jansenii causa penitus dico scaturit, duo sunt necessaria. Texenda primum Historica ejus Synopsis: tum doctrinæ Jansenii circa Gratiam, & Libertatem systema evolvendum.

Synopsis Historica Jansenismi.

Nullus, ut puto, hic a nobis expectat, integrum ac cohærentem fusori stylo adornari Jansenismi Historiam: nec instituti nostri ratio, nec præfixi hujus Tractatus limites id patiuntur. Non permittit tamen lex impositi nobis officii ut quos informandos habemus rerum Theologicarum Candidates, hujuscce domesticæ, ac ætatis nostræ Historiæ notitia omnino defraudemus. Nobis ergo animus est, illius initium, progressum, & exitum, breviter, ac summa fide, & absque ulla cujusquam offensione, ex publicis Monumentis referre.

Ad tres vero Epochas, majoris distinctionis causa, revocabimus quamcumque hic dicenda nobis sunt.

Prima exponet ea, quæ præcesserunt examen, ac judicium Romanum quinque propositionum Jansenii.

Secunda, examen illud, ac judicium continebit.

Tertia denique narrabit, quæ examen illud, ac Judicium subsecuta sunt.

EPOCHA PRIMA.

De iis, quæ præcesserunt Examen, ac Judicium Romanum quinque Propositionum Jansenii.

In hac prima Epoca continentur:

Persona Jansenii.

Liber ipsius, cui titulus: Augustinus & Jansenii de ipso judicium, Libri hujus denunciatio facta Urbano VIII. S. Pontifici.

Parisiis Habertus, & Syndicus sacrae Facultatis, contra novam Jansenii doctrinam insurgunt.

Episcopi Gallicani 85, quinque Propositiones ex Libro Jansenii excerptas denuntiant Innocentio X. S. Pontifici. Undecim ex altera parte Episcopi de facta delatione apud eundem S. Pontificem conqueruntur.

PERSONA JANSENII.

Anno 1585. Cornelius Jansenius ex Catholicis parentibus nascitur in Territorio Leerdamensi apud Batavos. Ultrajecti, Litteris humanioribus, & Lovanii, tum Philosophiae, tum Theologiae operam dedit, Moderatore Jacobo Jansonio doctrinæ Baji strenuo defensore. Mutato, propter morbum, concreto, pingui Bataviæ calo, Parisios se contulit, ubi salutato Abbe San-Cyrano, cum quo Lovanii amiciriam jam contraxerat, ejus favore cuidam honestæ familie adolescenti instituendo præfatus fuit; tum postea cum amico suo San-Cyrano Bajonam tendit: ibique Collegii Primarius institutus, studio, & lectioni S. Augustini, premente

mente San-Cyrano, ita se totum immersit, ut San-Cyrani mater de filio interdum conquesta fuerit, quod bonum illum Belgam nimius defatigaret, non sine periculo ejus valetudinis. Bajonæ per aliquot annos commoratus, Lovanium revertitur Jansenius, ac novo S. Pulcheriæ Collegio præfectus, fundos, & redditus, suppeditata a Dominis Provisoribus pecunia, emit, ædificia construxit, Collegium velut a fundamentis erexit.

Anno 1617. Laurea Doctorali donatus est in Theologica Lovaniensi Facultate: subinde bis in Hispaniam ab eadem Academia delegatus, commissa sibi negotia feliciter perfecit.

Anno 1630. Regius sacrarum Litterarum Professor instituitur. Hoc anno (1) emisit in lucem, sub ementito nomine Alexandri Patricii Armacani Theologi Libellum, cui titulus *Mars Gallicus*, in quo inverecunde contra sacram Regum nostrorum Majestatem invehitur. Placet nonnullis fingere, unice propter illam Gallicano Imperio irrogatam injuriam, Card. Richelii regni Administri molitionibus politicis, & auctoritate, conjuratam fuisse in Jansenium eam procellam, qua pene submersus fuit: verum non attendunt illi, dictum Cardin. e vivis excessisse an. 1643. & de quinque Jansenii Propositionibus in Galliis disputatum non fuisse ante an. 1649. Quamquam si Gallos, propter Martem Gallicum, infensos habuit Jansenius, Hispanos econtra ob eamdem causam propitos expertus est. Attamen & Galli, & Hispani communibus votis postea in damnationem doctrinæ ipsius consenserunt.

Anno 1635. (2) Episcopus Irenensis consecratus fuit, & anno 1638. die 6. Maji lue extinguitur, postquam ultimam, & moribundam manum apposuisset Operi, quod inscripsit: *Augustinus*. Tabulis sua supremæ voluntatis, Capellano suo omnia sua Scripta ad explicationem S. Augustini pertinentia legavit, ea conditione ac lege, ut typis ea mandari curaret, re prius communicata cum Liberto Fromondo, & Henrico Caleno. Quamquam vero fateatur eo in Opere difficulter aliquid mutari posse: *Si tamen, inquit, Romana Sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius; & illius Ecclesiæ, in qua semper vixi; usque ad hunc lectum mortis obediens sum.* Idem Verba contestatus fuerat cap. 29. Libri proemialis, & in Epilogo totius operis. *Mibi constitutum erat, ait priori loco, eamdem, quam ab infantia secutus sum,* Testa- menti *sensuum meorum ad extremum spiritum usque ducens, sequi Romanam Ecclesiam,* Janseiñ T.z.p.26 *& Beatissimi Petri in Romana Sede successorem, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio.* col.I.D. *Quicumque cum ipso non colligit, spargit, apud quem solum in- 3.p.443- corrupta Patrium servatur hereditas.* E. & T. *Quidquid ab ista Petri Cathedra, in cujus communione a teneris vixi, & porro vivere, & mori fixum est, ab isto Principis Apostolorum successore, ab isto Christi Domini nostri Vicario, ab isto Ecclesiæ Christianæ Universæ capite, Moderatore, Pontifice præscriptum fuerit, hoc teneo: quidquid improbatum improbo, dominatum damno, anathematizatum anathematizo.* Hæc Jansenius. Utinam istud Magistri, sicut & Baji obedientiæ, & observantiæ erga Sedem Apostolicam exemplum imitati fuissent Janseniani: jam diu compositum fuisse, quod a tot annis Gallicanam impensis divexat Ecclesiam, totum istud de Janseniana doctrina dissidium; ac nos omnes in unitate fidei, ac vinculo charitatis colligati, tranquille respiraremus.

De ingenio, moribus, ac eruditione Jansenii, hæc pauca auctor Synopseos ejus vitæ, quæ præfixa initio ipsius Libri: *In rebus, inquit, semel prudenter destinatis magnanimus, acer, & instans, per omnia impedimenta, & obstantia ad exitum facile penetrabat.... Ingenium ipsi fuit acerrimum, judicium gravissimum, memoria capacissima. Subtilis cholera nonnihil habuit, quam flamulæ salpetræ lepide comparare solebat, quæ momento incenditur, & momento in nibilum dispergitur.... Ad istas naturæ dotes accesserat studium noctu diuque infatigabile, & veritatis immensus amor. Regatus aliquando a sodali, quodnam Dei attributum maxime ei esset cordi, & veneraretur; veritatem respondit. Et sæpe inter horti sui spatia, & solitarias meditationes, visus auditusque oculis in Cælum sublatis erumpere in hanc vocem, O veritas! Nihil de debitis Jansenio laudibus detractum hic volumus: absit. At veritatem, quam tam sollicite quæsivisse dicitur, Ecclesia judice, assecutus profecto non fuit in eo Libro, cui titulus: Augustinus.*

Liber Jansenii, cui titulus Augustinus, & quale de ipso Jansenii judicium.

Lib. proœmial. c. 28. Librum suum Jansenius inscripsit: *Augustinus*, quod confidat se puram D. Augustini doctrinam, a quingentis annis (ut putabat) a Scholis Catholicis exulem, revocare.

Ergo Ecclesia tanto temporis tractu ignoravit veram de Gratia Christi doctrinam? Cui objectioni c. 30. Libri proœmialis sic respondet: *Si Eccles. i. B. T. 2. p. 27.* Ecclesia Universa recte crederet, fidemque suam palam in precibus, & Orthodoxis loquendi formulæ fateretur, sed tamen quomodo verum sit id, quod credit, non sat is intelligeret, sed aliud, atque aliud filii ejus humana suspicione, veracique submissione sentirent, nihil Ecclesia tota vel pars ejus in ipsa fide pateretur præjudicii. Arcanorum quippe mysteriorum integrum fidem, non intelligentiam in hac vita Deus promisit Ecclesia.... Nam, & iphi Scholastici, & Universa Ecclesia reæstissimam fidem in Canonibus suis, & in precibus suis, ipsaque Oratione Dominicæ quotidiana protestatur, in quibus quidquid Aug. de gratia, & prædestinatione docuit, comprehenditur: sed quia vim eorum non attendunt, aut non intelligunt, binc diversis opinionibus a se divulsi sunt, quibus inadvertenter fidem aliqui, quam Catholice profitentur, interimunt.

Verum, nobis tacentibus nemo non intelligit, quam parum honorifica sit ista de Ecclesia Christi Jansenii sententia. Ita ne vero fieri potest, ut Ecclesia non intelligat, vim precum, ipsiusque Orationis Dominicæ, quas quotidie ad Deum fundit? Ita ne per tot secula cæciuit in dignoscenda vera S. Augustini circa gratiam doctrinam? Sed hæc jam mittamus.

Referunt nonnulli Jansenium Opus suum Baji Apologiam primum inscripsisse, quod non alio consilio ac mente manum operi admovisse videtur, quam, ut doctrinæ Baji Apologiam ac defensionem susciperet; verum postea titulum libri immutasse; quod præsentiret concitandam inse Romanam indignationem, ac libri sui certissimam censuram.

Lib. proœmial. c. 28. p. 25. col. 1. B. Per viginti & duos annos, huic suo libro perficiendo totus incubuit Jansenius, ut Augustini mentem ac doctrinam penetraret: *In quibus penetrandis, ait ipse, quamvis forte multorum annorum assiduo labore, & ierata decies, imo vicies, ac trices lectione Librorum ejus, multisque precibus ad Deum*

Deum fuis, non multum profecerim; hoc saltem unum affecutus sum, ut non obscure mibi cernere videar, quam procul hujusmodi recentiores in multis mysteriis percipiendis ab Augustini mente deviaverint.

Hinc dubitat Jansenius, an multum profecerit in penetranda Augustini doctrina; & tamen asseveranter pronuntiat, sibi clarum videri recentiores ab ea deviasse; quomodo hæc secum cohærent? Inde vero fatetur, summo, & indefesso multorum annorum studio, ac repetita sepius Librorum Augustini lectione in penetranda ejus doctrina adlaborasse: Ergo Jansenii systema, non ea in Augustino emicat luce, qualem fingunt discipuli Jansenii. Immerito igitur recentiores Scholasticos Jansenius fugilabat, quod in tanta luce cæcutiissent; quandoquidem ipsem, ut eam Augustini doctrinam e tenebris erueret, ac genuinum ipsius sensum expiscaretur, per tot annos desudavit. Quod si genuinus Augustini sensus Jansenium tamdiu latuit, itaut ipsomet fatente, retro abire, ac retrocedere videretur, quid tandem de perspicuitate Jansenii Augustinum commentantis sentient ejus defensores, quem post infinita pene ab ipsis in ejus elucidationem edita volumina ab annis 70. Ecclesiæ Universæ impervium esse proterve asseverant? Scilicet illis solis datum est sapere, intelligere, ceteri vero miseri mortales in tenebris cæcutiunt.

Percrebuerat apud eruditos fama, Jansenium Opus illud egregium meditari. Cui dum totus insudat, ait auctor virtæ illius, *viri multi spirituales, & eruditæ sæculares, Regularesque, currenti sæpiissime calcar addiderunt, ut opus inchoatum deproperaret, ne quod Veneri Apellis accidit, morte interceptus, non inveniret, qui ad præscripta lineamenta auderet succedere. Ipse quoque huic operi unice natum, & ubi absolvisset, paratissimum se mori dicitabat.* Tanta scilicet erat præconcepta de hoc inauspicato fætu opinio, qui non sine magno pacis Ecclesiæ detimento lucem aspexit.

Uno grandiori constat volumine in tres Tomos distincto: primus octo Libros continet de Hæresi Pelagiana. Secundus complectitur quatuor partes. 1. Unicum Librum habet de ratione, & auctoritate in rebus Theologicis. 2. Unicum pariter Librum de Gratia primi hominis, & Angelorum. 3. Quatuor Libros de statu naturæ lapsæ. 4. Tres de statu naturæ puræ. Tertius Tomus in duas partes dividitur. In Prima sunt decem libri de Gratia Christi Salvatoris: hæc pars videtur esse finis, ac scopus totius Operis, cui Epilogus apponitur. In 2. parte unicus liber continetur, qui dicitur Parallelum erroris Massiliensium, & opinionis quorundam recentiorum.

Liber ille scriptus est stylo, nec laxiori, nec satis presso, nec polito, nec etiam inculto, ac barbaro. Frequentes continet earumdem rerum repetitiones; magnam adinventæ veritatis præfidentiam; vix ferendam aliarum opinionum acerbiorum censuram, ac Theologorum Scholæ apertum contemptum: Nonnulli Scholastici, inquit, qui se multum sapere crediderunt, in tam animosas, insulsasque censuras Augustinianæ doctrinæ proruperunt, a cuius vero intellectu tam procul absunt, ut Sanctum Scriptorem clausis, aut extinctis oculis legisse videantur... Et postea: Recentiores isti profecto tantum ab ostio veræ Theologiae, fide salva aberraverunt, ut neque fidem Christianam, quam animo ut Catholici tenent, neque spem, neque cupiditatem, neque naturam, neque gratiam, eamque neque angelorum, neque hominum, neque stantium, neque lapsorum; neque suffi-

Pag. 25. crientem, neque efficacem, neque operantem, neque cooperantem... neque vitium,
col. 1. A. neque virtutem, neque opus bonum, neque peccatum, neque originale, neque actuale,
neque præmium, neque supplicium... neque liberum, neque servum arbitrium...
denique, neque vetus neque novum Testamentum intelligi videantur. Egregia vero
Theologorum Scholæ laus, & commendatio.

Approbatum legitur Opus Jansenii a sex Doctoribus Facultatis Theologicae Parisiensis, inter quos approbatio D. Beauharnois non sine fraude translata fuit ad frontem Commentarii ejusdem Jansenii in Pentateuchum, sub titulo Censuræ Academiæ Parisiensis: quasi tota Academia Librum Jansenii approbasset.

Quis porro fuerit Jansenii de sua lucubratione sensus, quale judicium, ipse privatis ad amicum San-Cyranum Epistolis candide aperit. Epistola 63. scripta anno 1626. Tantum, inquit, circa istud negotium incommodi, ac periculi exponere mibi non potes, quantum ego vel ab initio subodoratus sum. Epistola 131. scripta anno 1635. ait, se adduci non posse, ut credat opus suum a Judicibus (Romano nempe Pontifice) approbandum unquam fore. Et Epist. 16. Scripta an. 1621. Non audeo, ait, dicere, quid sentio de prædestinatione, & gratia, ne forte antequam omnia parata, & matura sint, mihi quod aliis, accidat. Romæ damnetur, sic damnatus fuerat Bajus. Addit ibidem, se non aspirare amplius ad ullum munus academicum, ne si forte sensa sua expromeret in publicam incurret offenditionem. Et Epist. 63. ait, Daturum se operam, ne se vivente, Liber suus in lucem prodeat, quo vita sua tranquillitas posset turbari. Et Epist. 21. ait, se in suscepso opere continuo incumbere, atque eo magis ternerri, quo plus progressitur. Quos scilicet novi in Religionem consilii remordet conscientia, eos, & angit timor futuri eventus. Addit in eadem Epistola; quod palam & retefacto, ut loquitur, velo nusquam auderet aperte loqui, nisi crederet Deum speciali consilio rem tantam promovere. Non ita de hac Dei providentia præsumebat, quin periculi non ignarus, & de successu anceps, sollicite San-Cyranum rogaret, ut sibi Potentum, ac Mobiliorum amorem, & gratiam conciliaret: quia, inquit, hoc necessarium prævideo, ad Libri mei successum. Ibidem: Prævideo magnam fore necessariam providentiam, ad gubernandam na-
vicolam. Et Epist. 53. scripta anno 1623. estimat rem magno sibi præsidio futuram esse, si Communitates, seu Societes Religiosorum ad partes suas adducere posset, quod viri hujusmodi soleant rem susceptam ardentius prosequi, & ab incepto nusquam recedere. Tali favore, ac præsidio indigere se sentiebat Jansenius, propter novitatem doctrinæ, quam invehere meditabatur. Epist. quippe 13. scripta an. 1620. afferit, doctrinam, quam in S. Augustino reseravit, omnibus stuporem incussuram. Et in alia Epistola: Si contingat, inquit, meam doctrinam revelari, futurum est, ut tamquam delirus ac somniator insignis audiar. Epist. 16. Miratur quantum doctrina Augustini non tantum sui, sed etiam præteriorum sæculorum Theologis ignota fuerit; & ut, inquit, ingenue dicam, quod sentio, existimo post hereticos a nomine magis, quam a disputationibus illis Scholasticis adulteratam, & corruptam fuisse Theogiam. In ipso denique totius sui Operis Epilogo. Quæ hactenus, inquit, ex Augustini mente differimus... nova multumque forsan miranda videbuntur iis, quibus antiqua, quia incognita sunt, etiam videntur nova. Scilicet Jansenio reservatum erat, universam Theologorum gentem edocere, & ab errore ad veritatem revocare. Denique de Thomistica doctrina sic loquitur Epistola 18. Audeo dice-

dicere, inquit, mibi compertum esse, quod & si utraque tum Jesuitarum, & tum Thomistarum Schola usque ad extremum Judicij diem disputatura sit, tantum a vereitate sit aberratura, in quantum utraque ab ipsa centum leucis distat. Ibidem: Cum Augustinum degusto, fastidit Thomas.

Liber Jansenii Urbano VIII. denuntiatur, & ab ipso prohibetur.

Cum in edendo Augustino Jansenii prælum Lovanii sudaret, singula folia recenter edita Romam ad examen transmittebantur. Fromondus & Calenus Lovanienses Doctores, ut editionis curam, sic & Libri ipsius defensionem, missis ad Pontificem pluribus Memorialibus seu scriptis suscepserunt. Inde factum, ut vix absolutum Opus lucem aspexit, cum parato jam examine, ab Urbano VII. S. Pontifice, pridie nonas Martii ann. 1641. data Constitutione, quæ incipit, *In Eminentí*, prohibitum, & ad tenebras damnatum fuerit. Duas censuræ caussas & rationes exponit S. Pontifex. 1. est, quia contra Decretum Pauli V. datum anno 1611. die 1. Decemb. & suum anni 1626. die 22. Maji de non promulgandis ullis circa materiam de auxiliis operibus, dictus Liber Jansenii editus fuisse. Atque hac ipsa de caussa, nonnullas Theses, quas Patres Soc. Jesu in Civitate Antuerpiensi de eadem materia tractantes, typis manda verant absque licentia Congregationis Inquisitionis Romanae, pariter damnavit, ut & Liberti Fromondi brevem Anatomiam hominis, Lovanii an. 1641. & Conventum Africanum, sive disceptationem judicalem apud Tribunal Praefulsi Augustini, &c.

Altera vero cauſa hæc est, quod Liber Jansenii multas contineat Propositiones Baji, jam damnatas a S. Pio V. & Gregorio XIII. Cum autem, ait Urbanus VIII. ex diligentí, & matura ejusdem Libri, cui titulus Augustinus, *lectione postmodum compertum fuerit*, in eodem Libro multas ex Propositionibus a Prædecessoribus nostris olim, ut praefertur, damnatas contineri, & magno cum Catholicorum scandalo, & auctoritatis dictæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes, & prohibitiones defendi; nos huic malo in scandalum totius Reipublicæ Christianæ, & fidei Catholicæ perniciem vertenti, opportunum remedium adhibere volentes Pii & Gregorii Prædecessorum bujusmodi Constitutiones prædictas, omniaque & singula in eis contenta, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus: Librumque prædictum, cui titulus est, Augustinus, articulos, opiniones, & sententias in dictis Constitutionibus reprobatas, atque damnatas, ut a nobis compertum est, continentem, & renovantem... prohibemus.

Propositiones Baji, quas renovat Jansenius, istæ præcipuæ sunt.

Circa libertatem 39. Quod voluntarie fit, etiam si necessario fiat, libere tamen fit, 41. Libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non repertur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato. 66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali, 67. Homo peccat etiam damnabiliter, in eo, quod necessario facit.

Circa possibilitatem Mandatorum Dei, 54. Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii fit.

Circa opera Infidelium. 25. Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia. 68. Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est. 38. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur: aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa, Deus amatur.

Denique circa statum naturæ puræ. 55. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur. 26. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio. 78. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio. Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia.

Ex censura Urbani, altus Jansenianorum dolor, ac in Bullam ipsam falsi expostulatio. Missi Romanam a Lovaniensibus duo Deputati, Synnichius & Papius, qui Libri Jansenii caussam agerent, ac præsumpta subreptionis appearirent caussas, & rationes. Ab Albizio infenso discipulorum Jansenii hoste, aut confessam, aut adulteratam caussabantur Urbani Constitutionem, & in eam nomen Jansenii fraudulenter irrepisse, contra fidem a Pontifice datum, quod nullus in particulari fugillaretur cum expressione nominis. Ita sibi ab Urbano dictum sub juramento affirmavit Synnichius coram publico Notario Die 22. Februarii an. 1647. (Diarii D. de S. Amour inter collectanea p. 210.) Refert idem de S. Amour Diarii par. 4 c. 5. Albizium se præsente

*Pag. 204.
col. 2.* asservuisse Bullam hanc a se collectam; ac digestam fuisse, ea spe, ut excitati
*ib. p. 203.
col. 2.* tumultus statim eo pacto sedarentur, nullo facto prævio doctrinæ examine, quod certissime præmissum fuisse, si quod subinde contigit, potuisset prævideri. Atque Patrem Hilarionem testatum sibi pariter fuisse, Librum Jansenii non propter doctrinam, quæ discussa non fuerat, damnatum, sed quod, cum de gratia tractaret, editus fuisse contra Decretum Pauli V. & ipsiusmet Urbani. Addebat Bullæ illius varium in variis exemplaribus annua consignari; & quamquam ann. 1641. pridie Nonas Martii latam esse, nonnisi tamen die 19. Junii an. 1643. in Urbe sollemniter promulgatam. Denique eam ipso jure nullam & irritam: tum quia damnat Libri Jansenii doctrinam ea prius non discussa, nec cum Augustiniana comparata; tum quia non idem est Jansenii, qui Baji fuerat, sensus in iisdem propagandis articulis, quos S. Pius V. & Gregorius XIII. proscripserant; inter quos, facente ipsomet S. Pio V. nonnulli aliquo pacto sustineri possunt in vigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento. Tum denique quia in illa Urbani Bulla, S. Pii V. Constitutio dicitur confirmata a Gregorio XIII. patere autem ex lectione Bullæ Gregorii, nullam in ea fieri mentionem dictæ confirmationis. Odiosum Romanæ Curiæ idcirco fuisse nomen Jansenii, scribit in suo Diario datus de S. Amour p. 2. c. 11. quod auctoritatem Bullarum S. Pii V. & Gregorii XIII. sibi objiciens dixisset, *Hæro, fateor, sed quid ad doctrinam S. Augustini?*

*Pag. 73.
col. 2.* Excipiendis, ac mature discutiendis his Lovaniensium querelis S. P. Urbanus tres Cardinales ex supremis Inquisitoribus præfecit, Bernardinum scilicet Spadam, Joannem Baptistam Pamphilium (qui postea fuit Innoc. X.) & Lelium Falconerium. Auditis patienter Synnichio & Papio Deputatis, omnibusque longo, & accurato examine discussis die 26. Junii an. 1644. emissam est a sacra Congregatione generalis Inquisitionis Decretum, in quo dicitur: *Domini Cardinales in executionem dicti mandati, prefatos Doctores verbo, & scripto multa deducentes, tum congregatim, tum privatim audiverunt, eaque omnia in præfata suprema, & universalis Congregatione prius communicata, ac ibi pluries discussa, una cum voto ipsius Congregationis Sanctissimo Domino nostro diligentissime retulerunt. Sanctitas vero sua, audita relatione, & voto præfatis, nec non omnibus maturè perpenfis, & consideratis; man-*

davit ex Archivio ejusdem Congregationis, & Matrice actorum, quæ in eodem Archivio conservantur, extrahiri sive transcribi, & diligenter collationari, ac imprimi exemplar Bullæ præfata, illudque sic extractum, collationatum, & impressum eidem Synnichio, & Papio per supradictos Dominos Cardinales Spadam, Pamphilium, & Falconerium consignari, ipsisque insuper, Synnichio, & Papio intimari, & significari, sue Sanctitatis mentem, & voluntatem esse, ut eidem exemplari sic consignato fides adhibeatur... & demum super dubitationibus, difficultatibus, & querelis occasione præfata Bullæ quoquomodo excitatis vel excitandis, perpetuum silentium imposuit... insuper Sanctitas sua mandavit juxta sensum præfatum scribi per eamdem Congregationem Nuntiis Apostolicis ac locorum Ordinariis. Sic caute præclusa est via malevolorum hominum mendaciis ac falsis relationibus. Mandato Pontificis obsecuta Congregatio, totam rei gestæ seriem Internuncio Bruxellensi per Epistolam significavit: ut forsitan, inquit, Doctorem Synich ad fovendas contentiones, alendamque refractariorum, & huic Constitutioni inobedientium contumaciam, aliter aut ad Univeritatem Lovaniensem, aut ad alios scribere contingat, ac spem faciat, fore ut Bulla revocetur, aut mitetur, Dominatio vestra unumquemque de veritate rei edocere, deque ea Universitates Belgii, illiusque Prælatos securos reddere possit, nunquam, ne per minimam quidem cogitationem, Sanctissimo Domino venturum in mentem, ut Bullam banc quacumque demum sui parte immutet.

Jam anno superiori 1643. die 24. Octob. S. Pontifex Urbanus, dato ad Archiepiscopum Mechlinensem Brevi, jusserrat intolerabilem eorum arrogantium coerceri, qui suam Constitutionem nondum in suis Diœcesibus promulgatam falsi accusare ausi fuerant. ib. p. 48.

Hoc Bullæ Urbani authentico exemplari, velut fabula exsufflatur quod ex Albizio, & suo Patre Hilarione refert citatus de S. Amour; quasi Pontifex Albizium fraudis tam splendidæ reum ferre potuisset, nedum gravissima subinde negotia ejus fidei committere: quod Pontifici afferenti ex diligent ac matura Libri Jansenii lectione compertum sibi fuisse multas & Propositionibus a suis Prædecessoribus damnatas in eo contineri, major fides haberi non deberet, quam præfato Patri Hilarioni affirmanti, discussam non fuisse doctrinam Libri Jansenii? De Jansenianis conquestus aliquando fuit Card. Chisius, referente de S. Amour Diarii p. 6. c. 7. quod immerito Albizium velut fraudum architectum traducerent ac tam invisum haberent: Ecce, inquietabat Chisius, quomodo unum Albizium semper appellant. Simili modo Dolores Flandri contendebant Albizium Urbani VIII. Bullam adulterasse, quam tamen ego Doctoribus illis adulteratam non fuisse demonstravi. Non ignorabat ipsemet de S. Amour, quod a Patre Hilarione audiverat, dictum Albizium virum esse æQUITATIS studiosum ac tenacem (Diarii par. 4. c. 5. & par. 5. c. 2.) non tamen potuit ille Jansenianorum aculeos, & maledictionem effugere, quasi fraudulenter, & ad invidiam, contra mentem Pontificis, Bullæ Urbani Jansenii nomen inseruisset. Nulla profecto nomini vel personæ Jansenii nota inusta fuit, sed ejus dumtaxat Libro. Frustra Lovanienses excusationis causa obtendebant, tum aliud esse Jansenii, & Bajifensem; tum afferuisse Pontificem, alias ex damnatis Propositionibus in rigore ac proprio verborum sensu ab assertoribus intento defendi posse. Namque absolute prohibuerat S. Pius V. damnatas a se Propositiones, quocumque sensu sustineri; ex ipso vero authentico Bullæ exemplari, quod Lovaniensium Deputatis traditum

Recueil
p. 54.

ib. p. 48.

ib. p. 41.

Diarii
p. 395.
col. 1.

ib. p. 203
col. 2.

ib. p. 267
col. 1.

tum est, manifeste patet, comma seu virgulam, de qua litigaverant, collocari post verbum possent, & ante ista, in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento. Id agnoscit vel ipsemet de S. Amour, Diarii part. 5. c. 2. tametsi ib. p. 266. col. 1. absque ulla probatione, nec sine calumnia, id fraude Albizii contigisse asserat. Neque vero felicius auguratur idem de S. Amour, cum ait nomen Jansenii Romanis odiosum idcirco fuisse, quod ad Pontificias S. Pii V. & Gregorii XIII. Constitutiones respondisset, *Hæreo, fateor.* Imo vel hoc ipsum hæreo, quoddam erat reverentia argumentum. Ut quid enim, quæso, hæsisset, nisi eum detinuissest, quam non exuerat, in Sedem Apostolicam debita reverentia? Verius longe affirmat Paulus Irenæus Disq. 5. art. 8. *magnam apud Romanos initio famam Jansenio conciliaisse nobilia ejus pro fide Catholica adversus hæreticos certamina: adeo ut Irenensis Episcopatus Bullæ gratis ipsi omnium consensu Cardinalium concessæ sint.* Sed Liber ipsius posthumus, pergit idem auctor, in gravem invidiam vocari cœpit. En vera dissensionum radix, & origo. Cetera vero falsitatis ac suppositionis indicia, quæ contra Urbani Bullam Lovanienses opponebant, vel aperte falsa, vel levissima, nulliusque plane ponderis habenda.

Splendidum profecto mendacium est, quod jam antea repressimus, dicere Gr: gorium non confirmasse sui Prædecessoris Pii Constitutionem. An non eam vere confirmat, sicut asserit Urbanus, qui totam eam refert ac renovat; qui datis ad Lovanienses Litteris, ac misso Legato, eos ad illam promulgandam adhortatus est, & pro sua auctoritate adduxit ac compulit? Nihil vero ad dictæ Bullæ veritatem solicitandam refert, quod paullo serius in Urbe promulgata fuerit, modo ritu sollemni promulgatam tandem fuisse constet. Ad hoc ipsum autem incommodum præcavendum, quod ex varietate exemplarium dictæ Bullæ opponebatur, voluit Pontifex e Scriniis Vaticanis autographum educi, & ad ejus fidem accurate describi exemplar illud, de quo dictum fuit. Merito igitur Alexander VIII. anno 1690. istam Propositionem proscriptis. *Bulla Urbani VIII. est subreptitia.*

Non potuit Urbanus, quoad vixit, obtinere a Ministris Regis Catholici, ut sua contra Librum Jansenii Constitutio in Belgio sollemniter promulgaretur. ob infinitas scilicet defensorum hujus Libri artes, & molitiones, quibus totum Belgium commovebant, ac perturbabant.

Mortuo Urbaño, Innocent. X. summo animi ardore Prædecessoris sui Constitutionis executionem urgere cœpit apud Gubernatorem Belgii Marchionem Castrum Rodrici, Brevi ad ipsum dato die 2. Martii an. 1645. in quo ait: *In isto ab hac Sancta Sede vetito Jansenii Libro expressam noscimus ac resumptam doctrinam Michaelis Baji, cuius improbatis opinionibus vehementer commotus Philippi II. claræ memorie Regis animus, ea æstuavit solicitudine, ac Zelo, ut præcipuis ille monitis suo in Urbe Oratori acriter præscripserit, impense ageret cum Pontificibus prædictis Pio, ac Gregorio, ut eas abolitas omnino vellet, ac damnatas. Scriptis in eundem finem Innocentius ad singulos Belgii Præsules; necdum tamen votis plene frui concessum, nisi anno 1648. cum Regis Catholici iussu, ac cura Leopoldi Archiducis, Constitutio Urbani pubblicata, & recepta fuit; imposita etiam lege iis omnibus, qui ad aliquod seu Civile, seu Ecclesiasticum munus promoveri cuperent, ut propria syngrapha, ac juramento testarentur; se obsequentes esse S. R. Ecclesie, generale.* Et S. D. N. Innocentio X. Pontifici Romano, & acceptare debita obedientia Constitucionem Urbani, in qua damnatur, & prohibetur Liber Jansenii. Hoc ipso an. 1648.

an. 1648. Academia Duacena sollemini Instrumento declaravit, eos splen-^{p. 219 R. e}dide mentitos fuisse, qui asseruerunt Doctores Dūacenses non tantum *cœil p.*
alias, sed etiam modo pertinaciter adhærescere doctrinæ Baji, & Jan-^{31.}
senii; *Econtra enim censimus*, ajunt, *communibus suffragiis humillime suam*
Celsitudinem regandam, ut perget doctrinam illam *Jansenianam serio extirpare*,
qua nequaquam docetur mens beati Augustini.

Atque iste fuit exitus controversiarum, quæ in Belgio excitatæ fuerant,
occasione Bullæ Urbani VIII. Nunc ad Gallos nostros veniendum.

*Parisis Habertus, & Syndicus Facultatis Theologicæ contra novam Libri
Jansenii doctrinam insurgunt.*

Dum Romæ sua Urbani Bullæ veritas, & auctoritas afferebatur, at-
que in Belgio promulgationemurgebat Pontifex; Parisis Isaacus Haber-
tus Doctor Sorbonicus, Parisiensis Ecclesiæ Theologus, postea Episcopus Vabrensis, tum tribus Concionibus habitis in Ecclesia Cathedrali, pri-
ma, & ultima Dominica Adventus an. 1642. & Dominica Septuagesimæ
an. 1643. tum Libro cui titulus: *Defensio fidei Ecclesiæ*, Doctrinam Jans-
senii pari zelo, & eruditione confutavit. Cui ex altera parte, Antonius
Arnaldus Doctor pariter Sorbonicus, fervidus inter ceteros Jansenii de-
fensor, duas opposuit pro Jansenio Apologias annis 1644. & 1645.

Hoc ipso an. 1644. die 2. Jan. Bulla Urb. VIII. ad sacram Facultatem Regio mandato defertur: ac die 15. ejusdem mensis, eadem Facultas suis omnibus severè injunxit, ne aliquam e damnatis a S. Pio V. & Gregorio XIII. propositionibus propugnarent. Parisiensis Archiepiscopus de Gondy, Decretum jam mense Decembri paraverat, ad promulgandam sua in Dicecesi dictam Constitutionem: verum nonnisi die undecima Januarii le-
ctum illud, ac promulgatum fuit a publicis Parochiarum Præconibus.

Anno 1649. die 1. Julii, D. Cornet Syndicus sacrae Facultatis Parisiensis, querimoniam instituit adversus quosdam Baccalaureos, qui novitatis stu-
dio, nonnullas Propositiones, quas in eorum Thesibus deleverat, aut viva, inter respondendum, voce propugnare, aut etiam suis in Thesi-
bus scribere ausi fuerant. Addidit eo malum devenisse, ut, nisi prompto, & efficaci remedio sanaretur, periculum foret, ne perversa doctrina,
quæ omni arte, ac machinatione Thesibus interseritur, tandem summo Religionis, ac Facultatis detrimento prævaleret: sibi præsentius non vide-
ri afferri remedium, quam si Facultas de illis Propositionibus suum profer-
ret judicium. Septem illico ad examen obtulit, ex quibus, duabus subinde rescissis, quinque famosæ dictæ Propositiones superstites fuerunt ad examen servata. Rogavit igitur sacrum Ordinem, ut pro more solito Deputati designarentur, qui eas inter se expenderent, suum ad plena Comitia relaturi subinde judicium. Re in deliberationem missa, postula-
tioni Syndici annuit Facultas, ac Deputatos nominavit, qui multis inter se habitis Congregationibus, suam ad Facultatem die 1. Augusti congregandam, de propositis Articulis sententiam referre meditabantur, cum septuaginta Doctores, facta intercessione adversus Conclusionem latam die 1. Julii, provocarunt ad Senatum. Senatus Consulto die 5. Octobris an. 1649. cautum est, ne dictæ Propositiones ad examen vocarentur, do-
nec aliter provisum fuisset: simulque interdixit Libellum, qui circa me-
diūm

dium Septembris evulgatus fuerat sub titulo : *Censuræ Deputatorum Sacrae Facultatis contra dictas Propositiones.*

Istæ porro erant Propositiones septem , a Syndico Facultatis ad examen , & censuram oblatæ .

I. *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus , & conantibus secundum præsentes , quas habent vires , sunt impossibilia : deest quoque iis gratia , qua possibilia fiant .*

II. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nusquam resistitur .*

III. *Ad merendum , & demerendum in statu naturæ lapsæ , non requiritur in homine libertas a necessitate , sed sufficit libertas a coactione .*

IV. *Semipelagiani admitebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ; & in hoc erant hæretici , quod vellent eam talem esse , cui posset humana voluntas resistere , vel obtemperare .*

V. *Semipelagianorum error est , dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse , aut sanguinem fudisse .*

VI. *Sensit olim Ecclesia , privatam sacramentalem pænitentiam pro peccatis occulis non sufficere .*

VII. *Naturalis attritio sufficit ad sacramentum pænitentiae .*

Duae illæ postremæ Propositiones neglectæ sunt , ac rescissæ . De aliis quinque controversia gravis excitata , de qua bene multi Gallicani Præfules Summum Pontificem Innocentium X. consuluerunt .

Octoginta quinque Episcopi Gallicani , quinque Propositiones Jansenii deferunt ad Innocentium X. Undscim ex altera parte de facta delatione apud eumdem conqueruntur .

Cum Syndicus sacræ Facultatis ab incepito quinque Propositionum examine recedere compulsus fuisset ; ob tumultus , & commotiones , quas Janseniani excitaverant , octoginta , & quinque (quidam numerant 88.) Præfules Gallicani , veriti , ne audacius error inde prævaleret , consultius , ac providentius fore judicarunt , si tota hæc caufsa ad Innocentium S. Pontificem deferretur ab ipso definienda ; & quidem cum minori pacis dispendio , majori autem sequituræ definitionis pondere , & auctoritate . Anno itaque 1650. dicti Præfules sollempni ad Innoc. X. Epistola Haberti Vabr. Episcopi manu exaratæ subscripserunt , denuntiantes ipsis coporum famosas quinque Jansenii Propositiones . Majores caussas , inquiunt , ad Inn. X. Recueil 71. *Sedem Apostolicam referre sollemnis Ecclesiae mos est , quam fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro jure suo postulat .* Æquissimæ huic legi obsequentes , de gravissimo circa Religionem negotio Sanctitati tuae scribendum esse censimus . Decennium est , ex quo vehementissimis turbis Gallia magno nostro mœvore commovetur , ob Librum posthumum , & doctrinam Reverendissimi Cornelii Jansenii Irenensis Episcopi . Tales quidem motus sedari oportebat , tum Concilii Tridentini auctoritate , tum Bullæ illius , qua Urbanus VIII. felicis memorie adversus Jansenii dogmata pronuntiavit , & Decreta S. Pii V. ac Gregorii XIII. in Eajum edita confirmavit . Atque hujus quidem Bullæ veritatem , ac robur novo diplomate vindicasti : sed quia nulli sigillatum Propositioni certa censuræ nota inusta fuit , locus etiamnum aliquis quorundam cavilis , & effugio relictus est . Intercludendum autem penitus speramus , si , ut precamur , Sanctitas tua quid hac in re sentiendum sit , clare , distincteque definiet . Obtestamur ergo , ut has præsertim

Sertim Propositiones, de quibus disceptatio periculosior, ac contentio ardenter est, Sanctitas vestra expendat, & perspicuum, ac certam de unaquaque sententiam ferat. Denique quinque Propositiones mox relatas subjiciunt.

Undecim ex altera parte Episcopi, datis ad eumdem Pontificem Literis, declarant sibi non probari Fratrum suorum Reverendissimorum consilium, in ea, quam deposcebant, quinque Propositionum censura: his de caussis, 1. *Quia intempestivum plane foret hujus rei examen, quæ anno superiori Parisiensem Scholam ingenti animorum contentione, nullo fructu commoverat.* 2. *Quia Propositiones illæ ad libitum fitæ, & ambiguis vocibus concinnatæ, aliud per se nibil quam animorum iurgia, & pugnantium, ut sit in æquitatibus, interpretatione coporum dissidia natæ effici procreare.* 3. *Quia si Propositiones istas ad examen, & ad judicium vocari expediret, judiciorum ordo legitimus Ecclesiæ totius, tum maxime Gallicanae consuetudo postularet, ut primum a se majores, ac difficiles, quæ apud se ortæ sunt quæstiones dispicerentur.* 4. *denique, quia non aliter tota hec controversia definita esset, quam si sollemni (quæ Collegarum suorum mens esse non videtur) & ad Majorum normam instituto judicio, hoc est, vocatis, & auditis ambabus partibus, ut non pridem sub oculis piæ memorie Clementis VII. & Pauli V. factitatum est, rem vota placeat a fontibus, & ex integro ventilare.*

Scriptis, & privato suo nomine ad eumdem Pontificem Graffensis, & Vencientis Episcopos D. Godeau, ægre ferens, quod alii 85. Episcopi judicium Romanæ D. Gor-Sedis expostulasent circa dictas Propositiones: *Non quia doleamus, ait, adiri deum. supremum Tribunal, sed quia id ita factum est privatim, & ab uno tantum e nostris Fratribus carissimis, qui alios ad subscriendum impulit, non communicato in vicem conflio, nec collatis suffragiis, aut indicta Synodo, nedum re proposita in Comitiis Clevi Gallicani, quæ opportune per id temporis haberi contigerat.*

Priorem 85. Episcoporum Epistolam Innocentio reddidit die 12. Aprilis anni 1651. Orator Regis Christianissimi. Alteram vero undecim Episcoporum Ludovicus de S. Amour Doctor Sorbonicus. Hic enim cum in comitatu viri cuiusdam nobilis Romam petiisset, atque inde rediens Genuam appulisset mense Junio ejusdem anni 1651. ibidem accepit dictas undecim Episcoporum Literas, a se tamquam eorum Legato, ad Pontificem perferendas, quas statim Romam reversus, Innocentio reddidit die 10. Iulii ejusdem anni.

Jam ipsa die 12. Aprilis Congregationem quinque Cardinalium Pontifex instituerat ad examen quinque Propositionum: neque ab eo proposito dimoveri potuit his postremis undecim Episcoporum Literis; imo magis in eo firmatus. Restituenda scilicet erat inter Theologos Scholæ Parisiensis ea ipsa pax, & concordia, quæ occasione dictarum Propositionum turbata fuerat, & quæ non aliter in tanta animorum collisione restitui posse videbatur, quam judicio S. Pontificis, cui omnes obedire tenentur: cuicumque enim alteri obloqui, & ab ipso ad Sedem Apostolicam provocari facile fuisset. Neque porro Episcopi 85. ut & alii undecim ignorabant, quæ legitima sunt Episcoporum jura; nec ea profecto violaverant, delatis ad S. Pontificem quinque Jansenii Propositionibus. Noverant equidem primam litis apud se natæ cognitionem sibi pro jure suo reservari; at illam ad Episcopum Episcoporum sponte deferri aliquando posse, & expedire, eo ipso Jure Canonico, & Ecclesiastica consuetudine exploratum habebant; atque ut in re praesenti deferretur, postulabat, & natura exortæ controversiæ, & conten-

Epistola
11. p. 1.coporum
adversussuperior-
rem 85.Inter
Collectio-

nea S.

Amou-
pag. 5.

ib. p. 6.

part. 2.e.

Diarii
& seq.M. le
Bailly
de ValençayDiarii
part. 2.e.

14. p. 79.

& seq.

Diarii
p. 3. c. 4.

dentium ardor. Agebatur scilicet de Libro Jansenii, quem Jansenius ipse moriens Judicio Romanæ Sedis subjicerat, de quo jam pronunciauerat Urbanus VIII. Aliunde vero periculum erat, ne Jansenianorum arte, ac potentia excitatis inter Episcopos iisdem, quæ nuper inter Doctores, animorum dissensionibus, res tota in fumis evanesceret.

P. 157.
col. 2.

Agnovit, & ipsem Episcopus Grassensis, nihil ea in re detractum fuisse juribus Episcoporum. Scribens enim ad D. de Valencay Regis Christianissimi in Urbe Oratorem, dicebat, (Diarii de S. Amour parte 5. c. 1.) *Epi-scopos suis in Diaœcibus, perinde, ac Romanum Pontificem in Universa Ec-clesia, centrum esse unitatis, adeoque se rem Episcopatu dignissimam egisse, cum ad S. Pontificem examen, & judicium quinque Propositionum detulerunt, pre-sertim in tam evidenti periculo dissensionis, ac discordiæ circa rem in Religione gravissimam. Hoc ipsum agnovere tandem, & ipsi undecim Episcopi, qui, vel præsentes Comitiis subfcriperunt, vel absentes non improbabvere, quæcumque a Clero Gallico in Comitiis anni 1653. 1654. 1655. & 1656. circa Jansenii causam gesta, & statuta fuerant. Quin, & in Comitiis generalibus an. 1700. Præside Eminentissimo Card. Noallio, inter quatuor Propositiones Jansenismum spectantes, hæc, quæ secundæ pars est, simul cum aliis damnata fuit: Episcopi Gallicani liber-tatem Ecclesiae Gallicanæ sub earum afferendarum specie labefactarunt, super re-cipienda Constitutione Innocentii X. contra Jansenium. Fuit ergo legitima hæc quinque Propositionum apud Pontificem per Episcopos facta denunciatio; sed, & fuisse earum Romanum examen diligens, & accuratum, Judicium vero Canonicum, & æquissimum, quæ sequuntur, profecto demonstrabunt.*

S E C U N D A E P O C H A .

De Canonico examine, ac Judicio Romano quinque Propositionum Jansenii.

Hæc erunt hujus secundæ partis narrationis nostræ Capita :

Institutio, & Forma Congregationis .

Theologorum ex utraque parte deputatorum Roman adventus, ge-sta, scripta .

Quinque Propositionum in Romano examine sensu Jansenii facta discussio .

Romanum de quinque Jansenii Propositionibus Judicium .

Æquitas hujus Judicij vindicata .

Institutio, & Forma Congregationis .

Innocentius X. acceptis 85. Episcoporum Galliæ Literis, ipsa die 12. Aprilis an. 1651. Congregationem instituit ad examen delatarum Propositionum, nominavitque Cardinales Julium Roma Sacri Collegii Decanum, Ber-nardinum Spada, Martinum Ginettum, Dominicum Sechinum; & in lo-cum Roma paullo post fato functi, Fabium Chigium, quibus subinde additus est Card. Pamphilius. Viri profecto inter ceteros sagaces, longo rerum usu, & experientia exercitati, qui propter fidem, probitatem, eruditio[n]em Ro-mæ perspectam, omnibus ex utraque parte Theologis acceptissimi, nullis suspecti esse debuerunt. Inter illos Cardinalis Spada, vivente Urbano VIII. cum Synichio, & Papio Lovaniensem deputatis, de Libro Jansenii jam plus.

pluries egerat. Chigius vero, (qui subinde fuit Alexander VII. quique maximam in praesenti negotio partem habuit) plurimum commendatur ab ipsomet de S. Amour. Diarii part.4.c.4. ait, illius, & aliorum novem, qui recenter ad purpuram Romanam evecti fuerant, merita communis omnium ore Romae prædicari. Cap.3. eumdem laudat a pietate, & modestia, quibus recentem dignitatem acceptaverat, hac sibi ad imitandum semper proposita Beati Salesii regula, ut nihil peteret, nihil recusaret, & nusquam conquereretur. Addit, tanto apud ipsum loco semper fuisse Augustinum, & Salesium, ut continuo super pectus suum numisma gestaret, quod ex una parte Augustini, ex altera Salesii effigiem referebat. Ibidem eum commendat ab Epistola, quam in gratiam Libri Arnaldini de frequenti Communione scripsérat, cum in Germania Nuncium Apostolicum ageret. Cap.7. refert idem de S. Amour, dictum Cardinalem Chigium asservisse, se integrum legisse Librum Jansenii. Denique multum ibidem extollit ejus eruditioñem, æquitatem, atque benignitatem. Egregia hæc quidem, sed a Jansenianis post Constitutionem Innocentii multum depresso; cum, ut ipsi aijunt, plus ille ceteris omnibus veritati nocuerit, verus Bullæ Innocentianæ parens.

Congregationis Secretarius institutus est Albizius, Assessor S. Officii; ac tredecim designati Consultores Theologi ex Religiosis Familii doctiores, novem Mendicantes, quatuor ex non Mendicantibus. Ex primis duo erant Dominicani, duo Augustinienses, duo Minores, duo Carmelitæiscalceati, unus Capucinus. Ex aliis duo Theatini, unus Servita, alter Jesuita. Inter illos aliqui Libro Jansenii favebant, duo scilicet Dominicani, Vincentius Candidus Magister Sacri Palatii, & Vincentius de Pre-tis Commissarius S. Officii; unus Augustiniensis Visconti Præpositus Generalis; unus ex Minoribus, Lucas Vvading.

Albizium ab Officio Secretarii, Patrem Modestum Annati libri approbatorem, & Patrem Palavicinum Jesuitam, tamquam sibi merito suspeccatos, a Congregatione removeri postularunt Jansenii defensores. At frustra; pari etenim ratione potuissent alii recusare Dominicanos, vel Franciscanos, quod minime conducebat, ait Cardinalis Spada, Diarii part.6. cap.2. quia Consultores illi, non decisum, sed consultativum dumtaxat suffragium proferunt. Albizii vero exigua admodum eo in negotio partes esse, nec aliud illum posse dicebat, quam summam votorum seu suffragiorum colligere, ac exscribere, quod alii etiam poterant, si id curæ vellent in se suscipere.

Seleci illi Cardinales per duos annos integros trigesinta, & sex Congregationes seu Sessiones celebrarunt. In prima, quæ habita est apud Cardinalem Roma die 20. Aprilis an. 1651. statutum est rem altius repeti debere; ab examine scilicet eorum, quæ gesta fuerant in negotio Baii sub S. Pio V. & Gregorio XIII. & Jansenii sub Urbano VIII. Extracta sunt itaque ex Archiviis Vaticanis, quotquot causam hanc spectabant authentica Instrumenta, ac de iis relatum in sequentibus Congregationibus, in quibus Liber Jansenii diligenter, ac maturo examine discussus, communicata Consistoriorum consilia, expensa, ponderata, etiam praesente ipso Pontifice, qui decem ultimis Congregationibus, quarum quilibet quatuor erat horarum, summa cum patientia interfuit. Uno verbo, tota hac causa discussa est ea profecto diligentia, qua major desiderari non pos-

fit. Ita

Epistola
Episto-
porum
ad Innoc.
data sex-
to Kal.
Martii
an 1653.
in Dia-
rio inter
Collect.
p. 9.

P. 219.
col. 2.
part 7.c.
2. p. 557.
col. 1.

P. 191.
col. 1.

P. 197.
col. 1.

sit. Ita testatur ipsem Alexander VII. tum Cardinalis Chigius, Consiliorum omnium Innocentii, ac Congregationis particeps.

*Theologorum ex utraque parte deputatorum Romam adventus, gesta,
Scripta.*

Die 5. Decembr. an. 1651. Romam adventant tamquam deputati ab aliquibus Gallicanis Episcopis pro tuendis quinque delatis Propositionibus DD. Brousse, de Lalane Doctores, & Angran Licentiatus in Facultate Theologica Parisiensi: die vero 4. Maii anni sequentis Pater Desmares, & D. Manessier (Domino Brousse propter aegritudinem in Galliam reverso) in subsidium aliorum pariter adveniunt.

Ex altera vero parte, die 24. ejusdem mensis, & anni, accedunt DD. Hallier, Lagaut, & Joysel, ad promovendam, & urgendam quinque Propositionum censuram.

Diar. part. 5. cap. 10. Non statim Jansenianis Doctoribus declarata, & instituta per Pontificem Congregatio: sed die dumtaxat undecima Julii an. 1652. eam ipsis publice declaravit Cardinalis Roma. A die scilicet 20. Aprilis, qua prima Congregatio celebrata fuerat, Cardinales primo inter se, deinde cum ipsis Consultoribus rem tacite ventilaverant.

Vix Romam appulsi DD. Brousse, Lalane, & Angran simul cum de S. Amour, die 21. Jan. ann. 1652. in conspectum Pontificis admittuntur, enixe suam rogantes Sanctitatem, ut vellet sollemnem, ac publicam instruere Congregationem, in qua cum suis adversis partibus congregari sibi licet, ad eum modum, quo sub Clemente VIII. & Paulo V. de divinis Gratia auxiliis disputatum fuerat. Ajebant longe majorem inde futuro judicio fidem conciliandam, si solita Majorum, non illa inusitata, & clandestina via perageretur: longe exploratus omnibus fore, adfuisse S. Pontifici in judicando Spiritum Sanctum, si idoneas veritati aperienda vias amplecteretur: id enim jubere Spiritum Sanctum, humanas inquirendi veri rationes non respui, Traditionem consuli, doctos homines adhiberi.

Diar. part. 4. cap. 2. pag. 178. col. 2. Controversiam moveri de re gravissima, de doctrina scilicet S. Augustini, quæ tametsi multis encomiis celebrata toties fuerit a SS. Pontificibus, hac ipsa tamen, quæ a suis emulis postulabatur, quinque propositionum censura, funditus evertebatur. Pontifex reposuit, nolle se, ut ullo pacto mentio fieret de Jansenio; (nimirum absolvendo) quia Liber ejus prævio diligentie examine ab Urbano VIII. prohibitus fuerat. Difficultates circa Bullam Urbani excitatas, plene discussas fuisse; nec aliud superesfie, quam ut singuli obtemperarent. In illas vero, quas postulabant, cum suis adversariis publicas concertationes non posse se consentire, quod in iurgia, ac clamores ut plurimum deficere soleant: nec alius fuerit Congregationum sub Clemente VIII. & Paulo V. de auxiliis Gratiae exitus, post tot graves, ac diuturnas disputationes, quam ut partes dimitterentur imposito ipsis silentio, ac severe prohibita mutua hinc, & inde censura. Non expedire, nec velle se renovari ullatenus illas de auxiliis quæstiones; Augustini doctrinam in tuto esse, nec passurum se, ut quidquam detrimenti accipiat: Lovaniensem Deputatos, cum Romam venerunt Librum Jansenii defensuri, caussatos pariter doctrinam illius ab Augustiniana non differre, nec ista salva, aliam damnari posse: aliter nihilominus.

censuisse, qui huic examini præpositi fuerant (quorum ipse Innocentius, tunc Cardinalis Pamphilus, unus erat.) Omnes denique ad se Augustinum trahere, ejusque ambire patrocinium; verum Doctorem illum eximium omnibus favere non posse.

Ex altera vero parte, Hallerius cum suis congressum illum publicum nec declinabat, nec etiam efflagitabat, paratus in omnibus voluntati Pontificis obtemperare. At obsequium illud, vitio causæ, quam Hallerius tuebatur, imputabant Janseniani, quasi suis ille rationibus, non Romanæ Curiæ obsequeretur; quod nempe intelligeret, actum esse de sua causa, si sententiam suam coram adversariis promere, & defendere cogerentur. Quapropter repetitis, & apud Pontificem, & apud Cardinales precibus, ardenter illi institerunt, ut hanc sollemnem, ac publicam obtinerent Congregationem, ac Scriptorum communicationem reciprocam. Verum non aliud ab ipsis responsum reportarunt, quam nullam hic esse item dirimendam, nullasque partes, cum de solis agatur notandis Propositionibus. Non pertinere ad privatos Doctores Pontifici modum præscribere, quo rei aliquis examen instituere debeat: assistentiam Spiritus Sancti, ac veritatis manifestationem alligaram non esse illis publicis, ac contentiosis dilputationibus, *Non enim in commotione Dominus*. Non illum esse Romanis morem, ut res hujusmodi, communicatis hinc, & inde Scriptis, judicio contradictorio tractarentur: Libros quidem inspici, & diligenter expendi, sed Autores non audiri contradictorie; alias, nusquam futurus esset negotiorum finis. Nihil tale observatum fuisse sub S. Pio V. Gregorio XIII. Urbano VIII. imo nec sub Innocentio X. in causa duorum Capitulum. Id equidem factitum sub Clemente VIII. & Paulo V. sed sine fructu; nec expedire jam, ut illæ discordia reyocentur. Tam multa denique hinc, & inde circa quinque Propositiones scripta fuisse, actum Cardinalibus, tum Consultoribus, alisque Viris doctis communicata, ut fieri non posset, quin ad mutuas contendentium manus pervenissent. Ita respondebat Cardinalis Spada. Et quidem ipsem de S. Amour variis in locis non dissimulat Hallerii, & Sociorum ejus Scripta ad se pervenisse. Et cap. 5. idem fatetur de alio novo eorumdem Scripto, in quo quinque Propositiones Jansenio tribuebantur, & loca citabantur. Iterum aliud eorum Scriptum præcedenti prolixius vidisse se fatetur. Nihil ergo aliud hac sua postulatione moliebantur Janseniani, quam ut, quas possent, longiores moras Judicio Pontificis injicerent.

Versus finem Februarii an. 1652. per Oratorem Regis Christianissimi obtulerunt Pontifici Memoriale, quo declarabant, 1. se dumtaxat impingnare versatilem, & libero arbitrio subditam, Molinæ sensu, gratiam sufficiensem. 2. Se gratiam efficacem unice defendere in illis quinque Propositionibus. 3. Nihil sibi curæ esse de Jansenio, neque se Libri ipsius defensionem suscipere. Sic illudebant. Neque enim quæstio erat de gratia sufficiente Moliniana, aut efficaci Thomistica, sed de efficaci sensu Jansenii, quam totis viribus tuebantur; tametsi, ne Pontifici displicerent, falsa, ut ait Author Historia generalis Jansenismi, unus ex præservidis Jansenii discipulis, prudentia fingeret se de Jansenio nullantenus esse sollicitos.

Præpositi generales Ordinum Prædicatorum, & Augustiniensium suppliæ Libellum Innocentio obtulerunt die 4. Maii ejusdem an. 1652. cum in finem, ut ante omnia juberet Pontifex disputationem de Auxiliis resu-

Tournely de Gratia. Tom. III. Pars I.

M

mi ab

Diaris
p. 6. l. 18.
p. 441.
G. seq.

Diaris
part. 6.
cap. 1.
G. 2.

Ib. c. 1.
p. 360.
col. 2.
p. 383.
col. 2.

Tom. 1.
p. 487.
seq.

Diar. mi ab eo ipso statu, in quo Paulus V. eam reliquerat. Quibus respondit part. 4 iterum Pontifex, velle se argumentum de Auxiliis intactum prorius remanere. Impulsu Jansenianorum id tentaverant dicti Generales: solent enim Janseniani, ubi res eorum ferunt, Thomistarum pallio sese involvere, eorumque opem implorare; unde tentata aliquando fuit inter ipsos firmanda unio, ac societas, ut inito fædere, junctisque viribus, pro quinque Propositionibus tamquam communī causa decertarent. Institutus eum in finem mediantibus Episcopis Grassensi D. Godeau, & Catalaunensi D. Vialart, celebris inter eos congressus, seu collatio mense Decembri an. 1651. sed exitu plane infelici; nusquam etenim consentire inter se potuerunt, sensibus omnino diversi. Rem totam narrat Auctor citatus Historiæ generalis Jansenismi. Inde est, quod Cardinali Barberino postulanti a D. Diar. p. 6 de S. Amour, cur Dominicanis se cum suis non adjungeret? reposuerit; e. 11. pag. 418. col. 1 Dominicani res suas gerunt, Augustiniani suas, Reipsa res suas separatim 1b. par. 5 gerebant, qui pro Jansenio erant deputati. Mense Augusto an. 1652. duo e. 7. pag. 282. Scripta distribuunt. In primo narrabatur, quidquid in causa quinque Propositionum gestum fuerat a die 1. Julii an. 1652. ac variis Propositio- seq. Relatio versæ Ecclesiæ Traditio super auctoritate doctrinæ Sancti Augustini. Vvadin.

gbi in Libro, ait Vvadinghus unus e Consultoribus in sua brevi Relatione de quinque Propositionibus, quam laudat auctor defensionis Ecclesiæ Romanæ aduersus Leydeckerum, tres Doctores Sorbonici, DD. Hallier, Lagaut, & Joisel, & de l'E- jussi sunt sedere in medio Consultorum, præcedentibus scilicet septem ex nobis, & glise Ro- sex sequentibus, omnibus in circuli forma. D. Hallier peroravit eruditè, & maine. P. 415. ferwenter contra doctrinam Jansenii, & sequacium. 2. Multa dixit contra eorum mores, & vitam. 3. Alia addidit, præsertim ex iis, quæ fecerunt Parisis contra Hibernos, & Sorbonam, provocantes ad Parliamentum; & demum instanter rogavit, ut Propositiones istæ condemnarentur. Hac de verbo ad verbum transcripta sunt ex dicta Vvadinghi Relatione.

Diar. Die 10. Martii an. 1653. Pontifex in prima Congregationum, quæ se part. 6. præsente habitæ sunt, palam declaravit, nolle se ullum omnino præjudicium inferri doctrinæ S. Augustini, & Thomæ.

col. 2. Pater Desmarest, & D. Manessier ad Pontificem supplices iterum accedunt die 4. Maji, importunius exoraturi publicum cum suis amulis Congressum, & Scriptorum contradictionem communicationem. Pontifex con- Ib. c. 18. p. 441. stanter renuit non ignarus, quid in ea postulatione consilii lateret, ad futuram, & nusquam terminandam discordiam. Promisit vero, se illis, quantum vellent, dicendi copiam facturum; ac insuper Memorialia, seu Scripta eorum, si quæ offerrent, mature expensurum.

Hac firma Pontificis resistentia Janseniani spe sua dejecti, tandem consenserunt sine partium adversarum commissione causam suam coram Pontifice agere. Illico quinque Scripta disponunt, quorum primum continebat centum, & aliquot Propositiones e Libris Jesuitarum extractas. Secundi titulus erat: *Brevissima quinque Propositionum in varios sensus distinctione.* Famosum est Scriptum illud, dictum trium Colimnarum, quod nempe Ib. c. 21. p. 451. & seq. variis sensus sub triplici linea seu columna referantur. In tertio Scripto fuse demonstrabant necessitatem efficacis a se gratiæ. Quartum destinaverant

Exponenda Traditioni circa verum, & Catholicum primæ Propositionis sensum. Quinto explicabantur sexaginta circiter S. Augustini loca ab Haliero, ejusque sociis producta contra primam Propositionem, & una defensio debatur Jansenius circa gratiam sufficientem, quam negare accusabatur.

*Inter
Collect.*
p. 100.

(Audite Jansenium accusatum ex una parte, defensum ex altera.)

Narrat de S. Amour, Diarii parte 6. c. 21. & 26. discordia nonnihil fuisse inter suos Collegas, an scilicet quinque Propositionum sensus Calvinianus, quem illi rejiciebant, dicendus foret proprius seu legitimus, an vero sensus gratiae ex se efficacis, quem propugnabant. Addit censuisse nonnullos, germanum, ac legitimum Propositionum sensum dicendum esse posteriorem, non autem priorem. Ratio hæc ipsis erat: quia cum verborum alicujus Propositionis sensus naturalis, ac rigorosus a nemine propugnatur, nullatenus dici debet legitimus ac proprius, sed potius alter, qui tametsi minus naturalis, & rigorosus, a probatis tamen Theologis defenditur. Sicut in multis figuratis Scriptura locis, sensus verborum legitimus, ac proprius non est sensus nativus magis ac rigorosus; sed ille dumtaxat pro vero ac legitimo debet haberi, qui est a Spiritu S. intentus. Porro legitimum dumtaxat ac verum, tametsi minus rigorosum, quinque Propositionum sensum, efficacis scilicet ex se gratiae, Jansenius, & Augustiniani defendant, non vero earumdem sensum magis naturalem, & rigorosum, nempe Calvinianum. Unde concludebant illi, quinque Propositiones in sensu, quem merito legitimum, ac proprium dicebant, propugnari debere, ut hac ratione Pontifex ab iis damnandis deterreretur.

Alios vero existimasse, dictas Propositiones, cum in terminis, & ut sonant, erroreas esse inter eos constaret, simpliciter deferendas, quamquam a nemine eo sensu defenderentur: ne forte, inquietabant, si propter sensum legitimum, quem referunt minus proprie, gratiae scilicet efficacis, defenderentur, adversarii Summo Pontifici persuadentes illas perverso sensu naturali ab aliquibus in Gallia defendi, earum impetrarent censuram; atque gratiam efficacem in eadem censura implicatam fuisse contendenter. Ipse vero de S. Amour, utpote prioris sententiae patronus, in quam ceteros pertraxerat, auctor fuit, ut in Scripto trium Columnarum, in fronte sensus Calviniani additum fuerit, illum Calvinianum nonnisi maligne affungi posse Propositioni, quem tamen legitime sumpta non habet.

Duo inde constant:

Primum, Jansenianos non tantum post, ut aliqui ex nostris opinantur, sed etiam ante Constitutionem Innocentii X. varios quinque Propositionum sensus distinxisse; quod certe manifeste demonstrant eorum Scripta in hunc finem ante ipsam Constitutionem edita, qualia sunt in primis: *Brevissima quinque Propositionum in Varios sensus distinctio*, seu Scriptum dictum trium Columnarum, Pontifici oblatum die 19. Maij an. 1653. Aliud editum an. 1648. dictum: *In nomine Domini*, quod ab his verbis incipiat. Alterum ejusdem anni, cui titulus: *Conditiones ad examen doctrinae de Gratia, oblate Facultati Theologica Parisiensi apud Sorbonas Kalendis Decemb. an. 1649*. Alterum denique, ut alia omittam, quod inscribatur: *Quinque Propositionum de Gratia, quas Facultati Theologica Parisiensi Magister Nicolaus Cornet subdole exhibuit ... vera, & Catholica expeditio*. Nemo nescit tum undecim Episcopos, tum ceteros omnes Jansenii defensores, ab ipso hujus controversiae exordio sa-

M. 2 pius



pius ac dure conquestos fuisse, quinque Propositiones ad invidiam doctrinæ SS. Augustini, & Thomæ verbis ambiguis, & æquivocis concinnatas esse, quæ varium in sensum adduci poterant? qui proinde ad omnem fraudem, & ambiguitatem removendam distingui, ac exponi deberet.

Alterum est: nonnullos e Jansenianis existimasse, Calvinianum quinque Propositionum sensum appellandum esse germanum ac legitimum, non vero sensum gratiæ ex se efficacis: alios econtra, quorum sententia prævaluit, voluisse sensum hæreticum Calvini alienum esse; sensum vero efficacis a se gratiæ, germanum ac legitimum inscribi debere. *De Propositionibus*, inquietabant in suo trium Columnarum Scripto, quod DD. de *Diar. par.* 6. c. 22. p. 469. col. 2. Lalane, Desnare, S. Amour, Mancier, & Angran subscriperant, non in sensu alieno ad quem trahi possent, quique a nobis respuitur, sed in sensu legitimo, qui a nobis defenditur . . . distinctum, & perspicuum judicium expectatur. Atque in decursu hujus Scripti, in fronte sensus hæretici seu Calviniani, monent, sensum illum maligne affungi posse Propositioni, quem tamen legitime sumpta non habet. Et in fine *Videt*, inquit alloquentes Pontificem, *Sanctitas vestra ex supra expositis, nullam de Calvinianis Lutheranisve hæresibus inter nos, & adversarios esse, aut fuisse questionem*. Sic illi ante Constitutionem sentiebant, & loquebantur; sed paucissimis post diebus lata Constitutione, de repente mutato consilio, sensus ille hæreticus Calvini, quem alienum, & extraneum dixerant Propositionibus, quique ipsis maligne dumtaxat affungi posset, subito ac mira scena conversione, factus est earumdem Propositionum sensus legitimus, verus ac germanus; sensus vero efficacis a se gratiæ, qui paullo ante erat germanus, ac proprius, degener factus est, & alienus. Ita levi manu, & ad nutum eorum, invertitur ac transformatur sensus Propositionum.

Verum ad hanc mutationem, & inconstantiam, quam merito centies in faciem Jansenianis exprobavere Orthodoxi, coagit dura necessitas, aut damnanda Jansenii doctrina, aut Constitutioni Innocentii X. aperte repugnandi. Neutrūm placebat: querendus ergo fuit sensus aliquis verus ac legitimus, in quem Censura deflecti posset, & cujus obtentu, Jansenianus eidem Censuræ subduceretur. Non aliud visus est aptior, quam Calvinianus, qui utrumque præstaret: hunc ergo, & legitimū, & solum censura notatum fuisse affirmavere.

Sic tamen declinare illi nusquam potuerunt unum e duobus gravissimis argumentis, quæ nostri adversarii intorquebant: scilicet, hæreticus Calvini sensus vel est legitimus, & proprius sensus quinque Propositionum, vel improprius, & alienus dumtaxat. Si improprius, qualis ipsis videbatur esse ante Constitutionem, ergo Pontifex damnavit improprium, & alienum eorum Propositionum sensum, proprio, & germano prætermisso. Quid absurdius? Si proprius, ut quid tanto æstu pugnabant pro defensione quinque Propositionum, quas sciebant sensu proprio seu hæretico Calvini, a nemine defendi; Si vero sensus legitimus ac proprius illarum Propositionum, alter est a Calviniano, ut estre ipsa (de illo etenim nullatunc quæstio) quis amabo, nisi Jansenianus? quem proinde, ut proprium, in ipsis proscriptum esse consequensest. Ergo cum istum sensum Janseniani, & ante, & post Constitutionem aperte propugnare int̄, imo & etiamnum propugnant, manifestum est, illos reos esse erroris in Constitutione proscripti. Atque hæc obiter ac

pro

pro re nata, de quibus postea fusiū. Historiæ series jam resumenda.

Die 19. Maij ann. 1653. Introducti sunt quinque Presbyteri Galli Sorbonici, qui partes tuebantur Jansenii, ait Lucas Vvadinghus in sua brevi Relatione jam citata, Primus qui cœpit perorare, pergit, Abbas de la Lane, incœpit a gravitate materiae: deinde processit ad laudes S. Augustini, ejusque inculcandam auctoritatem, in materia præsertim de Gratia: magnoque ardore retulit multas Propositiones a PP. Jesuitis, præsertim a P. Adamo in Libro nuper Parisi excuso contra Sancti Augustini doctrinam, vel scriptas, vel prolatas. Demum ad explicandos vel distinguendos varios sensus quinque Propositionum descendit, & in quo sensu ab ipso, a sociis, aliisque sibi adherentibus defendebantur, explicavit. In sensu hereticorum, docuit esse Calvinianas, aut Lutheranas. In sensu Jesuitarum, contendebat esse Pelagianas. In sensu altero, ab ipsis intento de Gratia per se efficaci, dicebat esse Catholicus. Monuit demum, instantiam Episcoporum Gallie non esse, ut absolute illæ Propositiones condemnarentur, sed ut, distinctis, & declaratis variis intelligentiis, in mala condemnarentur, in bona approbarentur. Observat de S. Amour Diarii part. 6. cap. 22. dictum D. de la Lane è cartha per horam integrum recitasse, quæ scripserat de brevissima quinque Propositionum in varios sensus distinctione; tum de reliquis quatuor Scriptis per sesquioram verba fecisse.

Secundo loco, pergit Vvadinghus, locutus est D. Desmarest Doctor Sorbonicus (dicere debuisset Gallicani Oratorii Presbyter) insignis Concionator, qui longissimo discursu voluit probare ex sexdecim capitibus, gratiam ex se efficacem; non vero ex assensu liberi arbitrii, neque ab illo ad nutu dependere. Incœpitque 1. ab Orationibus Ecclesiæ, in quibus conabatur ostendere, semper inculcari gratiam ex se efficacem. Dixit autem valde prolixè, modo concionatorio, semper in hæreticis in primo Capite; & dum ad secundum perveniret, supervenerunt noctis tenebrae, ita ut dissolvi oportaret Congregationem. Illi autem processerunt ad pedes Sanctissimi Domini, obtulerunt ei varia Scripta. & Libros in suæ causæ patrocinium, quos benigne auditos sua Sanctitas dimisi post quatuor horas iædiosæ sessionis. Hæc Lucas Vvadinghus Jansenianis minime suspectus.

Frustra, nec non insidiose Janseniani conabantur Pontificem inducere ad distinguendos, & expendendos varios illos sensus; quos ipsi in suo trium Columnarum Scripto distinxerant. Præterquam quod enim die dumtaxat 19. Maij an. 1653. idest undecim ante latam Constitutionem Innocentii diebus, cum jam præmisso longo per duos annos integros examine parata foret, nec differri posset sententia, Scriptum illud de distinctione sensuum obtulerunt, intempestiva prorsus videbatur illa distinctione sensuum, quæ rem totam longe magis implicasset, quam illustrasset. Succrescentibus quippe in dies majoribus contentionibus circa unamquamque ex propositis expositionibus, circa ipsarum verba singula, circa genuinam auctorum mentem, circa personales rixas, expediri nusquam, ac terminari potuisset istud examen, quod unum quidem in votis habebant Janseniani. Multo ipsis Pontifici facilius fuit unicum, simpli- cem, obvium, & naturalem (de quo uno agebatur) quinque Propositionum sensum, quam triplicem illum novis, & ambiguis vocibus implicatum dispicere.

Frustra iidem contestabantur, se unice sensum efficacis a se gratiae in his quinque Propositionibus defendere; suos vero ad versarios hunc unicum evertere conari. Novæ profectio artes, & insidiaz, ut Pontificis animum alio distraherent. Neque enim movebatur quæstio de gratia vel efficaci a se, vel

Rel.
Vvad.
P. 427.

Molinæ sensu versatili: Eo enim ipso tempore, quo servebat de quinque Propositionibus ab Episcopis Gallicanis ad Pontificem delatis contentio; Praepositus Generalis Societatis Jesu nomine Piccolomini, in nona Congregatione Generali sui Ordinis, quæ tunc agebatur, Decretum Aquavivæ latum an. 1613. contra gratiam efficacem ex puro voluntatis consensu renovavit; & ipsem Hallerius cum suis sociis, Scripto, quod decem ante mensibus Cardinalibus obtulerat, demonstraverat, seposito sensu gratiæ per se efficacis (quem ipse propria sententia tuebatur) aut versatilis, quem a multis Doctoribus Catholicis refutari profirebatur, Propositiones quinque Diarii: merito damnari, ob enim naturalem, & obvium sensum, quem habent p. 284. in Libro Jansenii. Scriptum illud refert de S. Amour Diarii part. 5. cap. 8. & seq. Et nos hic, quia breviter, ac dilucide rem totam exponit, transcribemus.

PRIMA PROPOSITIO.

Scriptum Aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus, & conantibus secundum D. Hal. præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque iis gratia, quæ leviori possibilia sunt. Jansen. Lib. 3. de Gratia Christi cap. 13.

Diar. Sensus est: Mandata Dei hominibus justis, qui præcepta divina transgrediuntur, esse impossibilia defectu auxilii sufficientis, quo possint eadem adimplere, vel necessariam ad ea implenda gratiam petere,

Nota per has voces (defectu auxilii sufficientis) non intelligi gratiam illam versatilem, quæ modo effectum suum habet, modo non habet, quæ a multis Doctoribus Catholicis refutatur: sed intelligi gratiam, quæ vere facultatem tribuat iusto, aut implendi præceptum, aut petendi gratiam necessariam ad illud implendum; ita ut per eam iusto inexcusabilis reddatur, quando præceptum transgreditur,

SECUNDA PROPOSITIO.

Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nusquam ressiftur.

Sensus est: in statu naturæ lapsæ nullam esse gratiam Christi actualem internam in voluntate residentem, cui voluntas humana de facto dissentiat.

Nota hic non attingi doctrinam Sancti Augustini de gratia efficaci a se. Aliud est enim asserere Sanctum Augustinum admisisse aliquod genus gratiæ, quæ infallibiliter effectum suum consequitur, & a nullo duro corde respuitur; aliud asserere Sanctum Augustinum nullam aliam gratiam præter efficacem admisisse, quæ sufficiens sit. Primum Catholicum est; secundum, non nisi a Calvinio, eisque sequacibus fuit assertum.

Quod Sanctus Augustinus gratiam aliquam sufficientem admiserit, patet ex iisdem, quibus dicit Deum iusto non præcipere, nisi possibile, nec iustum deferere, priusquam ab ipso deseratur. Nam cum mandata Dei non reddantur possibilia, nisi per gratiam, & iusti non semper mandata Dei obseruent, sequitur, eos aliquando actu, & de facto gratiæ Dei resistere.

Non itaque hic agitur de gratia sufficiente versatili statuenda, quæ modo effectum suum habeat, modo non habeat: sed tantum in genere queritur, utrum verum sit in statu naturæ lapsæ nullam dari gratiam, quæ vere sufficiens sit.

TERTIA PROPOSITIO.

Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in bo-

in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

Sensus est: ut actio, quæ meritaria, aut demeritoria est, libera censeatur, non requiritur, ut fiat cum indifferentia, sed sufficit modo voluntarie, & sine coactione fiat.

Hac autem sententia eadem est ac Calvini, qui nunquam eo sensu negavit liberum arbitrium, quasi actiones nostræ voluntatis non essent voluntariæ, sed eo sensu, quod negaret nobis inesse indifferentiam ad utrumlibet.

QUARTA PROPOSITIO.

Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellet eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

Propositionis hujus duæ sunt partes: Prima est facti; utrum scilicet Semipelagiani admiserint gratiam necessariam ad initium fidei.

Secunda, utrum hæreticum sit dicere gratiam actualem Christi talem esse; cui posset humana voluntas consentire, vel dissentire.

Neque enim attingitur quæstio hic de gratia efficaci a se, aut a consensu, quia utriusque opinionis assertores fatentur, quod gratiam Dei possimus abjicare, juxta Cont. Trid. Sess. 6. cap. 5. sed tantum queritur, utrum gratia in statu naturæ corruptæ talis sit, ut necessitatem inferat voluntati, adeo ut ei non possit dissentire; quod nullus Catholicus unquam admisit.

Hec Propositio, supposita aliarum falsitate, necessario debet falsa judicari. Nam si impossibilia nunquam sunt Dei præcepta justis defectu gratiæ sufficiens, cui actu resistunt, sequitur posse gratiæ resisti: nam ab actu ad posse valet consequentia. Secundo, si certum sit ad meritum requiri indifferentiam; cum actio, qua gratia Dei consentimus, sit meritaria, sequitur consensum ei præberi cum indifferentia, ac proinde cum potentia dissentendi.

QUINTA PROPOSITIO.

Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut Sanguinem fudisse.

Duo queruntur circa hanc Propositionem.

I. Quid de ea sentiendum, quatenus notam hærefis affingit communi Catholicorum Theologorum sententia, quæ asserit Christum pro omnibus omnino mortuum esse.

II. Quatenus ex mente Jansenii, Christus non pro omnibus sed pro prædestinorum salute tantum mortuus est; ita ut omnibus, reprobis negata sint auxilia sufficientia, quibus possint salvari.

Hoc sensu examinata Propositione, intactæ relinquuntur difficultates, quæ occurunt circa infantes sine Baptismo decedentes, aut infideles, aut obduratos. Nam qui dicit Christum non pro solis prædestinatis esse mortuum, non dicit consequenter pro quolibet reprobo in particulari mortuum esse, sed sufficit, quod pro aliquibus saltem mortuus sit.

Quod autem pro justis saltem non perseverantibus mortuus sit, patet ex Conc. Trid. ubi definit, justis mandata Dei non esse impossibilia, quia Deus iis gratiam necessariam suppeditat. Si enim possunt observare mandata, possunt salvari, at non nisi ex meritis Christi. Idem Sess. 6. cap. 3. Verum,

tametsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt. Ergo Christus pro iis etiam mortuus est, qui beneficium non recipiunt; at illi non alii sunt, quam reprobri.

Hactenus Hallerius, & quidem apposite ad vana Jansenianorum consilia, in suo de distinctione sensuum Scripto disturbanda. Nihil etenim commune habet quinque Propositionum censura Jansenii sensu, quem illi asserebant, cum dogmate efficacis a se gratia sensu Thomistico, pro quo simulabant se dumtaxat esse sollicitos, & quem re ipsa cum Magistro suo fugillabant. Et vero Anonymus ille Scholæ Thomisticae Theologus, cuius observationes in vota seu suffragia Consultorum edidit de S. Amour inter Collectanea sui Diarii pag. 173. observat in Præfatione, omnes pene Consultores Disr. p. doctrinam gratiae per se efficacis, quæ maxime, inquit, nostræ Scholæ propria 173. c. 2 est, omnibus locis Catholicam, Orthodoxam, veram esse prefiteri. Atqui tamen Consultores illi, paucis exceptis, censuerunt delatas quinque Propositiones etiam Jansenii sensu censuram mereri. Ergo persuasum illis erat, gratiam a se efficacem sensu Jansenii, longe diversam esse ab ea, quæ propria est Scholæ Thomisticae. Detracta igitur larya illa efficacis a se gratiae Thomisticae, qua Janseniani quinque Propositiones obtegebant, ut a censura defendarent, nuda remanet efficax Jansenii sensu gratia, id est gratia victrix per superiorem, ac relativam delectationem, in qua certe totius Janseniani systematis virus reconditur.

Quinque Propositionum in Romano examine sensu Jansenii facta discussio.

Quam religiosum, diligens, ac severum Romæ præmissum fuerit de quinque Propositionibus examen, demonstrant apertissime, præter plures Cardinalium inter se Collationes prius habitas, tringinta, & sex illæ publicæ eorumdem Cardinalium, & Consultorum simul Congregationes, in quibus præsente Pontifice (saltem undecim postremis) per duos annos integros longa, & matura discussione, ait Vvadinghus in sua Relatione p. 428. ventilatae fuerunt. Sed quid hæc ad Jansenium, inquires, si verum sit, quod tam confidenter asseverant ejus discipuli, illas Propositiones discussas non fuisse in Libro, & sensu Jansenii, sed absolute in se; seu, ut loquitur Vvadinghus, in abstracto, sicut jacent, absque ullo respectu ad Auctorem Relatio-
nis. Vvad-
ding. p. rem. Quam putidum sit figmentum illud, ac splendidum mendacium, demonstro ex Episcopis delatoribus; ex Memorialibus seu Scriptis con-
tendentium partium; ex sententia Consultorum; ex Judicio SS. Pontifi-
cum; ex Clero Gallicano; denique ex manifesta, & invicta ratione.

I. Episcopi Gallicani 85. in sua ad Innocentium X. Epistola, quinque denunciant Propositiones, non in abstracto, nec sine ullo ad auctorem respectu, sed Propositiones Jansenii, adversus quem Urbanus VIII. jam pronunciaverat: propter quas vehementissimis turbis perturbatam fuisse Galliam asserunt. Ipsi ex altera parte undecim Episcopi, non de alio, quam Jansenii sensu revera solliciti erant, quamquam eum appellare non auderent; ne forte in invidiam apud Pontificem vocarentur, si Librum jam proscriptum defendere viderentur.

II. Memorialia seu Scripta D. Hallier, & sociorum ejus, apertam continebant mentionem Jansenii, cuius doctrinam in quinque Propositionibus expressam damnari postulabant. Diarii part. 5. cap. 9. affirmat de

S. Amour

S. Amour se vidisse, & transcriptisse Scriptum Hallerii, cui titulus erat: *Diar. Damnatio quinque Propositionum ex Jansenii Libris excerptarum*. Idem par. 6. p. 296. cap. 5. aliud ejusdem Hallerii Scriptum refert, in quo demonstrabatur quinque Propositiones ex Libro Jansenii extractas esse, designatis, & indicatis locis, unde extractæ sunt. Ibidem cap. 6. refert colloquium, quod dictus D. Hallier habuit cum Generali Dominicanorum circa doctrinam *p. 384.* Jansenii. Lege paginas Diarii de S. Amour 150. 151. 159. 161. 165. col. 2. 166. 167. 188. 209. & 226. in quibus meridiana luce clarius apparet, actum esse Romæ de quinque Propositionibus sensu Jansenii. Ipse denique Pater Vvading. in sua brevi Relatione antea laudata, narrat D. Hallier eruditæ ac ferventer in Confessu Cardinalium, & Consultorum, contra doctrinam Jansenii, & sequacium perorasse.

Ex altera parte, deputati pro Jansenio, quamquam eum appellare raro auderent, ejus tamen doctrinam defendere se, tacito sèpius ipsius nomine, aperte profitebantur. Quid enim aliud indicat hic titulus primæ Propositionis, in Scripto trium Columnarum præfixus. *Prima Propositio a loco suo dolose avulsa*. Unde avulsa? nisi a Jansenio. Sic vel ipsi Janseniani argumenta suppeditant, quibus constat de Propositionibus ex Libro Jansenii avulsi, seu extractis actum fuisse. Candide id agnoscit, & ipse mox citatus Vvading. *Die 19. Maii 1653.* inquit, *introducedi sunt quinque Presbyteri Galli Sorbonici, qui partes tuebantur Jansenii*. Et vero, in Scriptis, quæ ante Constitutionem ediderunt, & Romæ distribuerunt, *Diar. p. aperte Jansenii defensionem suscipiunt*. Lege inter alia, Scriptum: *In nomine Domini. Et aliud, cui titulus: Quinque Propositionum de gratia, &c. Collect. vera, & Catholica expositio*.

III. Inter illa undecim Memorialia, quæ Generalis Dominicanorum Pontifici offerre debebat in gratiam quinque Propositionum, quatuor erant, fatente ipsomet de S. Amour, in quibus de sensu Jansenii agebatur. Pariter Generalis Augustinensium in eo Memoriali, quod circa easdem quinque Propositiones paraverat, non semel de Jansenio loquebatur. In illis etiam Scriptis, quæ Dominicani ad informandum Cardinalem Roma elaboraverant, sèpissime mentio fit sensus Jansenii: adeo verum est, de illo controversum, ac in Romano examine actum fuisse. *Ib. par. 5. 386.* Ipse denique S. Amour, refert sibi Romæ dictum fuisse, quod rem eamdem moveret, de qua pridem egerant DD. Synnich, & Bourgeois. Iti porro, ut notum est, de Jansenio egerant.

IV. Ipsimet Consultores, tribus exceptis, tum primum suis in suffragiis, ut legere est, de Propositionibus in sensu Jansenii, differunt, ac pronunciant. Ipsimet Vvadinghus, Magister S. Palatii, & Commissarius S. Officii, de quibusdam ex his Propositionibus in ordine ad Jansenium judicium subinde protulerunt, licet in primis Congregationibus, illas, habita textus Jansenii ratione, non expendissent. Hac nos tum ex Vvadingho, tum ex Jansenismi Historiæ Scriptore, utroque Jansenianis non suspecto accepimus. Notandum porro, in sex ex iis suffragiis Consultorum, quæ inter Collectanea edidit de S. Amour, omessa fuisse circa unam primam Propositionem verba hæc, *in sensu Jansenii*, quæ tamen in autographo dictorum suffragiorum extare testatus est 1. Junii anni 1657. coram Congregatione D. Vizzani S. Officii Assessor.

V. Innoc. X. & Alexander VII. de quinque Propositionibus in sensu Libri Jansenii pronunciarunt, quorum Constitutiones, ut dicemus postea, qui subsæcuti sunt, Pontifices approbaverunt, & confirmarunt. Refert de S. Amour Innocentium X. Card. Pimantel roganti, ut ad gravitatem rei attenderet, respondisse, omnia mature discussa fuisse; ac compertum, quinque Propositiones nihil habere commune cum doctrina SS. Augustini, & § 28. ac Thomæ, atque prorsus expedire, ut notaretur doctrina Libri Jansenii: Alexander vero VII. Brevi ad Vicarios Generales Archiepiscopi Parisiensis dato die 1. Augusti an. 1761. eos graviter increpat, quod asseruissent in suo publico Mandato, non minus temeraria, quam mendaci narratione, tempore Innocentii X. non aliud factum fuisse, quam inquisitum, an Propositiones illæ quinque de gratia veræ, & Catholicae, an potius false, & hereticæ censenda forent. Cum eo tempore, ait Alexander, nedum de Propositionibus ipsis cognitio habita fuerit, verum quod e Jansenii Libro August. nuncupato extractæ essent. Tamquam testis oculatus loquitur Pontifex, qui sub Innocentio X. particeps fuerat eorum omnium, quæ in causa quinque Propositionum Jansenii gesta fuerunt.

Recueil des Bulles p. 172.

Adde. Episcopos Gallicanos in Comitiis generalibus anni 1654. agnoscisse, ex verbis ipsis Bullæ Innocentii invicte demonstrari, quinque Propositiones in sensu Jansenii damnatas esse. Ita narratur in Relatione deliberationum Cleri Gallicani pag. 9. & 10. ultimæ editionis.

VI. Denique, vel in examine Romano discussæ fuerunt quinque Propositiones sensu Jansenii, vel sensu Calvinii, qualis in prima columna Scripti de distinctione sensuum exhibetur. At istud postremum, quod contendunt Janseniani, tam absurdum est, ut nihil magis, tum quia de sensu Calvinii nulla prorsus fuit tunc temporis excitata questio, cum nullus esset, a quo defendetur, tum quia prorsus ridiculum est asserere, per duos annos integrlos tam sollicite, tam operose de sensu illo inquisitum ac controversum fuisse, qui, si Jansenianis fides, obvius est ac naturalis Propositionum sensus: qui certe cum a Trid. Conc. sufficienter damnatus fuisse, tam longum ac molestum haud dubie non postulabat examen: tum quia de illo agebatur sensu, qui, patentibus Jansenianis, nonnisi a viris in Theologia versatissimis dignosci potest; de quo necesse erat publica in disputatione audiri partes dissidentes; qui cum dogmate gratiæ a se efficacis intime conjunctus est, & Thomisticae Scholæ proprius; qui ut apprime notari posset, censuerat in prima Congregatione Card. Spada, iustranda esse quæcumque sub S. Pio V. & Gregorio XIII. in causa Baji; & sub Urbano VIII. in causa Jansenii acta fuerant; quem denique aliqui e Consultoribus a censura vindicabant. An quæsto hrc in sensum Calviniamum cadere possunt? An tam profunda rerum Theologicarum scientia opus est, ut erroneous ille sensus detegatur? An quisquam erat inter Episcoporum deputatos, qui sensum illum defenderet, & idcirco in publica Congregatione a suis æmulis redarguendus audire deberet? An Calvinianus sensus proprius est Scholæ Thomisticae, & cum dogmate gratiæ per se efficacis intime conjunctus? An de sensu Calvinii actum fuit tempore S. Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. An denique nonnulli e Consultoribus s. Propositiones in sensu Calvinii a censura vindicarunt? En angustiæ, ineptiæ, & absurditatibus, ad quas Jansenianos cœcum defendendi Libri Jansenii studium pertraxit.

Verum, inquies, nonne Innoc. X. saepius declaraverat Deputatis pro *Diar.*
Jansenio, nolle se omnino, ut de Jansenio mentio fieret? Nonne Card. Spada, *p. 4. c. 2.*
DD. de Lalane, & de S. Amour dixerant, Propositiones considerari praece in p. 178.
Congregatione secundum se ipsas, abstrahendo a sensu unius vel alterius? (*Diarii*
par. 5. cap. 7.) Nonne Vincentius de Pretis Commissarius S. Officii, suf-
fragium ferens circa primam Propositionem, asseruit eam propositam fuisse sionis.
in abstracto, ut praescindit ab omni proferente? Nonne idem de omnibus
Propositionibus affirmavit Vvadinghus in sua brevi Relatione de quinque
Propositionibus? Nonne denique Innoc. X. in sua Constitutione ait, pri-
mam Propositionem jam anathemate damnatam fuisse? Et Episcopi 85.
in sua ad hunc Pontificem Epistola dicunt, motus illos (circa 5. Propositio-
nes) sedari oportuisse Conc. Trid. auctoritate.

Quæ certe omnia eo manifeste tendunt, de sensu nempe Calvini in
quinque Propositionibus expresso, & jam anathemate percusso, contro-
versiam dumtaxat tunc temporis fuisse. Quod etiam nonnullorum judi-
*cio (referente de S. Amour) verbum ipsum *declaramus*, quo Innoc. X.
in sua Constitutione utitur, demonstrat. Non enim, inquietabant, constituit
novum jus, & censuram, sed tantum confirmat, & stabilit jam factum, &
*stabilitum.**

Deplorata profecto caussa est, quæ tam infirmis nititur præfidijs. Jus-
sit equidem Pontifex nullam de Jansenio fieri mentionem. Sed quo con-
silio? Nempe ut postposita Urbani VIII. Constitutione, qua Liber ipsius
proscriptus jam fuerat, ab omni errore non purgaretur, sicut eum pur-
gare tentaverant Janseniani. Ipse vero Innocentius nonne Jansenium no-
minatim appellavit, tum cum Cardin. Pimantel ferendæ Constitutionis
consilium aperuit, tum ipsamet sua Constitutione?

Quando Card. Spada Abbat de Lalana, & de S. Amour dixit, quin-
que Propositiones in Congregatione secundum se ipsas considerari, ab-
strahendo a sensu unius vel alterius, non excludebat sensum Jansenii,
sed varios dumtaxat sensus Calvini, gratia efficacis Thomistica vel Mo-
liniana, quos Janseniani in dictis Propositionibus distingui debere con-
tendebant: quibus tamen sepositis, recte obstendebat Hilarius, Scripto
antea relato, quinque Propositiones censuram mereri. Idem sensus est
Vincentii de Pretis, & Lucae Vvadinghi.

Et certe sic ipsem Vvadinghus initio suæ Relationis loquitur: *Exortis,*
& crescentibus in dies tumultibus in Belgio, deinde in Gallia, mox in Polonia, qui-
busdam acriter invehentibus in doctrinam, Librumque Jansenii, Augustinus nun-
cupatum, aliis ex adverso illum mordicus defendantibus, venerunt a Lutetia Do-
ctores Sorbonici causam utrinque prosecuturi. Ergo de Libro, & doctrina Jan-
senii, ac Propositionibus ex illo extractis, & in sensu ab auctore inten-
to, agebatur, non de Propositionibus in seipsis, & in abstracto spectatis.
Quod si duo vel tres contrarium asseruerint, deserendi illi sunt, quorum
certe auctoritas prævalere non potest tot certissimis, quæ prolata sunt,
testimoniis; quæ quidem eo plus momenti ac ponderis habent iis, quæ
ab adversariis nobis opponuntur, quod haec postrema, & numero pauca
sint, & eorum, qui ipsis apertissime favent, ac proinde in propria sua
causa; alia vero ex ipsamet adversariorum confessione, maxima ex parte
habeamus. Quibus per modum coronidis non possumus, quin addamus,
quod

quod ipse candide profitetur D. de S. Amour Diarii par. 6. c. 2. in fine; ubi Dominus de Sainte Beuve conquerenti, quod in Scripto trium Columnarum, in fronte prime columnæ, seu sensus Calviniani, dictum fuisse, ipsum esse sensum, quem propositio legitime sumpta non habet (quasi sensus efficacis a se gratia est legitimus ac proprius,) respondent, ea duantaxat ratione sensum gratia ex se efficacis dictum fuisse in Scripto trium Columnarum, sensum proprium ac legitimum quinque Propositum, quia hunc Jansenius unice in suo Libro exprimit. Ergo vel ipsi Janseniani, dum persuadere volunt actum non fuisse de sensu Jansenii, inscriptionem sui trium Columnarum Scripti vindicare non possunt, nisi per ordinem ad Librum Jansenii, quem unum, ut defenderent, præ oculis habebant.

Innoc. X. merito asseruit primam Propositionem anathemate percussum jam fuisse, in Bajo scilicet, & in Calvino. In Bajo quidem, eo ipso sensu, quem Jansenius renovavit, sed qui in Bullis S. Pii V. & Gregorii XIII. nulla speciali nota perstrictus fuerat. In Calvino, sed alio plane sensu a Janseniano. Calvinus impossibilia dicebat etiam viris sanctis Dei mandata cum gratia maxime efficaci, nimurum propter adhaerescensem omnibus eorum actionibus concupiscentiæ labem; Jansenius vero docet esse impossibilia, quia cum minor est gratia delectatio, fieri non potest, ut majorem, & oppositam vincat concupiscentiæ delectationem. Atque ita eadem Propositio dici potest damnata, tum duro ac rigido Calvini sensu, tum sensu Jansenii paullo mitiori ac magis temperato, quomodo in Semitarianis Ariana, & in Semipelagianis Pelagiana hæresis iterum damnata dici merito potest.

Quanquam re ipsa, prima illa Jansenii Propositio, in proprio ac rigoro verborum sensu ad sensum Calvini revocari non potest. Propositio quippe agit de aliquibus præceptis, & de aliquibus justis volentibus atque conantibus: Calvinus autem omnia præcepta quibuscumque justis impossibilia esse contendit. In tertia pariter Propositione mentio fit meriti: ac certum est Calvinum nullum in homine agnoscere etiam ex gratia meritum. Igitur non Calvini, sed Jansenii sensus examini tunc temporis Romæ subjectus fuit; nec quinque Propositiones in abstracto, seu ut jacent in seipsis, expensa sunt, sed prout sunt in Jansenio. Ea enim ipsa ratione Romæ discussæ sunt, qua fuerant sacrae Facultati Parisiensi oblatæ, ut discuterentur; at certum est ex ipsiusmet Jansenianis oblatas illas fuisse Facultati tamquam extractas ex Jansenio, ejusque sensu prescribendas. Sic illi loquebantur in famoso Scripto, *In nomine Domini*, pag. 10. Cum norint omnes, Magistros egregios delectos esse ad Thesim propositionem non ut per se sonat, sed ut jacet, Jansenio accuratius examinandam, videant sedulo, ne quid durius in eam pronuncient, quod hac in parte sanissimam Jansenii Theologiam notet, aut perstringat.

Supina est rerum Theologicarum ignorantia, vim facere in verbo, declaramus, quo Pontifex in sua Constitutione utitur. Quasi ignoret, vel unius diei Theologus, Ecclesiam fidei dogmata non constitutere, sed ea, quæ in verbo Dei scripto, vel tradito expressa esse Deo aspirante cognoscit, declarare, & ad credendum fidelibus proponere. Cum igitur Ecclesia novos errores proscribit, ac declarat a fide alienos, declaratio quidem nova est, at fidei veritas declarata, nova non est, sed ipsi Ecclesiæ coœva,

Judicium Romanum de quinque Jansenii Propositionibus.

Celebratis duorum annorum spatio triginta, & sex Congregationibus ; præmissa, inquit Vvadinghus, longa, & matura discussione causa Jansenii ea diligentia, qua major desiderari non posset, ait Alexander VI. discussa est : ac tandem Innoc. X. die ultima Maji an. 1653. Constitutionem edidit, in qua singulas Propositiones variis affectas censuræ notis, condemnat . Cum, inquit Pontifex, occasione impressionis Libri, cui titulus: Augustinus, Cornelii Jansenii Episcopi Irenensis, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præser-
tim in Galliis, controversia super quinque ex illis: complures Galliarum Episcopi apud nos institerunt, ut easdem Propositiones nobis oblatas expenderemus, ac de una-
quaque eorum certam, & perspicuam ferremus sententiam. Tum relatis quinque Propositionibus, sic pergit: Pro rei gravitate coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus ad id specialiter sapienter congregatis, a pluribus in sacra Theologia Magistris easdem quinque Propositiones fecimus sigillatim diligenter examinari, eorumque suffragia, tum voce, tum scripto relata mature consideravimus, eosdemque Magistros, variis coram nobis actis Congregationibus, prolixe super eisdem, ac super eorum qualibet differentes audivimus. Cum autem ab initio hujuscemodi discussionis ad divi-
num implorandum auxilium, multorum Christi delictum preces, tum privatim, tum publice indixissimus, postmodum iteratis eisdem ferventius, ac per nos implorata S. Spiritus assistentia, tandem divino nomine favente, ad infrascriptam devenimus declarationem, & definitionem. Tum unamquamque Propositionem spe-
ciali nota perstringit. Primam declarat esse temerariam, impiam, blasphemam,
anathemate damnatam, & hereticam, & uti talem damnat.

Secundam, ut hereticam.

Tertiam pariter, ut hereticam.

Quartam, falsam, & hereticam.

Quintam, falsam, temerariam, scandalosam: & intellectam eo sensu, ut Chri-
stus pro salute dumtaxat Prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, con-
tumeliosam, divinae pietati derogantem, & hereticam declarat, & uti talem
damnat.

Constitutionem hanc suam cum Epistola sua Brevi ad Regem Christianissimum Innocentius transmisit, die ultima Maji ejusdem anni, sicut & ad Imperatorem, ceterosque Catholicos Orbis universi Reges. Transmisit & ad Episcopos Gallicanos, ipsis gratulatus quod in tam gravi controversia ad Petri Sedem confugissent. Rex Christianissimus pro suo in tuenda Religione studio ac indefessa vigilantia, jussit dictam Constitutionem in Regno suo promulgari, & ad Facultatem Theologici Parisiensem deferri: quam Facultas eo, quo par erat, reverentia, & obedientia sensu admisit, decreta expulsionis a suo Ordine pena ad-
versus rebelles ac contumaces, si qui forent.

Episcopi Gallicani eodem anno congregati, Præside Cardinale Mazarino, sollemniter ac communi omnium plausu Innocentii Constitutio-
nem exceperunt, datis ad Pontificem Literis die 15. Julii, quibus &
gratias referunt, & gratulantur ipsi, quod pro sua auctoritate, gracili
pesti, & certissimam perniciem allatura obstitisset. Optata, inquit
peruenit ad nos tandem Constitutio illa, quæ vestrae Sanctitatis auctoritate quid
fentiendum sit de controversiis quinque Propositionibus, quæ sunt excerptæ e p. 32.
Rec. p. 88. Relat.

Cor-

Recueil
des Bul-
les, p. 76.

Cornelii Jansenii Irenensis Episcopi Libris, perspicue decernitur. Excitatae in Belgio contentiones flagrabant etiam in Galliis, & latissimum incendium per universas Ecclesiae partes minabantur, ni pesti grassanti, & certissimam perniciem allatura obstitisset Beatitudinis vestrae indefessum studium, & ex alto petita potestas, quæ sola acerrimam illam animorum collisionem compescere poterat... Quo in negotio illud observatione dignum accidit, ut quemadmodum ad Episcoporum Africæ relationem, Innoc. L. Pelagianam hæresim damnavit olim, sic ad Gallicanorum Episcoporum consultationem, hæresim ex adverso Pelagianæ oppositam, Innoc. X. auctoritate sua proscripterat. Enim vero vetuste illius ætatis Ecclesia Catholica, sola Cathedra Petri communione, & auctoritate fulta, quæ in Decretali Epistola Innocentii ad Africanos data elucebat, quamque dein Zozimi altera ad universos Orbis Episcopos Epistola subsecuta est, Pelagianæ hæresis damnationi absque cunctatione subscripta. Perspectum enim habebat, non solum ex Christi Domini nostri pollicitatione Petro facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematismis adversus Appollinarium, & Macedonium, nondum ab illa Synodo Oecumenica damnatos, a Damaso paullo ante jactis, Judicia pro sanctienda regula fidei a S.S. Pontificibus lata, super Episcoporum consultatione (sive suam in actis relationis sententiam ponant, sive omittant, prout illis collibuerit) divina æque, ac summa per universam Ecclesiam auctoritate niti: Cui Christiani omnes ex officio, ipsius quoque mentis obsequium praestare teneantur. Ea nos quoque sententia ac fide imbuti, Romanæ Ecclesiae presentem, quæ in Summo Pontifice Innocentio X. viget, auctoritatem debita observantia colentes, Constitutionem divini Numinis instinctu a Beatitudine vestra conditam, nobisque traditam... & promulgandam curabimus in Ecclesiis ac Diocesibus nostris, atque illius executionem apud fidèles populos urebimus.

Jansenii defensores hac Innocentii Constitutione velut fulmine percussos, hærere primum attonitos, tum collectis animis eam aut maligne lassessere, aut eludere. Juvat hic Apostolicæ hujus censuræ aequitatem, ad severiores juris regulas exactam, a Jansenianorum cavillationibus vindicare.

Constitutionis Innocentii X. aequitas vindicata.

In externis dumtaxat Constitutionis Innocentii caussis hic hæremus: rem vero ipsam, seu doctrinam illa Constitutione proscriptam jam non expendimus, quæ eo ipso merito proscripta censenda est, quod aequissimum fuerit, & ad omnes juris regulas accuratissime exactum Romanum de quinque Jansenii Propositionibus Judicium. Solent autem, ut plurimum, qui judicio contendunt, judices ipsos, pendente lite, effusis laudibus sibi demereri; ea perdita, procacius lassessere. Janseniani vero, non tantum post, sed etiam ante latam damnationis sententiam, tum ex dolore amissæ, tum ex metu suæ amittendæ caussæ, Romanum istud judicium deprimere, ac maligno dente arrodere non errubuerunt. Si *Diarit. Pontifex*, ajebat de S. Amour, non concessa prius sollemni ac publica Congregatio, in qua partes adversæ redarguentes audiantur, quinque Propositiones damnaret, eo ipso sententia informis, & inauditæ esset; contraria omnibus juris regulis, Lib. pag. ac nulla omnibus viris cordatis, & sapientibus indignationi futura. Ibidem c. 8. 130. col. 3 postulant: Regis Christianissimi Legato, an future definitioni Janseniani acquiescerent, reponebat idem de S. Amour, ita quidem fore, si definitio ad

præscriptas Ecclesiæ leges conderetur, fin vero iis omissis, a D. Albizzi, aut aliis ib. p. 399
bus farinæ hominibus æque ignaris, malevolis, & a nutu Jesuitarum pendi- col. 1.
bus fieret, nequaquam se cum suis obsecuturum. Ita se in mandatis habere ab Epi-
scopis, quorum erat deputatus. Et p. 6. c. 8. ait: Institutam a Pontifice Congre-
gationem Cardinalium non respondere aut rei gravitati, aut dignitati eorum, qui
ad Sedem Apostolicam configuerant, nec juris regulam sequi. Et c. 11. ait, Ponti-
ficem eo in negotio omnia humana præsidia veritati detegendæ necessaria prouersus
neglexisse. Et par. 3. c. 6. minus e Jansenii defensoribus dicebant: Si præcipiti
ib. p. 122
col. 1.
judicio quinque Propositiones damnarentur, visurum se quid factò esset opus. Ec-
clesiam regulam esse, ac expendendum fore, quinam Pontifices ad verum proprius
accesserint, an Innoc. X. an qui eum præcesserunt. Ita Janseniani præ mo-
deratione ac modestia Christiana docilem induerant erga Pontificem ani-
mum, cuius futuram, quam timebant, & totis viribus avertere cona-
bantur, definitionem jam tum sugillabant. Ita prompti ad obsequium,
si Pontifex eorum votis primus obsequeretur, vel abstinentia a ferenda
sententia, vel quinque Propositiones absolvendo a censura. Sin minus,
& Pontifices, & Cardinales, & Consultores, & omnia quæcumque eo in
judicio definita, factaque fuissent, flocci facienda, nulloque loco habenda.

Quamquam vero passim, ac data occasione, jam præoccupata fuerint
a nobis convitia, & maledicta, quibus Romanum istud de quinque Pro-
positionibus judicium infamant, non pigebit ea in unum collecta hic
resumere, ac paucis confutare.

Ad hanc porro capita revocantur.

Ad Cardinales, & Consultores, qui discutiendis quinque Propositi-
nibus præpositi fuerint.

Ad formam Congregationum.

Ad rem ipsam, quæ in controversiam vocabatur.

Ad Pontificem, qui prænunciavit.

Ad firmitatem latæ definitionis.

I. Sollemnis iste semper fuit mos Jansenianorum, suos plurimum despí-
cere, ac deprimere adversarios. Si audiantur, nullibi eruditio, pietas,
ingenium, amor purioris doctrinæ viget, quam apud suos. Si Cardina-
les ad examen Propositionum delecti, eas a censura immunes declaraf-
sent, quantæ in eos laudes congregæ! Illoco de imperitis doctissimi; de
politicis profundissimi Theologi evasissent. Eas damnarunt? Congregatio
non respondebat nec rei gravitati, nec dignitati eorum, qui ad S. Pontificem con-
figuerant. Quasi quinque ex præcipuis sacri Collegii Cardinalibus, ac tre-
decim inter doctissimos Romanos Theologos, qui plures alios in consi-
lium adhibuerunt, rei Theologicæ discutiendæ minus idonei fuissent?
Quasi supremus Pontifex non responderit dignitati Episcoporum, a qui-
bus consultus fuerat? Ut quid ergo eam consulendo rem Episcopatu dignissimam illos fecisse testatus est Episcopus Grassensis in jam citata ad
D. de Valencay Regis Christianissimi in Urbe Oratorem Epistola? Non
ignorabant illi profecto, excitatas de Religione controversias, non aliter
Romæ discuti, ac disceptari, quam per Cardinales ac Consultores Theo-
logos, quorum auditis ac maturo examine discussis suffragiis, Pontifex
ex alto petita auctoritate pronunciat. Non ignorabat ipsem de S. Amour,
quantum Romæ illorum Cardinalium eximia merita omnium ore prædi- 4. & 7.
care-

Diarii
p. 6. c. 8.
p. 398.
col. 1.

Diarii
p. 4. c. 4.
ib. cap.
4. & 7.

carentur: quantum ipse singulorum benignitatem, ac humanitatem expertus fuisse: quantum in primis Card. Chigium, omnium Innocentii Consiliorum ac curarum partipem, commendasset ob ejus modestiam, pietatem, fidem, probitatem, eruditionem, curam, ac religionem in caussis tractandis, ac finiendis. Qua igitur fronte dici potuit, *virum tantæ fidei ac probitatis, plus aliis omnibus veritati nocuisse?*

ib. par. 7. c. 2. p. 557 col. 1. Quantum ad Consultores Theologos, mira hic est Jansenianorum æquitas. Ii soli (ajunt) optima quæque protulere, qui Propositionibus favebant: alii inepti ac stupidi. Bene est. At inepti illi ac stupidi, veritate tuebantur, alii errorem, quem tandem cognitum, ac Constitutione Apostolica postratum, illi ipsi ejuravere. Testis sit ipse Vvadinghus unus e Consultoribus Jansenianæ doctrinæ assertor. *Si aliquis*, inquit in sua brevi Relatione de quinque Propositionibus, *ante hanc definitionem aliter senserit, quibuscumque Doctorum auctoritatibus innixus, nunc captivare debet intellectum in obsequium fidei*, sicut suadet Apostolus. *Id ipsum* ego toto corde me facere profiteor, omnesque illas Propositiones supradictas in omnibus, & singulis sensibus, quibus eas condemnatas volui. *Sanctissimus Innoe. X. condemno, & anathematizo, quantumvis ante hanc definitionem, in aliquibus sensibus eas sustineri posse judicaverim*, sicut in superscriptis meis votis explicavi. Cui potius fidem habebunt Janseniani? An Vvadingho, Propositiones in Congregationibus defendant; an eidem post censuram Pontificis, illas damnanti?

ib. par. 205 col. 2. Ceterum vel ipso judice de S. Amour, illorum omnium Consultorum speccata fides, probitas, eruditio singulis probata esse debuit, nullis suspecta. Diarii par. 4. c. 6. afferit, *neque se, neque suos dubitasse de fide, solertia, & eruditione consultorum; imo, non sine late animi sensu, ac gratiis Deo redditis, intellexisse illos omnes in doctrinam S. Aug. bene affectos, ac propensos esse.*

ib. par. 270 col. 2. Par. 5. c. 3. refert ex Cardinali Roma, *Consultores Judices non esse, eorumque suffragia non habere vim definitionis, sed consultationis dumtaxat. Praesentes ad futuros bene multos spectatae pietatis, ac scientia Religiosos, quos nefas suspicari velle cognitam ac sibi perspectam veritatem dissimulare aut deserere.*

ib. par. 437 col. 1. Par. 6. cap. 17. D. de Sainte Beuve, inter prætensos Augustinianos vir magni certe nominis, D. de S. Amour in hac verba scribebat: *Nihil, inquietabat, adversi pertimesco ex Congregatione, que coram Pontifice habenda est, dum oculos conjicio in vim veritatis, assistentem Pontifici Spiritum Sanctum, magnitudinem ingenii ipsius Pontificis, Consultorum peccitam ac generosam indolem, cauae nostræ cum Dominicanis societatem, numerum denique eruditorum, qui nobis patrocinantur, omnem depono anxietatem, & omnia faustissima spero ex futura Congregatione.*

Diar. p. 5. c. 13. Passim ex privatis colloquiis, egregia multa dicebat idem de S. Amour, de Commissario S. Officii, Magistro sacri Palatii, de Patre Cœlestino, ac tota Congregatione. In qua, inquietabat Pater Mariana, in dies magis

ib. par. 328 col. 1. comprobabatur, quam viribus parum valeret Pater Palavicinus: cui cum Pater Tartaglia Carmelita discalceatus adhæreret, universam in se concitavit Carmelitarum familiam, totis obstantem viribus, ne in Congregatione Adoliniæ personam sustineret. Nihilominus Pater Palavicinus, qui hic deprimitur multum, ab Auctore Observationum in vota Consultorum, vocatur moderissimus Molinæ discipulus. Et re ipsa, moderationis ac in ferendo suffragio libertatis specimen dedit, ibidem pag. 182. cum quartam Jan-

Inter Collect. p. 180. senij

senii Propositionem in seipsa, & prout a Jansenio prolatam fuit, ab omni censura immunem judicavit.

Palaevicinus, ait Vvadinghus in sua Relatione, diserte, sed diffuse, multa ^{ibid. p. 182} dixit de doctrina Jansenii, & Propositionem (4.) absolute per se prolatam nullam dixit mereri censuram. Immerito igitur Janseniani virum hunc tam disertum, tam moderatum, suspectum habebant, & e numero Consultorum postulabant removeri.

Quanto meliori jure, si licitum id fuisset, Jansenianorum emuli de nonnullis Consultoribus sibi manifeste adversantibus expostulare potuissent? Ignorat nemo, quanto animi ardore pro defensione quinque Propositionum, in Congregationibus egerint Generalis Augustinensium, Commissarius S. Officii, & Magister Sacri Palatii. Generalis S. Augustini, postquam votum absolvit, ait Vvadinghus mox citatus, obtulit clausum exemplar cujusdam Epistola Caud. Bellarmini ad Clementem VIII, in materia de auxiliis, in qua dixit, gravia monita, & arcana recondi, quæ cupiebat ipse, legeret Pontifex.

Magister vero sacri Palatii non solum in 27. Congregatione de mente Jan- ^{p. 421.} senii conformiter cum doctrina S. Augustini loquuntus est, ait idem Vvadinghus, seque toto corpore prostravit in terram coram Pontifice, (adeo res cordi erat) sed rursus in 31. tum ipse, tum S. Officii Commissarius, voluit genuflexus dicere, quantumvis Sanctissimus Dominus jussit semel, & iterum ut surgeret; totoque sui sermonis discursu, voluit probare eamdem Jansenii, & Dominicanorum doctrinam.

*Inter
Collect.
Diarii
p. 173.*

Denique, cum, fatente ipsomet Auctore citato observationum in Vota Consultorum, omnes pene consultores, doctrinam de gratia per se efficaci, quæ maxime, inquit ille, nostræ Scholæ propria est, omnibus locis Catholicam, Orthodoxam, ac veram esse profiterentur. Cum Hallerius declarasset, se doctrinam hanc simul cum Episcopis Gallicanis quinque Propositionum delatoribus tueri; ac publico Scripto demonstrasset, nihil illi commune esse cum doctrina quinque Propositionum, oportuisset Jansenianos conquiescere, nec ullo pacto suspectos habere Consultores.

IL Adversus Congregationum formam, de duobus maxime conquesti sunt Jansenii defensores. Nempe quod nec auditi coram suis adversis partibus fuissent, nec variis Propositionum sensus distincti.

Quam intempestiva fuerit, & parum aqua prima hæc querimonia, Catholici facile demonstrabant. 1. Quia saepius tum Pontifex, tum Cardinales reposuerant, de lite dirimenda nullatenus hic questionem esse, pro qua necesse foret adversas partes audiri; sed de sensu obvio, & proprio quinque Propositionum, vel notando, vel a censura eximendo. 2. Nullas hic adversas esse debere partes, cum omnes consentiant, sartam ac rectam esse doctrinam SS. Augustini, & Thomæ. 3. Sine fructu, ut plurimum, celebrari publicas illas disceptationes Theologorum inter se, in quibus partium studium, rixæ personales, ac vincendi desiderium ita litigantium animos occupant, ut a querenda veritate prorsus avocent. 4. Frustra Jansenianos objicere se tantum semel auditos fuisse in re tanti momenti, quæ tam longam, ac seriam postulat disquisitionem ac disceptationem: siquidem ipsi, quamquam saepius honestissime invitati a Cardinali Spada, adesse noluerint Congregationi, quæ 21. Januarii an. 1653. celebrata fuerat, ut quidquid exponendum haberent, libere, & fuse quantum

*Diar. p.
6. cap. 2.
& par.
5. c. 15.*

voluissent, exponerent. Nec prius eorum æmuli introducti, & auditæ fuerunt, quam ipsimet pro Jansenio Deputati constanter, ac protere recusaverint, sicut ipsis exprobratum a Dominicanis fuerat, se eidem Congregationi sistere.

Quod si scrupulus tibi occurrat, cur in 22. dumtaxat Congregatione moniti ac invitati fuerint ex utraque parte Deputati, ut accederent ad Congregationem momenta sua prolaturi: ratio in promptu est, & quidem ad vindicandam judicij Romani æquitatem aptissima. Nempe Pontificem, & Cardinales judicasse prius inter se ventilandas esse quinque Propositiones, quam audirentur deputati, ut si ex iis, quæ audirent, nova lux a fulgeret, vota sua tutius, vel confirmare, vel emendare possent. Quapropter tribus distinctis vicibus rem totam ab origine repetierunt: primo in 21. Congregationibus secreto inter se: tum postquam invitati ex utraque parte fuerunt deputati, & auditæ, qui accedere voluerunt; ubi de novo singula consultorum vota recognita fuerunt, & Pontifici, ut ea expenderet, communicata: tum denique præsente Pontifice in undecim Congregationibus, in quibus de unaquaque Propositione singuli consultores sententiam suam tertio jussi sunt libere aperire. Quam merito igitur Alexander VII.
Diar. p. 5. c. 4. p. 275. col. 1. dixit, caussam Jansenii ea profecto diligentia discussam fuisse, qua major desideriæ non poterat. Verum, Janseniani diverticula quærebant, & effugia, quibus caussæ definitionem protraherent, ac omnino eluderent. Non obscure id innuebat de S. Amour, cum Pontifici diceret, futurum ut, cum sollemnem aliquando edidisset definitionem, longe meliori jure Ecclesia de ipso, quam poeta de Fabio, caneret: *Unus homo nobis cunctando restituit rem.*

Reipsa quippe manifestum erat, non aliud esse eorum consilium, quam ut moras neferent, ac totum implicarent negotium. Eum in finem per quatuor horas integras coram Pontificem perorantes, extra caussam divagati fuerant, ac bene multa Scripta, & Memorialia Pontifici, ac Cardinalibus obtulerant, partim ad probandam D. Augustini auctoritatem, quasi de ea quisquam dubitaret; & necessitatem efficacis a se gratiæ, de qua nulla erat quæstio: partim contra doctrinam Jesuitarum, quos ad distrahitum Pontificis animum, & caussam alio deflectendam, in judicium vocari exoptavissent: partim ad varios exponendos quinque Propositionum sensus, quos reipsa in Scriptis *Trium columnarum in nomine Domini,* & in *Catholica expositione V. Propositionum*, sic exposuerant, ac elucidaverant, ut si centies auditæ fuissent in publicis Congregationibus, amplius nihil attulissent ad evolvendam, & vindicandam Jansenii mentem.

Æquior profecto non erat altera eorum querimonia, circa denegatam in examine Romano quinque Propositionum distinctionem sensuum, in quos inflecti illæ possunt. Tum quia de solo sensu Propositionum obvio ac naturali agebatur, qui facile menti occurrit: disquisitio econtra aliorum sensuum, rem totam infinitis circa verba, circa mentem auctoris, controversiis implicasset, & obscurasset. Tum quia a suis adversariis habebant totum id, quod ex distinctione sensuum sperare potuissent, nempe efficacem a se gratiam salvam, & integrum remanere, id enim saepius, & voce, & scripto contestatus fuerat Hallerius. Si hanc unam voluissent Janseniani, ac non potius efficacem Jansenii sensu gratiam, datis sibi ab adversariis pacis conditionibus hand dubic stetissent, approbata Janse-
niani

niani sensus censura: at non hæc erat eorum mens, non istud consilium. Quin si Pontifex, ut postulabant, sensum efficacis a se gratia ad mentem S. Augustini sua in Constitutione distinxisset, & a sensu Jansenii separasset, adhuc illi profecto litigassent circa illum Jansenii sensum ita depositum, quem a Thomistico, & Augustiniano nihil differre pugnaciter adhuc contendissent. Adeo verum est in eorum hominum principiis, qui causam hanc ad factum pertinere volunt, in quo discernendo, non modo Pontifex, sed Ecclesia universa falli potest, nusquam hujusmodi controversiam finiri, ac terminari posse.

Et vero ab annis sexaginta, & amplius inclamat, & nusquam assignatum fuisse proprium ac individualem Jansenii sensum, & se Constitutioni Innocentii ultiro adhærere quantum ad jus, seu doctrinam, quæ duo certe inter se aperte pugnant. Si enim sensus ille designatus nusquam fuit, quem, amabo, illi rejiciunt, cum protestantur se doctrinam 5. Propositionibus expressam damnare? An sensum aliquem vagum, & indeterminatum? Si autem sincero animo Apostolicis Constitutionibus se subjiciunt, qua rationis specie affirmant, sensum illud designatum non fuisse? At in rei veritate, & assignatus fuit sensus ille, obvius scilicet ac naturalis, quem verba Propositionum apud Jansenium præferunt: & Janseniani Constitutionibus Apostolicis nusquam sincero animo obsecuti sunt, qui Propositiones non eo Jansenii sensu damnant, quo damnatae sunt, sed ad sensus alienos, & extraneos detorquent, ut legitimum ac germanum Jansenii sensum Ecclesiæ censuris eripiant.

III. Ex his manifestum est, quam falso Janseniani obtenderent, se prout una laborare asserenda gratia efficaci; suos vero æmulos, ad eam labefactandam conatus omnes convertere. Centies Hallerius cum suis, & verbo, & scripto contrarium affirmaverat. Atque, ut antea observavimus, quo tempore Romæ seruebat hæc controversia, Præpositus Generalis Soc. Jesu Picolomini, renovabat Decretum Aquavivæ latum an. 1613. contra sententiam gratiæ ex se pro voluntatis consensu efficacis. Quam stupidi illi, ac hebetes fuissent, si quam Pontificia Constitutione voluissent labefactare gratiæ efficaciam, hanc tot publicis testimoniis sponte asservissent, ac confirmassent.

IV. Adversus Pontificem causæ totius judicem æquissimum, quid Janseniani? Theologus, inquiunt, non erat; & aliunde præ senectute multum proœcta omnino impar sustinendo rei implicatissimæ tam longo, ac laborioso examini. An ergo sic implicatus erat Calvini sensus, quem unum Janseniani Propositionibus affingunt, ut difficile fuerit eum dignoscere, ac notare? An in Pontificibus, cum de fide pronunciant, personales animi dotes, non vero potissimum Sedis dignitas, & auctoritas, atque Spiritus Sancti assistentia attendenda? Nihil adversi ex congregatione pertimesco, inquietabat Sambovius ante citatus, cum oculos converto ad vim veritatis, afflentem Pontifici Spiritum Sanctum, & Pontificis ipsius ingenii magnitudinem. Nullum certe humanum præsidium veritati dignoscendæ necessarium prætermisit Innocentius, quamquam ætatis adeo proœcta. In prima Congregationum, quæ ipso præsente habitæ sunt, referente Vvadingho, dixit, se considerasse hujus rei gravitatem, magnumque momentum: propterea orationes P. 419. indixisse per omnes Urbis Ecclesias, ut Spiritus Sanctus ei inspiraret, quid agendum esset, & definiendum in questionibus Theologiae difficillimis. Deinde subjunxit,

(pergit Vvadinghus) se quantumvis acceperit in scriptis omnium consultorum suffragia, nihilominus praesentum omnium sententias circa quinque istas propositiones audire velle. Quæ major poterat adhiberi diligentia? Non satis fuit Innocentio, omnium consultorum singula suffragia scripto data mature apud se expendere, sed etiam eos differentes in undecim sessionibus, singulis in tres quatuorve horas productis, audire voluit; quos re ipsa tanta cum attentione, patientia, & animi voluptate audivit, ut Episcopo Lodevienensi testatus fuerit, se, Deo aspirante, ac Scripturarum sensum aperiente, sinus omnes subtilissimæ hujus controversiæ, ac etiam verborum Scholæ significationem dilucide penetrasse; ac tantam animi lætitiam expertum se in his diuturnis congregationibus, ut doleret, quando nocte superveniente discedendum erat. Ita in plenis Cleri Gallicani Comitiis rem narrabat Episcopus Lodevienensis die 14. Martii an. 1656. Cujus narrationem retulit in suo Diario D. de S. Amour p. 577. His porro auditis, ac sedulo discussis Consultorum suffragiis, proclive fuit Pontificem ex eorum sententia rem definiisse. *Nihil enim absurdius fingi posset*, ait auctor observationum in Vota consultorum, inter collectanea Diarii de S. Amour, quam ut S.

Pontifex, tredecim viris doctis in consilium adhibitis, id hereticum pronunciet, quod illorum omnium calculo tamquam Orthodoxum comprobatum sit. Tam alte Pontifex animo imbibiterat quæcumque fuerant ab illis consultoribus disputata, ut Card. Chigio scribenti tenorem sue Constitutionis memoriter dictaverit. Merito igitur Episcopi Gallicani in Comitiis generalibus congregati an. 1653, in Ep. die 15. Julii ad Innocentium scripta, ejus Constitutionem divini numinis instinctu conditam; & in altera data die 28. Martii an. 1654. Ordine canonico latam fuisse affirmant. Jam antea sub Urbano VIII. simul cum Depunitatis Lovaniensibus Synnchio, & Papio, in examinando Jansenii Libro diuturnam operam suam strenue collocaverat: ut certe mirum hic videatur divina providentia consilium in Pontificibus, quos profligandæ Jansenianæ hæresi destinavit. S. Pius V. qui in Bajo præformatam Jansenii doctrinam omnium primus damnavit, omnium judicio eruditissimus fuit ex Ordine Prædicatorum Theologus, doctrinæ Thomisticae per plures annos summa cum laude Professor; cui non magis obsequentes se præbuere Jansenii defensores, quam Innocentio. Urbanus VIII. a quo Liber Jansenii nominatim proscriptus fuit, omnis Literaturæ laude illustris commendatur. Innoc. vero X. Alex. VII. a quibus doctrina Jansenii proprius confossa est, maximam per seipso, dum adhuc in minori Cardinalatus dignitate versarentur, in ea difficultienda operam posuerant. Primus, (Pamphilus) sub Urbano VIII. alter (Chigius) sub Innocentio X. At forte Jesuitarum immensæ auctoritati, & gratiæ id dedit Innocentius, ut quinque Propositiones, quas earum hostes infensissimi propugnabant, proscriberet? Verum, Card. Chigius testatur apud de S. Amour, Diarii part. 6. cap. 15. *Jesuitas non fuisse in Calendario Papæ.* Et part. 4. cap. 4. Pater Hilario dicebat ipsi de S. Amour, Jesuitas non ea pollere in Curia Romana auctoritate, qua vulgo creditur. Procul ergo hujuscemodi Jansenianorum nuge, ac futileis criminationes.

Pag. 32. col. 1. V. Denique, nihil ex parte auctoritatis, qua quinque Propositiones Jansenii damnatae sunt, desiderare possunt Janseniani ad firmitatem, & robur inconcussum definitionis. Ad postulationem quippe Episcoporum Gallici S. Pontifex Judicium protulit, pro ea, qua Romana Sedes in universa Eccle-

Ecclesia præminet auctoritate; cuius Decretis ad fidem, & mores pertinentibus, omnes Christiani obtemperare tenentur, maxime cum accedit Ecclesiarum omnium consensus seu expressus, seu tacitus. Tunc etenim Romani Pontificis Judicium, Ecclesiæ totius, adversus quam portæ inferi non prævalebunt, Judicium est supremum, ac irrefragabile. Ita docent, vel ipsimet Janseniani. Vide Librum, cui Gallice titulus: *Tradition de l'Eglise Romaine*. Tom. I. pag. 207. & 217. Idem, *Justification du respectueux silence*. Tom. I. pag. 246. T. 3. pag. 876. eodem Tom. p. 1198. Neque vero ad generale Concilium hic recurrere necesse est; aut si recurseretur, quidquam adversus Jansenianos efficeres, qui cum in ea sint mente, de mero facto hic controverti, circa quod universa Ecclesia falli potest, non magis universalis Concilii definitioni acquiescerent, quam Innocentianæ. Porro Ecclesias omnes Innocentii Constitutioni adhaesisse, sive expresso, sive tacito consensu, res est apud omnes explorata. Ne unam quidem appellare usquam potuerunt Janseniani, quæ reclamaverit; ne unam, quæ damnatas Propositiones ab errore absolverit, vel earum defensores ad Communionem admiserit. Ita certe finita est causa, at non finitus error. Novis quippe artibus, Innocentii Constitutionem infringere, ac eludere conati sunt Janseniani, novis etiam Vaticani fulminibus repressi.

EPOCHA TERTIA

De iis, quæ subsecuta sunt Innocentii X. de quinque Jansenii Propositionibus judicium.

Hac tertia historicæ nostræ narrationis parte ea præcipua complectemur, quæ iteratam doctrinæ Jansenii censuram continent, a Constitutione Innoc. V. usque ad Bullam Clementis XI. adversus famosum Casum conscientiæ.

Janseniani excitata distinctione juris, & facti Innocentii Constitutionem elidunt. Episcopi Gallicani Librum Jansenii iterum ad examen revocant, ac de nova conventione monent Innocentium, ejusque successorem Alexandrum VII.

Janseniani post Constitutionem Innocentii, res duas affirmarunt, & aliis persuadere voluerunt vanas omnino, & inanes: alteram, quinque illas Propositiones non esse Jansenii: alteram, damnatas esse in sensu, qui ad Jansenium nihil pertineat. Atque hinc prima origo famosæ illius distinctionis Juris, & facti, ad quam deinceps plenis velis tamquam ad tutissimum portum se receperunt.

Visa tunc, ait Illustriss. Cameracensis Archiepiscopus, in documento altero, quo diluuntur ea, quæ variis Scriptis adversus primum Documentum proposita sunt, pag. 309. versionis latinæ, facti, jurisque distinctione, optatissimum, tutissimumque naufragis illis portum aperire. Temporis quidem sat non erat, ut ad quem usum converterent, distinctionem illam penitus investigarent. Quod si textum utrumque simul contulissent, detexissent facile distinctionis illius inanitatem. Verum de repente fuit, aut in aliquo, quod oculis patet, parendum, aut ab Ecclesia deficiendum. De repente igitur, ut ad Aram, sic confugerunt ad eam fuci plenam, nec satis in se spectatam distinctionem. Ut ut est, ita intensa voce clamaverunt, ut Scriptorum immensa multitudine lectorum oculis fucum fecerint; ut eam vel apud honestos, liberalesque viros consuetudinem

Tournely de Gratia. Tom. III. Pars I.

N 3

inve-

invexerint, supponendi jus ipsum integrum ex parte Propositionum quinque; integrum vero factum ipsum ex parte Libri stare. Hinc illi in Propositionibus nihil praeter rem juris infallibiliter ab Ecclesia definitam; in Libro autem merum aliquid factum, quod esset momenti nullius, & in quo errasset Ecclesia, nihil aliud intueri pertinaciter voluerunt.

Præsules igitur Gallicani, ut novis illis Jansenianorum molitionibus occurserent, quotquot Parisiis an. 1654. aderant, simul convenerunt deliberaturi de remedio huic malo citius afferendo. Quatuor selecti Archiepiscopi & quatuor Episcopi, qui Jansenii Librum ad examen sedulo revocarent, damnatas quinque Propositiones cum illo conferrent; adversæ partis Memorialia seu Scripta expenderent: quibus omnibus in decem Congregationibus diligenter, ac mature ponderatis, communis suffragio duo statuerunt; primum damnatas ab Innocentio quinque Propositiones re ipsa extare in Libro Jansenii; alterum, in proprio, & naturali verborum sensu & eo ipso, in quo a Jansenio afferuntur, & explicantur, damnatas illas fuisse. Quæ cum ad plena Episcoporum Comitia retulissent, omnium calculo probata sunt, datis ad Innocentium X. die 28. Martii Literis, quibus eum, & de rebus a se gestis, & de novis Jansenianorum artibus certiorem faciunt. Dissidiorum auctor, inquit, quod pag. 117. *lam obtainere non poterat, nempe ut a debita sedi Apostolicæ reverentia per aper- tum Constitutionis date contemptum recederetur, callidis molitionibus ad simplicium, & incautorum mentes subvertendas aggredi tentavit...* E vetere fidei deposito, cuius custodia Cathedrae Petri concredita est, partem adimere tentant; Decreti Apostolici Majestatem ad scillas controversias diriçendas turpiter dejicio. Quinque etenim Propositiones Decreto illo prostratas damnare se quoque profitentur: sed alio plane sensu, quam qui a Jansenio traditus, & explicatus est; ad quem Propositiones illas nullatenus pertinere constantissime afferunt. Hac arte, restaurandis disputationibus iisdem sibi locum apertum relinquere parant, & redivivæ litis prolixam materiam.

Et in Epistola encyclica ad ceteros Galliæ Episcopos, ajunt: *Homines illos (Jansenianos) affirmare, imo & persuadere aliis velle res duas vanas om-
ib. p. 112. nino, & inanes: alteram, quinque illas Propositiones non esse Jansenii; alteram, damnatas esse in sensu, qui ad Jansenium nihil pertineat. Tum, & Pontifici, & Coepiscopis suis exponunt, quid a se gestum fuerat circa examen Libri Jansenii in sui Comitiis an. 1654.*

Innoc. die 29. Sept. ejusdem anni, Gallicanis Episcopis rescripsit, gra-
m. p. 166 tum, & acceptissimum sibi esse studium, ac zelum, quo Apostolicam Con-
stitutionem servari ubique curabant, per quam, ait, damnata fuerat in quinque Propositionibus Cornelii Jansenii doctrina ejus Libro contenta, enititulus: *Augustinus.*

Hoc ipso anno die 23. Aprilis, damnaverat Pontifex plurima Opusculta, Libellos, Tractatus, &c. in defensionem Jansenii editos, & ipsum etiam Librum Jansenii, Lovanijs, Parisiis, & Rothomagi typis excusum.
ib. p. 102. Declaraverat etiam illis Actis, que sub nomine Congregationum de Auxiliis habitarum coram Clemente VII. & Paulo V. circumferebantur... necnon Autographo seu exemplari cuiusdam assertæ Constitutionis Pauli V. super definitione prædictæ questionis de Auxiliis, ac damnationis sententia seu sententiarum Ludovici Molinæ... nullam omnino esse fidem adhibendam, neque ab alterutra parte, seu a quocumque alio allegari posse, vel debere.

Anno sequ. die 17. Maji, Regi Christianissimo placuit, mox dictum Innocentii X. ad Episcopos Gallicanos Breve promulgari, & executioni mandari. E vivis ereto Innocentio die 7. Janu. 1655. succedit die 7. April. ejusdem anni, Card. Chigius, dictus Alexander VII. Huic Praesules Gallicani supremam Dignitatem gratulantur per Epist. die 2. Sept. anno 1656. simulque aperint novas Jansenianorum artes, & cavillationes in eludendo Innocentii, contra quinque Propositiones Jansenii, Decreto. Decretum, inquit, studiose amplexi sunt fideles populi, ^{ib. pag.} 134. ^{de} ^{tempore} ^{1656.} ^{ad} ^{tempore} qui de Jansenii doctrina nihil constitutum fuisse palam cum simularent, intimis animorum sensibus ex illius damnatione urebantur. Horum cavillationes sine mora comprehendendas rati, iudicio suo decreverunt religiosissimi Episcopi, quinque Propositiones illas ad Jansenium pertinere, ejusque opiniones fuisse proscriptas... Isdem articulis (quibus Pelagiani) grassantur novae sectæ discipuli, ac præterea ut a capitibus suis fulminis Apostolici amoliantur ictum, (licet obfirmato animo quinque Propositiones Jansenio iterum adjudicent) ad facti questionem, in qua Ecclesiam falli posse docent, controversiam deducere nituntur. Quas ingeniorum versutias vera prudentique verborum complexione infregit Breve Apostolicum, quod tricis illis syllabarum ad umbratiles Scholarum disputationes relegatis, decisionisque auctoritate ad Juris questionem restricta, doctrinam Jansenii, quam Opere suo ille explicuit, in Propositionum confixarum materia, Pontifícia Constitutione damnatae fuisse declarat. At enim ut se damnationi subducant, celeberrimum B. Augustini nomen obtundunt, ejus doctrinæ se profitentur esse sectatores, repudiato etiam, si res eorum ita ferant, ipso Jansenio. Hujus tamen pravas, & detortas, quas ad Doctoris egregii locos adhibet, interpretationes amplectuntur.

Duo in hac Praesulum nostrorum Epistola observatione digna maxime videntur. Primum, questionem, quam Jansenii defensores facti appellabant, ad umbratiles illas Scholæ disputationes amandari, in quibus de tricis syllabarum agitur. Neque enim questionem versabatur, ut subdole simulabant illi, an quinque Propositiones tot verbis, ac syllabis expressæ in Libro Jansenii legerentur, sed an earum obvius, proprius, & naturalis sensus ex tota doctrinæ Jansenii serie, totoque Libri ipsius contextu excupi posset: quam questionem proprie, non facti, sed juris esse volunt Gallicani Episcopi, & ad partem depositi fidei pertinere, ut ajunt in mox citata ad Innocentium X. Epistola. Quippe si significatio verborum, & sententiæ alicuius Auctoris vel Libri, ad meram facti questionem deducatur, in qua falli potest Ecclesia, nullus erit Scripturæ Sacrae, vel Canonum Ecclesiæ contextus, circa quem adducta pariter distinctione juris, & facti, hereticus quilibet non cavilletur, distinguendo scilicet in contextu verborum unam questionem facti, quid nempe illa significant; & aliam questionem juris, qualis sit illorum verborum sensus, erroneousne, an Catholicus; atque ex questione facti, aditum sibi facilem aperiet ad ius ipsum seu dogma impugnandum. Ac ne longius accersamus exempla: quando Janseniani contendunt datum ab Innocentio in quinque Propositionibus sensum, esse sensum Calvinianum, meramne dicent hic esse facti questionem, in qua falli potuit Ecclesia? An ideo permittent, eos Constitutioni non adhaerere, qui factum illud omnino perspectum non habent? Sic illi arma subministrant, quibus Constitutio Pontificia eludatur, & infirmatur, etiam in eo ipso sensu, quo placet illis eam interpretari.

At in rei veritate, nihilo plus adversus homines hujusmodi proficeret, etiam si quinque Propositiones totidem verbis, ac syllabis expressas ostenderet in Libro Jansenii: ad varios enim tunc verborum sensus, & ad mentem Auctoris recurrerent: quod re ipsa faciunt erga primam Propositionem, quam negare non possunt totidem verbis extare in Libro Jansenii, cuius censuram in sensum a Janseniano plane alienum, detorquent.

Alterum quod notari debet, istud est, Jansenianos simulasse se paratos esse ad deserendam Jansenii defensionem, ut nimis hoc astutia faciliter obreperent, suppresso quidem nomine, sed re ipsa in integro retenta Jansenii doctrina.

Alexander VII. novum illud Janseniorum effugium statim interclusit, edita Constitutione die 16. Octobris anno 1656. *Licet, inquit, ea, quæ Apostolicis Constitutionibus abunde fuerunt definita, novæ decisionis, seu declarationis accessione nequaquam indigeant, quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores illa in dubium revocare, vel subdolis interpretationibus labefactare non verentur, ne morbus iste latius divagetur, promptum Apostolicæ auctoritatis remedium censuimus non esse differendum.* Tum post relatum de integro Innocentii Constitutionem, sic pergit: *Cum nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque Propositiones, vel in Libro prædicto Cornelii Jansenii non reperiiri, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse afferere magno cum Christi fidelium scandalo non reformident: Nos, qui omnia, quæ hac in re gesta sunt, sufficienter, & attente perspeximus; utpote qui ejusdem Innocentii Prædecessoris iussu, dum adhuc in minoribus constituti Cardinalatus munere fungeremur, omnibus illis Congressibus interfuius, in quibus Apostolica auctoritate eadem causa discussa est, ea profecto diligentia, qua major desiderari non posset, quamcumque dubitationem super præmissis impostorum auferre volentes, ut omnes Christi fideles in ejusdem fidei unitate se se contineant... quinque illas Propositiones ex Libro præmemorati Cornelii Jansenii Episcopi Irenensis, cui titulus: Augustinus, excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio intento damnatas fuisse declaramus, & definitus: & uti tales, in ista scilicet eadem singulis nota, quæ in prædicta declaratione, & definitione unicuique illarum sigillatim inuritur, iterum damnamus.*

Summo plausu Constitutionem hanc excepit Clerus Gallicanus, tunc temporis in Comitiis generalibus coactus. Jam an. 1655. post receptum Innocentii X. Decretum, ac Breve, idem Clerus Gallicanus Formulam fidei instituerat ab omnibus in signum obsequii, & reverentiae subscribendam, quam anno 1657. renovavit, adjecta mentione Constitutionis Alexandri VII. lege omnibus e Clero imposita, ut ipsi subscriberent. Hæc ipsa est Formula, quam etiamnum subscribunt quotquot ad aliquem in sacra Facultate Parisiensi dignitatis gradum admittuntur. In ea declarat Clerus Gallicanus, proscriptam Jansenii doctrinam, non esse doctrinam S. Augustini, quam ille perverse, & contra mentem S. Doctoris interpretatus fuerat. Accessit ad robur, & executionem Decreti Cleri Gallicani, & Regia auctoritas, qua severa injunctum fuit die 13. Aprilis anno 1661. ut omnes dictæ fidei Formulae subscriberent.

M. Pascchal N. cole Renne, de Prodiere tunc temporis (an. 1656.) e feraci Janseniorum officina plures famosi Libelli in contemptum Apostolicarum Constitutionum. Tres ex illis principiū isti fuere. Primus, Ludovici Montaltii *Litteræ Provinciales*, &c. faceto quidem, ac lepido ad irrisiōnem, sed ad maledicentiam dicaci stylo

exaratae. 2. Notæ *Vvillelmi Vwindrochii* in dictas Epistolas. 3. Pauli *Irenæi Rodes*, *Disquisitiones*. Tres illos Libellos a quatuor Episcopis, Rhedonensi scilicet, Ruthenensi, Ambianensi, & Sueffionensi, & novem Sorbonæ Doctoribus, *d'Amiès*, *& de Sossiis*. accurate expendi jussit Rex Christianissimus. Qui omnes præmisso diligent examine censuerunt, *Jansenianas hæreses ab Ecclesia damnatas*, in iis *Libellis propugnari atque defendi* *maledicentiam, & peccantiam tribus illis auctoribus adeo esse familiarem*, ut nulli hominum conditioni parcant, exceptis *Jansenistis*; non *Summo Pontifici*, non *Episcopis*, non *Regi*, non *præcipuis Regni Administris*, non *sacra Facultati Parisiensi*, non *Religiosis Familii*; ideoque *Librum esse dignum pena Libellis famosis, & hæreticis a jure constituta*.

Hoc doctrinali Judicio Rex commotus, supremi Consistorii Decreto die 23. Sept. an. 1669. dictæ Literæ Provinciales remissa sunt ad Praetorem cauſarum civilium in Castelletto, ejus sententia flammis ultricibus tradendæ: quod executioni demandatum fuit die 14. Octobris ejusdem anni.

S. Pontifex Alexander VII. die 6. Septemb. an. 1657. suo censorio stylo eumdem Libellum jam confixerat, ut, & alia nonnulla Antonii Arnaldi Opuscula; declaraveratque nullam fidem habendam esse iis tredecim Theologorum ad examinandas quinque Propositiones ab Innocentio X. selectorum lustragiis, seu votis, quæ circumferebantur. Ea ipsa sunt, quæ ad calcem sui Diarii typis mandari curavit de S. Amour; non accurata, nec ad rei veritatem exacta, quæ idcirco Pontifex inter apocrypha iubet amandari.

Sacra Facultas Parisiensis an. 1656. die ultima Januar. gravi sua censura perstrinxit Libellum, cui titulus Gallice: *Seconde Lettere de M. Arnaud Docteur de Sorbonne, &c.* Duas in eo Propositiones notandas esse observarunt Theologi Parisienses; *Unam facti, alteram juris*: Prior hæc erat: *Quinque Propositiones nec esse in Jansenio, nec ejus sensu damnatas fuisse; adeoque circa partem illam Apostolicæ Constitutionis, sufficere religiosum silentium*. Juris vero Propositione erat: *Veritatem esse tum ex Scripturis, tum ex SS. P atribus indubitatem, atque in persona S. Petri manifestum, gratiam scilicet, sine qua nihil possumus, justo defuisse ea in occasione, in qua dici non potest, quod non peccaverit*. Utramque Propositionem sacra Facultas, post diuturnum, ac molestem examen, quod Janseniani suis artibus, ac molitionibus plurimum turbarunt, censorio suo Judicio notavit. Priorem, quæ facti est, *tamquam temerariam, scandalosam, injuriosam S. Pontifici, & Episcopis Gallie, ac præbensem occasionem renovandæ ex integro, post damnationem, Jansenii doctrinæ*. Posteriorem vero, quæ juris dicitur, *tamquam temerariam, impiam, blasphemiam, anathemate damnatam, & hæreticam*. Peramanter invitavit sacra Facultas Arnaldum, ut ad meliorem mentem reversus, optimæ matri se facilem, & obsequenter exhiberet: at in errore pertinacem, ut & alios nonnullos ex albo Doctorum expunctos, e sinu suo ejecit. Æquissimam hanc censuram cum laude commemoravit Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus an. 1656. Nihil vero non tentavit Arnaldus, ut a se hujus censuræ invidiam, & ignominiam amoliretur, sive apud Pontificem, si forte eam infirmare vellet; sive apud alias Academias, si dictam suam Propositionem approbarent, sive apud ipsammet Facultatem Parisiensem, si forte exemplo Clementis IX. & Regis Christianissimi, a quibus in gratiam receptus fuerat, excitata, pristinum Magisterii gradum, unde dejectus erat, sibi vellet restituere. Verum immota Facultas de priori suo Decre-

Decreto nihil remitti voluit, censuram suam iussit ab omnibus suis subscribi, atque iterum anno 1604. die 1. Sept. eam communibus omnium votis renovavit, confirmavit, & de novo typis mandari curavit.

Godrin. Hoc ipso an. 1656. Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus, rata habuit, & confirmavit quæcumque in causa quinque Propositionum gesta fuerant annis 1653. 1654. & 1655. His in Comitiis Archip. Senonensis, qui an. 1654. declaraverat se ex reverentia dumtaxat, & ex condescensu, non autem ex animo, & propria sua sententia, deliberatis a Clero subscriptis. **Deliberatione** se, in his, inquam Comitiis an. 1656. a sua priori declaratione recessit, **Clerge p.** affirmans se ex conscientia teneri, atque vere, & ex animo adhædere iis, **81. & 82.** quæ a toto Cleri Gallicani cœtu deliberata, & probata fuerant circa quinque Jansenii Propositiones. Hanc declarationem gratam, & ratam habuit Clerus Gallicanus, voluitque absentem Episcopum Convennarum per Epistolam moneri, ut quantocius similem declarationem transmitteret.

Relation des de- Idem Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus an. 1660. & ad 1661. **lib. p. 105** Formulam fidei, quam die 17. Martii an. 1657. instituerat, iussit ab omnibus Clericis subscribi; ac declaravit, se in ea non aliam fidei definitionem inferuisse, quam quæ in Constitutionibus Innoc. X. & Alexandri VII. continetur: nimirum quinque Propositiones ex Libro Jansenii extractas, tamquam hæreticas damnatas esse in eo ipso sensu, quos eas docuit; ita ut qui rebelles, & contumaces fuerint, velut hæretici pœnis in iisdem Constitutionibus decretis subjaceant.

Inter hæreticos accensent hic Præfules Gallicani eos qui Propositiones quinque ex Libro Jansenii extractas, & ipsius sensu damnatas fuissent pertinacius negaverint. Datis ad Pontificem Literis die 20. Febr. narrant Episcopi, quid in suis Comitiis gestum fuerat ad promovendam Apostolicarum Constitutionum executionem: quibus die 16. Maji ejusdem anni Pontifex rescripsit sibi omnia gratissima, & acceptissima fuisse.

Interea cum Vicarii Generales Cardinalis de Retz Archiep. Paris. in publico Mandato die 8. Junii an. 1661. dixissent, tempore Innocentii X. nihil aliud actum fuisse, quam inquisitum, an Propositiones quinque de Gratia veræ, & Catholicae, an potius false, & erroneæ forent; Atque circa attributionem dictarum Propositionum Libro Jansenii, silentium religiosum sufficere non obscure insinuassent; S. Pontifex Alexander VII. Brevi ad illos dato die 1. Aug. ejusdem anni, dura, & severa objurgatione eos increpat, velut temerarios, mendaces, malorum & raniorum in agro Domini seminatores, Ecclesiæ Catholicae perturbatores, autores turpissimi schismatis. In quibus protertia dignoscitur cavillationibus subdolis, & circuitibus obtiam eundi Ecclesiæ definitionibus. Quapropter dicti Vicarii Generales die ultima Octobris ejusdem anni, palinodiam cantare, ac prius suum Mandatum revocare, & emendare compulsi fuerunt.

Quinque Jansenianorum Articuli.

Magna est in præsenti Jansenii causa, quinque Articulorum celebritas: quorum duo genera distingui statim debent, ne forte, ut saepe fit, confundantur. Alii quippe doctrinales fuere; hoc est, destinati ad exponendam Augustinianorum circa quinque Propositiones doctrinam. Alii facti quæstionem spectabant; hoc est, naturam reverentiae, & obedientiae, quæ debetur definitionibus Ecclesiæ circa facta. Illorum omnium hæc origo fuit. Summo ardo.

ardore Rex Christianissimus exoptabat turbatæ ob doctrinam Jansenii Ecclesiæ Gallicanæ pacem, ac concordiam restituì. Eo animo in mandatis dederat Illustris. Convennarum, postea Tornacensi Episcopo, ut, pro ea, qua valebat sagacitate, & industria, viam aliquam aperiret, si forte dissidia hæc conciliari, ac componi inter Theologos possent. Rem proposuit iis, quos noverat Jansenio addictos: hi vero, laudato, & approbato consilio, statim manu admovere condendis quinque Articulis totidem damnatis Jansenii Propositib⁹ respondentibus, ad suam circa illas sententiam declarandam. Si fides habenda est auctori Libelli, cui Gallice titulus, *La paix de Clement IX.* DD. Girard, & Nicole redeuntes a funere quod prosecuti fuerant D. Alphonsi le Moigne Doctoris Sorbonici, ac Regii Professoris, quem durum semper experti fuerant doctrinæ Jansenii aduersarium, de condendis illis Articulis consilium inter se primo jam dudum inierant, & ad exitum perduxerant feliciter. Ut ut sit, quinque doctrinales Articuli a DD. de Lalane, & Girard ceterorum nomine subscripti, die 17. Junii an. 1663. oblati sunt Episcopo Convenerum, ut eos expenderet, & ad Pontificem Romanum transmitteret; data fide paratos se esse in omnibus Romanae Sedi obtemperare, quidquid tandem ipsi placeret de illis quinque suis Articulis decernere. Ut vero firmior esset pax, quam dictus Episcopus meditabatur, effecit, ut DD. de Lalane, & Girard simul cum Patre Ferrier e Societ. Jesu, apud se convenirent collocuturi de illis quinque Articulis, si forte ad concordiam omnes adduci possent. Eos re ipsa in quinque collationibus habitis a die 25. Januarii usque ad 18. Febr. ann. 1662. serio expenderunt: at non eo successu, quem speraverat dictus Episcopus. Multis etenim hinc, & inde prolatis, sive ad improbandos dictos articulos; singuli, ut vulgo fit, in sua priori sententia firmi, ac stabiles, re infecta discesserunt. Interea ad Alexandrum VII. S. Pontificem mittuntur dicti Articuli ab eodem Episcopo Convenerum.

Placuit Jansenii defensoribus non sine jaētantia præsidentibus supponere, dictos Articulos ab Alexandro VII. probatos fuisse; idque aperte significasse Pontificem, cum in suo ad Episcopos Gallicanos Brevi die 29. Julii an. 1663. ait *Illud autem non mediocri gaudio animum nostrum perfudit,* Recueil quod Literis ex Gallia recens allatis, accepimus illorum in dies crescere numerum, pag. 183. qui recta sapiunt, præfatis constitutionibus se ultro subjicienes: illorum vero decrescere, qui a veritate auditum avertunt, & variis inaniis interpretationum argumentis decepti, Decretis Apostolicis refragantur. Is fuit egregius sane laborum vestrorum fructus, ut multi, iique ceterorum nomine Primarii exemplo vestro consilio, & opera ad saniores doctrinam induci, ea, qua par est, ut credimus, animi demissione se se paratissimos exhibuerint ad illa omnia præstanda, quæ ipsis a Se de Apostolica præscribentur. Cedo, si vel unum in his verbis de approbatione quinque articulorum apicem reperias. De illis ne cogitasle quidem Pontificem cum hæc scriberet, facile est demonstrare, tum quia sibi gratulatur Pontifex, multos ad saniores doctrinam reversos fuisse: ac factentur Janseniani, se nusquam recessisse a doctrina quinque Articulorum; imo se aliam nusquam propugnasse. Quomodo igitur ad saniores doctrinam reversi sunt, quam nusquam illi deseruerunt? Tum quia Pontifex Gallicanis Episcopis gratulatur, quod eorum consilio, & opera multi ad saniores doctrinam induci fuerint: at certum est Episcopos, ad quos scribebat Alexander, consilio, & opera non adduxisse Jansenianos ad illos

quinque propugnandos articulos, de quibus illi, fatente vel ipsomet Convennarum Episcopo in Epistola, quam ad Regem Christianissimum scripsit die 21. Jan. an. 1664. nihil prorsus audiverant. Ægre quippe ferebantur, quod Præfules Gallicani die 2. Octob. ann. 1663. declarassent, in aliis quinque eorumdem Augustinianorum articulis facti quæstionem spectantibus, Janseniam hæretim contineri, ait, mirum sibi profecto videri, ita Gallicanos Præfules censuisse, prius non discussis articulis doctrinalibus, quos cum, inquiunt, prorsus ignorarent, discutere non potuerant. Tum quia cum Pontifex præ oculis haberet quinque illos doctrinæ articulos, quos ab Episcopo Convennarum ad se transmissos acceperat, illos, probasset, procul dubio appellasset; neque ex Literis dumtaxat Episcoporum Galliæ, sed longe melius per seipsum ex lectione illorum articulorum asseruisset, se intellexisse multos in Gallia ad saniorem doctrinam re-

P^{ag}. 116.

*d' un E-
crit inti-
tulé, Re-
futation paratos esse Constitutionibus Apostolicis eam reverentiam & observantiam, quam de la
Sedis Apostolica majestas, & summa ejus auctoritas exigit, impendere; eaque alia
fausse Re-
lation du
R.P. Fer-
rier an.
1664.*

versos esse. Tum denique quia declarat Pontifex, quæ sit illa sanior doctrina, ad quam multi inducti sunt: videlicet *adhæsio perfecta*, (ut putabat) Constitutionibus Apostolicis. Reipsa enim profitebantur Janseniani, se

Illud Instrumentum, quod ceterorum nomine a DD. de Lalane, & Girard subscriptum die 17. Junii an. 1663. ad Alexandrum VII. misit appellatus

sæpius Episcopus Convennarum. Hæc profecto est doctrina sanior, ad quam multos reversos esse Pontifex non sine magno luctu sensu accep-
erat: de articulis vero illis, ne verbum quidem: sive Pontifex illos ex-
pendere, aut suam circa illos mentem aperire noluerit; nullo etenim certo & authentico instrumento novimus, quid de illis articulis Romæ statutum fuerit. Hoc certum, fictam, ac dolosam fuisse eam reveren-
tiā, & obedientiam, quam Janseniani præferebant erga Constitutio-
nes Apostolicas.

Recueil
p. 139.

Namque non multo post quinque illos doctrinales articulos ad Pontificem missos, alii quinque quæstionem facti spectantes die 24. Sept. an. 1663. iussu Regis Episcopis Gallicanis oblati fuerunt, de quibus ita suam, in Epist. ad Alex. VII. die 2. Octob. ejusdem anni 1663. tententiam exponunt. Pro-
ductum est, inquiunt, *Jansenistarum illud Scriptum, in quinque divisum articulos, cuius tenorem integrum ad Sanctitatem vestrammittimus.* Quartum hic dum-
taxat articulum referimus, utpote quo præcipuam offensionis caussam contineri nos arbitremur... Quod spectat ad decisiones facti, quæ continentur in constitutione Alexандri VII. quibus definitum est quinque Propositiones ex Jansenii libro excerptas esse & in sensu ab eodem auctore intento damnatas, declaramus nos eas definitiones omni cultu, obsequio, & observantia, quam exigit a fidelibus Ecclesia in similibus cauiss, & in ejusmodi naturæ rebus prosequi, & semper esse prosecuturos; arbitrati ad privatos Theologos nullatenus pertinere in S. Sedis decisiones insurgere, eas op-
pugnare, vel eis resistere. Mirifica (pergunt Gallicani Episcopi) nostrum omnium, quoiquot aderamus, in his verbis reprehendendis extitit consensio. Visa sunt enim subdola, simulatum dumtaxat obsequium præferentia, mente versipelli, & callida concinnata, eoque periculoflora, quod Formulæ ideo in Conventibus nostris instituta, ut vestre Sanctitatis constitutioni debita reverentia magis ac magis sanciretur, uniformitatem dissolvant, & evertant. Istud itaque Scriptum rejiciendum censuimus,

tamquam filium, & nullatenus Catholicum; necesse sumque esse duximus ut mentem apertius exponant, exprimantque luculentius implicatas animi cogitationes; cum ex eorum scriptis, & sermonibus liquido constet, eos in id juxta incumbere, ut obsequium silentio dumtaxat non vero mutata sententia, & doctrina significant. Sic Gallicani Praefules judicant de quinque articulis Jansenianorum, non quidem doctrinalibus, quos non viderant; sed de aliis ad questionem facti spectantibus. Moleste admodum ac graviter tulit dictus Convenniarum Episcopus in citata ad Regem Christianiss. Epistola, istud Cleri Gallicani de quinque illis facti articulis judicium, quasi Catholici non essent ac Jansenii doctrinam continerent, prius non examinatis aliis doctrinæ articulis. Verum ignorare non poterat dictus Episcopus, jam in Comitiis generalibus an. 1660. declarasse Clerum Gallicanum, eos pro haereticis habendos esse, qui negarent quinque Propositiones ex Libro Jansenii extractas, tamquam haereticas damnatas fuisse, & quidem in eo ipso sensu, quo eas Jansenius docuerat. Ignorare non poterat, ab eodem Clero Gallicano statutum, ut omnes & singuli Clerici subscriberent formulæ fidei, quam instituerat. Consequens igitur erat, ut iidem Episcopi pronunciarent, quinque illos articulos facti questionem spectantes non esse Catholicos, quod Jansenii doctrinam non damnaret. Mirum porro videri non debet, quod dictus Episcopus tam aperte improbaverit istud Cleri Gallicani judicium, siquidem in jam citata ad Regem Epistola, significat optandum esse, ut revocetur imposita lex subscribendi formulæ fidei ejusdem Cleri Gallicani: quoniam, inquietabat, hac una discordiam fovet, omni spe sublata posse unquam Jansenii defensores adduci, ut dictæ formulæ subscriptibant.

Priores vero doctrinæ articuli, tanta fuerant arte, ac verborum ambiguitate concinnati, ut quamvis Jansenianum commodius, quam Thomisticum sensum repræsentent, quosdam tamen minus attentos decepterint. Inde est, quod apud Thomistas nonnullos, a quibus laudati sunt caruerint erroris suspicione, non ita vero apud Jansenianos; sive illorum articulorum auctores spectaveris; sive eorum Libros, in quibus iidem usurpantur loquendi modi; sive denique verba ipsa, quibus illi constant. Neino nescit, DD. Girard. & Nicole (illorum quinque articulorum parentes) inter præcipuos & ardentes fuisse Jansenii defensores. Hic inter cetera multa, Disquisitiones sub nomine Pauli Irenæi, & notas in Literas Provinciales sub nomine Vendrochii edidit: ille vero Elucidationem circa factum Jansenii, sub nomine Dionysii Raymundi. Citius vero omnes Oceani aquas exhauseris, quam hos Libellos ab erroribus Jansenii purgaveris: atqui tamen de verbo ad verbum repræsentant quidquid in speciem magis Catholicum in dictis articulis exprimitur. Easdem fere loquendi formulas usurpant Expositio fidei circa gratiam & prædestinationem, quam Eminentiss. Card. Noallius Archiepiscopus Pariensis prescripsit die 20. Aug. 1696. & declarationes seu responsa Archiepiscopi Sebasteni, quas damnavit, ac prohibuit S. Pontifex Clemens XI. die 3. Aprilis an. 1704. Quod si ad ipsum contextum verborum dictorum articulorum attenderimus, apertum erit præcipuum Jansenistarum fallaciam in illis contineri. Fundamentum totius systematis istud est, sicut postea dicemus, voluntatem scilicet pro majori, qua trahitur delectatione. seu cœlesti seu terrena, semper ac necessario, necessitate (quam emollito infallibilitatis nomine appellant) vel bonum vel malum operari; vimque illam delectationis esse relati-

lativam ; hoc est , voluntatem non determinari ad agendum vel non agendum , nisi propter maiorem vel minorem oppositam delectationem . Quo supposito principio , auctores quinque articulorum art. 1. scripsierunt : *De justis illis , quibus illa magna non adest gratia , licet parva , & imperfecta non desit , vere utrumque dici posse ; & potuisse illos Dei mandata servare , & non potuisse &c.*

P. 235. Potuerunt scilicet potentia absoluta , abstracta , antecedente , ac præcisissimis præsentibus subjecti dispositionibus ; non potuerint vero potentia relativa ac iis dispositionibus suppositis ; hoc est , supposita gratia minori & concupiscentia fortiori : atque hoc suo , quem falso Thomisticum jaicitant , sensu , sufficientem gratiam Thomistarnum admittere se profitentur cum Dionysio 1. parte cap. 6. art. 6. Verum a Thomistico sensu longius aberrant . Gratia quippe sufficiens Thomistica , non absolutam tantum , verum etiam relativam , hoc est , ad vincendam actualem concupiscentiam , potestatem confert . Ratio vero a priori hæc est , quia in sententia Thomistarum , gratia physice præmovens non datur ad posse , sed ad agere ; non ad actum primum , sed ad actum dumtaxat secundum . Hinc est , quod præmotione physica gratia sufficienti accidente , potentiam non augeatur , sed ad actum solummodo reducatur . Delectatio vero superior gratiae , sensu Jansenii . ipsammet potentiam confert ; ita ut sine illa superiori delectatione cœlesti , actuali concupiscentiae superandæ impar voluntas remaneat .

Hunc verum sensum Jansenianum præ oculis habuisse , atque in dictis Articulis involvere voluisse , qui eos concinnarunt , manifeste demonstrant verba secundi Articuli , ubi postquam duplē gratiam distinxerē , unam efficacem , cui nusquam resistitur ; alteram vero sufficientem : de ista sic mentem suam aperiunt .

Secunda est , quam tum excitantem , tum inefficacem , tum sufficientem , idem significantibus verbis vocant . Huic vero resistit ac renitur voluntas , eamque effectu privat ad quem excitat , & ad quem potestatem largitur , superius explicato Thomistarum sensu , sufficientem . Potest quidem illi voluntas consentire ; nec tamen , si absit gratia efficax , unquam consentit , non defectu antecedentis potestatis , sed libera sui ipsius in oppositum determinatione . Sed quamvis illa gratia in se spectata effectu illo careat , ad quem tenet , ad quem voluntatem excitat , & ad quem per antecedentem Dei voluntatem destinatur , adeoque falsum sit hoc sensu , omnem Christi gratiam semper habere eum effectum , quem Deus vult ; si tamen spectetur ut cum absoluta Dei voluntate conjuncta , merito hoc sensu efficax dici potest , quia semper id in corde hominis operatur , quod Deus absoluta voluntate intendit &c. Habemus in his verbis clare expressam potentiam absolutam & relativam , in qua ultimæ velut Jansenismi fibrae reconduntur . Priorem vocant antecedentem , quia abstrahit a circumstantiis subjecti ; unde a junt illam concedi per voluntatem Dei antecedentem , quæ a circumstantiis subjecti abstrahit : altera vero consequentem , quæ circumstantias illa supponit . Potentia quidem absoluta & antecedente , potest voluntas gratiae sufficienti consentire ; at non potest potentia consequente , idest relativa ad maiores oppositæ concupiscentiarum vires : atque ita relativa ad has præsentes circumstantias , non potest hominem parva seu minori gratia , Dei mandata observare . Pariter voluntas gratiae sufficienti resistere dicitur , quia in se spectata privatur eo effectu ad quem tendit , & ad quem per antecedentem Dei voluntatem destinatur ; & hoc sensu

Sensu falsum esse dicunt, omnem Christi gratiam semper habere effectum, quem Deus vult: quæ certe resistentia illusoria plane ac fictitia est. Proprie enim loquendo, gratiæ non resistitur, nisi quando privatitur effectu, quem in his, in quibus datur circumstantiis, habere potest: atqui in his circumstantiis, seu relative ad majorem concupiscentiæ delectationem, gratia parva Janseniana effectum plenum, & perfectum habere non potest; quomodo igitur ei proprie resistitur? Hunc esse quinque articulorum sensum, aperte significant illorum Autores in iis collationibus seu Colloquiis, quæ pro explicandis illis articulis habuere cum Patre Ferrerio coram Episcopo Convenerarum. Collocutione 4. opponenti Ferrerio, in mente Jansenii justos cum sola delectatione inferiori nullam habere veram ad observanda mandata potentiam, quia delectationi superiori necessario cedit voluntas; Jansenii defensores mox citati hæc reponebant: (verba sunt Relationis Colloquiorum ab ipsis editæ) *In doctrina Jansenii, voluntatem quidem majori delectationi infallibiter cedere; sed neutquam inde consequens esse, tolli dissentendi potentiam: quia ut istam potentiam voluntas habeat, sufficit, ut dum concupiscentiæ allienti actu obsequitur, auxilium habeat ex se sufficientis ad actum contrarium. Hoc porro verissimum esse in doctrina Jansenii, secundum quem ita voluntatem cupiditas ad consentiendum determinat, ut de virtute, quam in se continet gratia excitans, nihil prorsus detrabat. Et paullo post: Motio concupiscentiæ (superioris) efficientiam gratiæ excitantis (idest delectationis inferioris) non minuit, nec impedit quominus hæc sufficientissimam ex se voluntati ad bene agendum potentiam conferat. Hinc apertum fit, quo sensu autores quinque articulorum gratiam sufficientem, & potentiam cum illa agendi admittant: nimirum sufficientem absolute, non relative ad superiorem cupiditatem. Quam vero fallaciter se eamdem, imo majorem, quam Thomistæ, sufficientiam gratiæ non vietricis agnoscere se jactant, paucis jam attigimus, pluribus infra exposituri.*

Paz. 27.

Epistola Episcoporum Gallie ad Alexandrum VII. Deliberatio sacræ Facultatis Parisiensis circa formulam fidei Cleri Gallicani. Breve Alexandri ad eosdem Episcopos. Constitutio, & formula fidei ejusdem Alexandri VII.

Cum Alexandri VII. Constitutio lata die 16. Octobris an. 1656. in explicationem, & confirmationem Constitutionis Innocentii X. ab Episcopis Gallicanis sollemniter, ac summa cum reverentia recepta fuisset anno 1657. atque in Comitiis generalibus an. 1660. discussæ etiam diligenter repressæque fuissent, quæcumque Janseniani contra subscriptionem formulæ fidei in Comitiis an. 1657. institutæ innumeris fere Libellis opposuerant: confirmata rursus ac imperata ejusdem formulæ subscriptione, Literas ad Alexandrum die 20. Februarii an. 1661. Gallicani Præfules scripsere, in quibus res in executionem Apostolicarum Constitutionum a se gestas referunt; utsim subscriptionum in Ecclesia receptum ac probatum exemplis demonstrant; ipsumque implorant Sedis Apostolicae præsidium, in confirmanda quam, Rege annuente ac protegente imperaverant, dictæ formulæ fidei subscriptione. Jam dum inquit alloquentes Alexandrum, Montium tuorum altitudo primos divini Solis excipiens radios, coruscabat in illo Eminentissimorum Purpulatorum Procerum cœtu, e quibus Dominus illuminat tamquam a montibus æternis, & turbantur insipientes corde; unde adscitus es a Decessore tuo, ut doctissimus fidei nostræ ḡe p. 113 mystes

Réveil
p. 149.
Delibe-
ration
du Cler-
gy

mystes ad efferenda ex divinis Ecclesiæ adytis fidei dogmata, & ad enucleandos hereticos, qui in Janseniano latebant, sensus, scimus te Summi bujus Pontificis consiliorum, & curarum fuisse participantem tuam opem in hoc negotio valde fuisse probatam, teque non minus feliciter, quam strenue laborasse... Addunt, Episcopos ad remedium subscriptionum incitatos fuisse per Apostolicum Breve, quo Innoc. X. eoshortatus est, ut sedulo studio, conatuque prorsus unanimi conspirantes in Domino, darent operam in id, quod opportunius, validiusque conferret ad executionem stabilendam firmandumque penitus usum sue Constitutionis. Ita ex præcepto Sanctissimi Pontificis illius egerunt, nulla alia meliori data via, qua dicta Constitutione ipso usu roboretur. Et hoc ex instituto majorum, qui ad vindicandam veram fidem, sanctionibus SS. Pontificum, & Decretis Conciliorum subscribebant. Tum adductis ex Historia Ecclesiastica nonnullis subscriptionum exemplis, ajunt, ib. p. 154, vim statutorum, quibus Episcopi Gallicani jusserant Constitutionem Apostolicam singulorum subscriptionibus firmari, per non usum, plurimi non subscriptionibus, neque de subscriptione requisitis, aliquatenus imminutam fuisse, ob eam, quæ injecta fuerat pacis ac concordiae spem. Sed quibus, ajunt Præfules Gallicani, compositis rebus nulla spes, omne in turbido consilium, lingua sua cœperunt concinnare dolos, & veluti si æternum sacramentum Jansenio dicturi essent, exquisierunt novos finis, & novos sensus interpretandis illarum Propositionum vocabulis. Ita novarum rerum avidi, nihil intentatum reliquerunt, ut fides hæc quasi dubia retractaretur, & damnatae clarissimis verbis Jansenii Propositiones redi vivis conatibus excitarentur. Solentes sibi videri volunt omnia verba Jansenii ad aliquem sensum Catholicum futilem detorquentes. Atque hac de caussa inductos se fuisse assertur Gallicani Præfules ad renovandam, & urgendam subscriptionum legem, & disciplinam. Tum addunt: Caussa hec jam finita, si aliqua novitas iterum emerserit, indiget tantum in solatium, defensione tua.

Hoc ipso anno 1661. die 2. Maii, ad sacram Facultatem Parisensem accesserunt ex parte Regis Illustrissimi Episcopi, & Magistri D. Henricus de la Mothe Rhedonensis, & D. Harduin de Perefice Rhutenensis, cum Literis, quibus Rex significabat, se ad illam mittere fidei formulam a Clero Gallico in stabilendam executionem Constitutionum Innoc. X. & Alexandri VII. editam. Qua formula fidei lecta, lectis item Regiis ad Facultatem Literis, & audita Rhedonensis Episcopi eloquentissima in ampliorem Regiæ mentis declarationem Oratione, his denique omnibus expensis & in maturam deliberationem adductis, omnium, qui tunc aderant, Magistrorum concordibus omnino suffragiis, declaravit sacra Facultas prædictam fidei formulam, & formulæ subscriptionem sibi maxime probari; cum hæc formula non aliam fidei definitionem contineat, quam quæ Innoc. X. & Alexandri VII. Constitutionibus comprehensa est: si que ejusmodi subscriptione, convenientissimus modus, & validissima ratio mandandi executioni Pontificias illas Constitutiones, ad obserendum novæ doctrinæ ac sectæ. Jamque dudum Facultas utramque Constitutionem receperit; bant quidem Alexandri VII. die 4. Aprilis ann. 1657. illam vero Innoc. X. 1. Augusti an. 1653. lata quoque die 1. Septembris sequentis, contra refragatores exclusionis a Facultate pena: atque aliunde prædictarum tam Constitutionum, quam Formulae doctrina, tota sit ab antiquo, meret constansque Facultatis ipsius sententia; & subscriptionum usus jam pridem sit in facultate recepius, & ab eadem etiam saepius in simili occasione præceptus, ac novissime in damnatione secundæ Magistri Antonii Arnaldi Epistole, ubi de hac ipsa, que

quæ nunc occurrit, materia agebatur. Quocirca, sacræ Theologiæ Facultas unanimi consensu decrevit huic fidei formulæ subscribi a suis omnibus debere, pari modo, & sub iisdem pœnis, quibus voluit censuram prædicti Arnaldi Epistolæ ab omnibus subsignari. Ita videlicet, ut nemo postbac vel ex Doctrinibus ad Comitia, & alia quævis jura ad Facultatem pertinentia; vel ex Licentiatis, & Baccalaureis ad ullos actus Theologicos, sive ad disputandum, sive ad respondendum; vel e Theologiæ candidatis ad supplicandum pro primo cursu, aut de Tentativa respondendum admittatur, nisi prius huic quoque fidei formulæ subscriperit. Ita Facultas Parisiensis.

Gallicanis Episcopis rescripsit Alexander VII. die 16. Maii anni ejusdem 1661. ac laudato eorum zelo, & studio in promovenda Constitutionum Apostolicarum executione, addit: *Hujus mali vivacitatem nunquam penitus extinguendam fore, nisi contra contumaces, ad pœnas prescriptas in Constitutione Innocentii X. & in sua, serio procedatur. Tum Pontificium patrocinium, ubi usus esse poterit, benigne pollicetur.*

Dictæ formulæ fidei a Clero Gallico institutæ, subscribere multi eo prætextu recusabant, quod ad Romanum Pontificem, non vero ad particularem dumtaxat Ecclesiam pertineret, talem fidei formulam condere, & ad subscribendum proponere. Quapropter, ut omni tergiversationi, & effugio locus præcluderetur, rogatus est S. Pontifex Alexander VII. ut vellet ejusmodi formulam mittere, ab omnibus, & singulis Clericis subscribendam.

Anno itaque 1665. die 15. Februarii, Alexander VII. votis Regis Christianissimi & Episcoporum Galliæ annuens, Constitutionem edidit, in qua continetur formula illa fidei: Cornelii Jansenii hæresim, ait S. Pontifex, in Galliis præsertim serpentem, ab Innocentio X. felicis recordationis Prædecessore nostro fere oppressam, ad instar colubri tortuosi, cuius caput attritum est, in varios gyros & cavillationum deflexus euntem, singulari Constitutione ad hunc finem edita extinguere conati sumus. Sed ut multiplices hostis hominum generis artes adhibet, nondum plane consequi potuimus, ut omnes errantes in viam salutis redirent Et postea Nullum aliud remedium opportunius pestiferae hujus contagionis reliquiis extirpandi adhiberi potest, quam si omnes certam formulam subscribant nostra auctoritate firmatam. Hæc vero est formula.

Formula subscribenda.

Ego N. Constitutioni Apostolice Innoc. X. date die 31. Maii an. 1653. & Constitutioni Alexandri VII. date die 16. Octobris an. 1656. Summorum Pontificum me subjicio, & quinque Propositiones ex Cornelii Jansenii Libro, cui nomen: Augustinus, excerptas, & in sensu ab eodem Auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio & damno, & ita juro: sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Hanc vero fidei formulam vult Pontifex, ad qualibet effugia præcludenda, omnesque removendos obtentus, ab omnibus Clericis sive majoribus sive minoribus subscribi. Pontificia auctoritati & Regia accessit, qua cautum fuit, ut illa subscribendi dictæ formulæ disciplina accurate in toto Gallico Imperio executioni mandaretur. Ita conclusis ac coarctatis Jansenii defensoribus, aut subscribendum fuit, aut subeundæ pœnæ, quas Apostolicæ

Recueil
des Bul-
les pag.
164.

Lettre
de M. l'
Eveque
de Co-
mengé
au Roi le
21 Jan.
1664. im-
primée à
la fin de
la refu-
station de
la fausse
relation
du P.

Ferrier.

Recueil
des Bul-
les pag.
220.

P. 222.

Constitutiones, & Regis Edictum statuebant: Varias in partes scissas tunc fuere circa illam, quae postulabatur Formularii subscriptionem.

Varia Jansenianorum circa subscriptionem Formularii sententia.

Duo in formula fidei Alexandri VII. distingueda, & separanda esse contendebant; Jus, seu doctrinam in quinque Propositionibus damnatam; & factum, seu attributionem hujus doctrinae Libro Jansenii. Quantum ad 1. declarabant, se ex animo, & interiori assensu damnare in quinque Propositionibus eum omnem sensum erroneum, quem Ecclesia damnare voluit; seque ex hac parte paratos esse sincere subscribere formulæ fidei. De ista Janseniorum declaratione mox dicemus. Quantum vero ad 2. idest questionem facti, seu attributionem proscriptæ doctrinae Libro Jansenii, duas in partes universim divisi sunt. Alii rigidiores, alii vero remissiores dicti; in unum tamen omnes communis consilio collimantes, ut systema superioris ac relativæ delectationis, oculorum pupilla carius, intactum, & incolumē servarent.

Inter rigidiores, alii aperti, qui erecto rebellionis vexillo, e nativo solo exules, errabundi in alieno liberius debacchantur adversus Apostolicas Constitutiones. Alii vero occulti, quos domi retinet tum amor commodioris vitæ, tum studium tutius juvandi suos absentes socios, consilio, privatis Epistolis, quibus variam causas illorum fortunam, occultas ad rem commune promovendam molitiones quantocius renunciant; pecuniis tum suis, tum amicorum ad commune levamen collectis, ac liberali manu effusis; demum furtiva Libellorum distributione.

Remissiores autem, ut planam ac facilem omnibus viam sternerent subscribendæ formulæ, mirum quot vana figmenta excogitaverint ad omnes conscientias scrupulos eximendos: sic tamen, ut factum Jansenii inter illa computarent, quæ non certissime constant. Imo duriores ac incompositas Jansenilocationes toti aversantur, ac merito damnandas ac damnatas profitentur; servato tamen, sub emollitis aliis loquendi formulis, erroris Janseniani capite, Optarent illi quidem, ut placeret Episcopis non nihil remittere de illa severa, quam exigunt, Formularii subscriptione: quia tamen ad subscribendum adiguntur, mire sunt ingeniosi in eludenda subscriptionis significatione.

Priores rigidiores in ea erant mente, nullatenus posse subscribi absolute ac simpliciter formulæ fidei, sed jus a facto distingendum ac separandum esse.

Postiores econtra contendeant, subscribi ei posse nulla facta tali distinctione seu limitatione,

Priores adhuc inter se dissentiebant. Erant, quibus videbatur plane necessarium, ut in eo ipso Instrumento, quo subscriptio continebatur, expressa fieret mentio distinctionis juris, & facti: alii satis affirmabant, quod subscripti publice notum foret, Episcopum, qui subscriptionem exigit, approbare illam restrictionem, seu limitationem; tametsi inter subscribendum eam non exprimeret. Imo volebant eum, qui, nulla facta limitatione, simpliciter quidem subscribebat, sed voce declarabat se cum tali restrictione seu limitatione subscribere, reum non esse perjurii; licet subscriptio simplex, & absoluta foret, nec Ecclesiæ, quæ talem subscriptionem exigit, restrictio manifestaretur.

Ratio præcipua, qua illi nitebantur, ut suam simplicem & absolutam recusa-

rent subscriptionem, hæc erat: Quia exterior subscriptio, nisi falsa & mendax fuerat, signum esse debeat interioris mentis assensus, quo verum esse interiorius credimus, id quod exterius subscribendo testamur: adeoque eos omnes, qui non judicant interiori prædicto Jansenii Libro doctrinam hæreticam contineri, vel etiam qui ea de re dubitant, non posse sine mendacii ac perjurii criminis, nulla facta limitatione ac restrictione, subscribere formulæ fidei Alexandri VII. quandoquidem tunc ipsis desunt omnino ea motiva, quæ sola possunt mentis consensum exprimere; nimirum vel summa objecti evidentia, vel suprema, & infallibilis definitis auctoritas.

Porro factum Jansenii ex se non esse clarum, & evidens, demonstrant excitatae de ipso contentiones: aliunde vero, Ecclesiam in hujuscemodi factis falli posse, tritam ac communem esse contendebant Theologorum sententiam.

Inter remissiores ex altera parte Jansenianos, qui putabant se absque ulla limitatione seu restrictione formulæ fidei subscribere posse, varii in varias rursus abire sententias. Nonnulli affirmabant, discriminem juris & facti tam apertum esse & e re ipsa sic sponte nasci, ut superfluum plane sit illud exprimere quod totum ex se prodit, & in oculos omnium statim incurrit. Ita sentire visus est Episcopus Tornacensis, in Epistola ad Regem scripta anno 1664. Alii volebant, eum, qui Formulario subscribit, agnoscere dumtaxat ac testari exterius, quinque Propositiones tamquam extractas ex Libro Jansenii in ejus sensu damnatas fuisse a SS. Pontificibus Innoc. X. & Alexandro VII. quamquam ipse interiorius non acquiescat. Hoc est, eum supponere factum quod jurat, non vero affirmare vel negare: sive subscriptionem testimonium esse rei gestæ, non autem consensus illius, qui subscribit. Eo fere modo quo, inquietabant, Judicii Præses subscribit sententiæ, quæ, se non consentiente, pluralitate suffragiorum vicit: quo casu, subscriptio non est signum consensus illius Præsidis, sed tantum latæ sententiæ. Ita sentiebat celeberrimi Sodalitii Theologus, de quo Auctor Libri, cui Gallice titulus: *De la signature du Formulaire pag. 29.* Quidam tandem, quorum sententiæ parens ac vindicatio præcipuus fuit Sambovius in Epistola ad amicum scripta die 6. Jan. an. 1661. paullo aliam iniere viam. Dicebant scilicet, subscriptionem Formularii merito ab Ecclesia exigi, & a fidelibus exhibendam esse, quia verba Primæ Propositionis, in qua certæ Theologice, ut ait citatus Auctor, continentur, extant in ipsomet Jansenio; & in naturali ultiroque se se ingerente sensu, hæretica sunt, & blasphematoria, quamvis habita ratione eorum, quæ Propositionem in Libro Jansenii subsequuntur, ad saniorem sensum determininentur.

Mirum quo ardore & impetu adversus molliorem hanc & laxiorem non nullorum ex suis sententiam, (quam tamen afferit amplexus esse celeberrimas, doctissimas, & Sancti Augustini placitis additissimas Congregations) invehatur Arnaldus 4. parte Apologia Monialium Portus Regii, capitibns 2. 4. & 5. quam ait, mendaciis, æquivocationibus, ac perjuris patentem aditum aperire. Exterior quippe subscriptio fieri debet ex interiori mentis assensu, & quidem juxta mentem seu intentionem Ecclesiæ ipsius, quæ subscriptionem exigit: quæ vero sit mens & expectatio Ecclesiæ, demonstrant ipsam verba Formularii, in quibus nulla limitatio, nulla restrictio exprimitur. Qui ergo simpliciter ac nude subscribit exte-

rius, apud se autem limitationem aliquam, & restrictionem reservat, ille profecto mendax, & perjurus est: neque excusari omnino potest ex prætenso illo juris & facti discrimine tam publico tam noto; quasi aut discriminem illud ignoraret Ecclesia, aut eo non obstante, simplicem, & puram non exigeret utriusque subscriptionem.

Nihil porro absurdius, obliquius nihil hac fingi potest, quam quod Janseniani illis placet fingere, subscriptionem scilicet dari in testificationem definitionis factæ a SS. Pontificibus, non vero approbationis & consensus subscriptentis. An, rogo, de veritate historica rei gestæ hic queritur, aut de testimonio huic veritati perhibendo? Apage ineptias. Subscriptionem a suis Ecclesia exigit, ut certum habeat fidei & obedientiæ ipsorum testimonium: & qui supponit factum Jansenii quod jurat, vel interius judicat Libro Janſenii doctrinam hæreticam contineri, vel non judicat. Si id interius judicet; factum affirmat, non tantum supponit: si non judicet; non satisfacit intentioni seu fini Constitutionis, quæ judicium illud exigit; nec immunis est a perjurio, utpote qui juret id, quod non judicat verum esse. Procul distat adductum exemplum Præsidis: ex communi quippe ac recepto usu, illius subscriptio exigitur ad firmitatem dumtaxat & sollemnitatem latæ sententiæ, non ad significandum proprium ejus consensum. Quam vero defendit Sambovius sententiam, refellit miro zelo Auctor Libri de subscriptione Formularii pag. 21. tacito Sambovii nomine. Illam ex eo absurdam esse demonstrat, quod ea posita, hæreses plurimas extare in Scripturis & in Patribus liceret asserere, quia in iis occurruunt multæ Propositiones, quæ, prout sonant, & non habita ratione subsequentium, sensum hæreticum ultro patiuntur.

M. de S.
Bona.

Inter illas circa subscriptionem Formularii varias opiniones diuersi fuere Janseniani, usque ad pacem illam, quam a Clemente IX. redditam arbitrantur. Invaluit enim ab hoc tempore alia apud ipsos sententia, exploratum scilicet omnibus esse, Ecclesiam jam nonnihil remisisse, tum de severa exterius subscribendi necessitate, tum de illo intimo, puro ac simplici, quod hactenus postulaverat, subscriptentis obsequio & consensu: quatenus nempe interiorum illum mentis consensum, ad quaestio nem juris seu dogmatis restringit; quantum vero ad factum, silentium religiosum tamquam sufficiens approbat; hoc est, ut neque verbo, neque scripto impugnetur Ecclesia de facto Jansenii definitio. Hujuscem opinionis præsidium ex Brevibus Clementis IX. & Innocentii XII. immerito prorsus repeti, declaravit Clemens XI. & nos paullo post ex verbis eorumdem Brevium demonstrabimus.

Cum vero adversus religiosum silentium inter cetera istud opponeretur, nempe illud mere externum esse, omnique judicio interiori destitutum; adeoque non sufficere, ut a mendacio & perjurio excusat, qui simpliciter ac nude subscriptit; reponebant; reipsa cum illo-exteriori silentio aliquid internum ex parte mentis conjungi; quid vero illud sit, varie explicabant. Dicabant alii, illud internum, esse actum intellectus judicantis servandum esse silentium; & voluntatis se se ad illud determinantis. Verum putida haec erat irrisio & fallacia, quasi Ecclesia consensum in silentium exigeret, & non potius adhesionem judicii in rem definitam. Alii ergo amplius aliquid confessisse visi sunt; in silentio nempe religioso contineri reverentiam & credulitatem.

litudinem quamdam erga rem definitam, propter scilicet auctoritatem Ecclesiae quæ major esse debet quacumque privata, unde jure ac merito præsumitur vera, & legitima ejus intentio, saltem tamquam opinio. Habet enim, inquit, Ecclesia suas opiniones, quibus pro veneranda ejus auctoritate fideles acquiescere tenentur, longe posteriori ratione quam discipuli suis Magistris. Quousque vero illa reverentia erga facti definitionem protendenda sit, absolute definire non ausi sunt; facta unicuique libertate magis vel minus eo animo adhærendi ejuscmodi definitioni, prout superiores, quibus sensa sua exponere tenentur, faciles se aut morosos ac difficiles præbuerint: ea tamen inconcussa lege, ut ista duo pro certis, & indubitate haberentur. 1. medium externum silentium non sufficere. 2. definitionem facti tam certam non esse, ut omnem deliberatam animi anxietatem seu dubitationem saltem speculativam excludat. Verum hæc sententia non satis secum ipsa cohæret. Etenim opinio qualibet incerta est, & cum formidine oppositi conjuncta: an vero quis rem dubiam, & incertam sub juramento affirmare potest?

Duplex præterea distinxere religiosum silentium: unum, quod jus seu dogma; alterum, quod factum spectat. Primum, quo tempore quis exteriorius non obloquitur damnationi doctrinæ, quam intus credit esse veram, omnino rejiciendum contendunt, non alterum.

Qui Jansenianis ex altera parte adversabantur, multa in illius religiosi silentii patronis irreligionis vitia carpebant. 1. Verum auctoritatis Ecclesiae contemptum, cui error interius imputatur; ac externum dumtaxat lingue, non mentis obsequium exhibetur. 2. Temeritatem ac superbiam, quod SS. Pontificum, Episcoporum, ac Ecclesiae totius iudicio, privata sua præponatur sententia. 3. Defectum sinceritatis, imo mendacium ac perjurium, cum exteriorius sub juramento ut verum affirmetur, quod tamen intus falsum esse creditur: manifestam præterea sententiam contradictionem; quod ex una parte obnoxia errori dicatur Ecclesia in suo de sensu Librorum iudicio; ex altera vero, cum juramento verum esse afferatur iudicium, quod illa tulit de Libro Jansenii. Quippe si errare illa potuit, si de facto, ut illi existimant, erravit pronunciando hereticam esse Libri Jansenii doctrinam, qua ratione, qua conscientia, factum hujusmodi sub juramento verum affirmare possunt? Nemo nescit juramentum, ut legitimum sit, debere excludere omne dubium speculativum deliberatum, seu omnem oppositi formidinem: Ergo, vel perversum est ac illegitimum eorum juramentum; vel eam ipsam adstruit Ecclesiae inerrantiam, quam totis impugnant viribus.

Cum vero multi ex nostris inteligerent futurum, ut a Jansenianis obtinere nihil unquam possent, nisi demonstraretur Ecclesiam errare non posse, cum de sensu Propositionum vel Librorum iudicat, multis gravibusque argumentis momentum istud prosecuti sunt. 1. Quod finiri aliter nusquam possent excitatae inter fideles de Libris controversiae. Quid enim facias hominibus, qui protere afferunt; quod etsi Oecumenica Synodus declarasset hereticam esse Libri Jansenii doctrinam, nusquam ad consentiendum sua propria reclamante conscientia adduci possent. 2. Quod sensus integri Librorum contextus, perinde ac sensus aliquarum Propositionum, non pertineat ad nudum, & simplex factum, sed ad doctrinam; adeoque possit Ecclesia eodem securo, & infallibili iudicio pronunciare de sensu integri contextus, sicut de sensu aliquarum Propositionum. Inde est, quod Episcopi

Gallicani in ea Epistola, quam ad Innocentium X. scripserunt die 28. Martii anni 1654. conqueruntur, quod Janseniani, *e vetere fidei deposito, cuius custodia Cathedrae Petri concredita est, partim adimere tentarent*. Quippe de prolixo Libri alicujus contextu non posset Ecclesia sine erroris formidine judicare, quod ad facti questionem pertinere dicatur. Quis sit totius Libri sensus; non poterit etiam certo de breviori contextu, seu de aliquibus Propositionibus pronunciare, ob eam ipsam rationem. Ad factum enim revocabitur, quis sit verborum, quibus Propositio constat, sensus, quae significatio. Par hinc & inde videtur ratio: par igitur Ecclesiae in utrumque sensum discernendum ac notandum afferenda vel deneganda auctoritas. Et re ipsa, eadem ipsa Ecclesia universa, tum integrum Libri Jansenii textum, tum breviorem ac contractum in quinque Propositionibus inde extractis damnavit. 3. Ea non admista Ecclesiae in factis doctrinalibus definiendis inertantia, nisquam secura, & intrepida conscientia remissiores illi Janseniani subscribere possunt cum juramento formulæ Alexandri VII. Namque vel illa juramenti veritas ac certitudo fundatur in evidentia objecti, vel in auctoritate Ecclesiae. Prius videtur absurdum in re, de qua tot acres ab annis sexaginta, & amplius contentiones excitatae fuerunt. Si vero auctoritas illa Ecclesiae errori obnoxia esse potest, nec, ut jam diximus, excludit omne dubium speculativum deliberatum, nisquam potest esse fundamentum juramenti.

Frustra reponeretur, ad legitimum juramentum satis esse, quod præsumatur, imo pie credatur Ecclesiam revera hoc in facto non aberrasse, quamquam absolute potuerit errare; cum nullum satis firmum privato cuiquam suppetere possit motivum, quod auctoritati totius Ecclesiae præponderet. Frustra, inquam, id reponeretur, quandoquidem ad juramentum simplex non sufficit præsumptio, sed omnimoda requiritur certitudo, quae omne dubium excludat; ac recurrat prius argumentum. Unde enim, quæso, potest quis certo persuasum habere, Ecclesiam, quæ absolute errare potuit, re ipsa non errasse in facto Jansenii? An ex evidentia rei? An ex auctoritate Ecclesiae? Si ex evidentia rei: ergo qui tales non habet rei evidentiam, ad subscriptionem juramento firmandam teneri non potest. At quam pauci sunt, qui hujusmodi evidentiam habere valeant! Quam multi vero contrariam habere se afferent, qui proinde pertinacia suæ dimittendi erunt. Hæc enim est mentis nostræ nativa indoles, ut contra propriam, quam putat habere rei alicujus evidentiam, ab assensu vel dissensi retrahi non possit, nisi ex infallibili loquentis auctoritate. Si ergo evidens tibi, ac compertum videbatur ante definitionem Ecclesiae, non aliam in Jansenio, quam puram Divi Augustini doctrinam contineri: si aliunde persuasum habeas, Ecclesiam ea in re definienda errare posse, quid, quæso, adduci poterit, ut certo credas eam de facto non aberrasse? Ex sola igitur infallibili & erroris nescia auctoritate Ecclesiae repeti debet certitudo, veritas, & firmitas juramenti, quo subscriptur formulæ Alexandri VII. 4. Non posset Ecclesia certo judicare de sensu Traditionis scriptarum, hoc est, illius, quæ in Libris SS. Patrum consignata legitur, nisi pari certitudine judicaret de sensu singulorum. Dignosci quippe non potest universalis SS. Patrum Traditio, nisi ex doctrina singulorum. Si ergo falli posset Ecclesia in vero ac legitimo uniuscuiusque sensu discernendo, falli quo-

quoque posset in discernenda universalis Traditione scripta ; quod certe postremum nemo Catholicus admiserit. Longa disparitas est, reponunt Janseniani . Quia sicut unusquisque Episcopus falli potest , non tamen omnes legitimie congregati ; ita & falli potest Ecclesia in sensu hujus vel illius auctoris dignoscendo ; non in sensu totius Traditionis. Verum a scopo longius aberrant, nec veram attingunt discriminis causam & rationem . Unusquisque Episcopus falli potest, non vero omnes. Quare? quia donum infallibilitatis nulli privato Episcopo datum est, sed toti dumtaxat Ecclesiam, quæ non ab uno, aut altero, sed ab omnibus legitime congregatis representatur : inde est, quod omnes vel simul legitime congregati, vel dispersi, in unam conspirantes de fide ac moribus sententiam, errare non possint. In re autem nostra præsenti, eadem est Ecclesia, adeoque eadem auctoritate infallibili instruta , quæ judicat de sensu uniuscujusque ex SS. Patribus, & de sensu totius Traditionis scriptæ . 5. Argumento ad hominem contra Jansenianos demonstrabatur, Ecclesiam non minus certo ac infallibili iudicio de doctrina Jansenii hæretica pronunciasse , quam de Orthodoxa, & Catholica doctrina S. Augustini , quam ab omnibus idcirco sequendam esse ac tenendam affirmant, quia sana, & orthodoxa judicata est ab Ecclesia . Quippe si Ecclesia falli potuit, cum de doctrina Jansenii pronunciavit; quidni cum de doctrina S. Augustini ? Quo supposito, nullo prouersu jure adstringi posset ad eam amplectendam, ille qui contestaretur privata sua evidētia sibi compertum esse Ecclesiam re ipsa non satis a securam fuisse B. Augustini mentem . Si vero falli ea non potuit; cum de mente S. Aug. pronunciavit; dicant, quæso, quo fato ab illa sua infallibilitate exciderit in negotio Jansenii . 6. Hanc Ecclesiam supremam & infallibilem auctoritatem nostri demonstrabant ex usu, & perpetua Ecclesiae praxi, quæ semper de Libris, eorumque auctoribus supremo iudicio pronunciat; imposita etiam fidelibus lege, ut suæ definitioni subscriberent: qua in praxi, viva quædam ac spirans continetur infallibilis auctoritatis Ecclesiae expressio ac definitio . Alias, aut tyrannidem in suos exercuisset Ecclesia , cogendo ipsos ad subscriptionem; aut in jus ipsum, seu doctrinam peccasset, arrogando sibi auctoritatem, quam, si Jansenianis fides, Christus ipsis non contulit . Eamdem auctoritatem in plurimis Cleri Gallicani Comitiis generalibus assertam observabant; ne id quidem dissidentibus Jansenianis, sed merum esse Illustrissimi de Marca fragmentum contendentibus: quasi vero quadraginta Gallicani Præfules Illustrissimi de Marca tam putidum approbassent fragmentum. Sic illi de nostris Episcopis modeste ac reverenter sentiunt ac loquuntur . Postulantibus vero Jansenianis, quodnam foret motivum assensus illius, qui facto in formula fidei contento subscriptis? Respondebat, non esse quidem motivum fidei divinæ supernaturalis, quæ divina ntititur revelatione , in quæ procul dubio nihil de Libro Jansenii; sed esse motivum fidei Ecclesiastice , omni humana majoris . Quemadmodum enim præcepta Ecclesiastica veluti media sunt inter simpliciter divina, & simpliciter humana; ita motivum credulitatis seu consensus, qui datur Ecclesiae de sensu Librorum, & Auctorum judicanti, nec simpliciter divinum, nec simpliciter humanum est, sed Ecclesiasticum , fundatum in supraemna Ecclesiae auctoritate . Verum de hoc argumento, de quo plenius alias, & ex professo disputavimus, hæc breviter dicta sufficient occasione varia Jansenianorum

norum circa subscriptionem Formularii sententiae. Quid vero iidem de quinque Propositionibus senserint, paucis jam exponendum.

Varia Jansenianorum de quinque Propositionibus sententia.

Quinque Propositiones, ac de illis Jansenianorum sententia, sub tripli temporis differentia considerari possunt. 1. ante Romanum de illis institutum examen. 2. eo pendentे examine. 3. post examen, & judicium Romanorum Pontificum.

1. Ante examen, statim ac die 1. Julii an. 1649. a D. Cornet Syndico de latae fuerunt ad sacram Facultatem Parisensem. Janseniani eas verbis ambiguis maligne ad invidiam doctrinæ SS. August. & Thomæ concinnatas fuisse conquesti sunt; pluresque in illis sensis distinguendos esse contenterunt. Ita legere est in multis eorum Scriptis ante Constitutionem Innocentii X. editis; qualia sunt. 1. Scriptum dictum: *In Nominе Domini*. 2. aliud cui titulus: *Conditiones ad examen doctrinæ de gratia, oblate Facultati Parisensi*. 3. illud cui titulus Gallice: *Considerations sur l'entreprise de M. Cornet*. 4. *Quinque Propositionum de gratia, quas Facultati Theologicae Parisensi Magister Nicolaus Cornet subdole exhibuit..... vera, & Catholicæ expositio*. 5. *Quæ sit S. Augustini, & doctrinæ ejus auctoritas in Ecclesia*. 6. Scriptum dictum trium Columnarum, seu *Brevis quinque Propositionum in varios sensus distinctio*.

Immerito prorsus causabantur defensores Jansenii, dictas Propositiones obscuris, & ambiguis vocibus conceptas finisse. Tum quia singula, quibus illæ constant, verba, clara, & simplicia sunt; ac sensum præferunt minime implicatum. Tum quia, quæcumque a Jansenianis ad ea explicanda prolatæ sunt, sive in Scripto trium Columnarum, sive in suis famosis quinque Articulis, longe magis sunt involuta, ac multo pluribus æquivocationibus obnoxia. Tum quia Baccalaureis, qui eas, renitente Syndico, proponabant; atque in suis Thesibus inserebant animo defendendæ Jansenii doctrinæ, procul dubio obscure, & ambiguæ non videbantur. Quod si a Pontificibus ad sensum Jansenii restrictæ, ac determinatæ subinde fuerunt, non inde factum, quod dubiæ, & ambiguæ forent significationis, sed quod a defensoribus Jansenii verba ad libitum interpretantibus, ad sensus alienos, & extraneos detorquerentur, falvo Magistri sui sensu.

Ex dupli vero illarum Propositionum sensu; unus Calvini, alter vero Sancti Augustini, & Jansenii doctrinam referre ipsis videbatur. Uter autem dicendus esset sensus verus, germanus, & legitimus, concordes inter se non fuere. Paullo ante Constitutionem Innocentii X. sicut antea ex Diario de S. Amour parte 6. cap. 21. & 26. observavimus, non magis constabat inter ipsos ante examen scilicet, uter dicendus esset sensus strictus, & rigorosus. Plures existimabant, utrumque verborum sensum ex æquo Propositionibus, prout sonant, convenire: quidam solum Calvini; alii, Sancti Augustini, seu gratiæ ex se efficacis ad mentem Jansenii, sensum esse strictum, & rigorosum illarum Propositionum arbitrabantur. Ad mentem hujus tertiarum sententiarum loquebatur, inter alios, Auctor Libelli cui titulus: *Quæ sit Augustini auctoritas, editi an. 1650. Paucis abhinc mensibus, ait, Propositiones vero per se, & Catholicæ sensu predictæ, sed quæ prava interpretatione alio defecti possent, quarum aliquas confabat esse Augustini, Theologicae Facultati Parisensi examinandas sufficien-*

suffigendasque proposuit ejusdem Facultatis Syndicus, paris cum hoc Censore animi, & consili. Quod non solum ab omni Ecclesiastica lege ac veritate dissidet, sed ad universem fidem, Religionemque evertendam accommodatissimum est. Quis enim non videt, si probatissima quæque, & antiquissima Ecclesiæ dogmata adamussim hanc redigantur, nulla fore tam certa, tam Catholica, tam capitalia fidei principia Conciliorum, & Pontificum Decretis Scripturarumque oraculis robusta, quæ vitiose accipi nequeant, nulla, quæ non jam a perversis ingeniiis in perversos distracta sunt sensus? Paullo ante dixerat... Quis vero fando audivit fuisse unquam hunc Ecclesiæ morem, ut Propositiones per se verae, & idonea auctoritate nixæ, atque ita semper in Ecclesia susceptæ, censuræ idcirco subjicerentur, quod post multa tandem secula a nonnullis in alieno sensu deduci essent cœptæ. His verbis illudebat Auctor ad Propositiones Baji, & Jansenii. Igitur in mente illius, quinque Propositiones Orthodoxum, & Catholicum sensum præferunt, quibus nonnisi maligne sensus hereticus poterat affingi. Idem sensisse, & scripsisse alios quosdam testatur Sambovius in Ep. jam citata.

Secundo, pendente Romano examine, qui pro Jansenio Romam deputati fuerant, testari sunt, plures gravissimos in Urbe Theologos censuisse, dictis Propositionibus juxta vim verborum recte exprimi sensum S. Augustini, hoc est, gratiæ ex se efficacis Jansenianæ, quale illi Deputati defendebant. Ita Cardinalis S. Clementis teste de S. Amour Diarii par. 4. cap. 5. Ita & alius Cardinalis, quem non appellat, & cuius cum Card. Chigio colloquium refert ibidem, par. 6. c. 19. Ita & Doctus ille Dominicanus, cuius perhonorificam mentionem facit par. 5. cap. 9. Idem plane sentiebant nonnulli e Consultoribus, in primis Lucas Vvadinghus, ut ex eorum suffragiis facile est demonstrare.

P. 200.
col. 1.P. 444.
col. 2.P. 298.
col. 2.

Quantum vero ad Deputatos pro Jansenio, visi illi sunt initio nolle suam ea de re mentem aperire, donec habita inter se deliberatione circa eum sensum, qui dicendus foret verus, germanus, & legitimus, tandem statuerunt in eo Scripto quod trium Columnarum dictum fuit, ac Pontifici oblatum die 19. Maii anni 1653. sensum 1. Columnæ seu Calvinii, dicendum esse alienum, & extraneum, qui maligne Propositioni affingi posset, quem legitime sumpta non habet, quique ab ipsis respuebatur. Sensum vero 2. Columnæ, seu, ut dicebant S. Augustini ac efficacis a se gratiæ, esse verum, germanum, ac legitimum, qui ab ipsis defendebatur.

Dissimulari nihilominus non debet, non placuisse D. de Sainte Beuve, ut testatur Dominus de S. Amour part. 6. cap. 26. ista verba, quæ in fronte sensus Calviniani legebantur, quem tamen legitime sumpta non habet; Quia nempe prævidebat, hac declaratione præcludendum sibi fore adiutum ad defendendam gratiam ex se efficacem ad mentem Jansenii, si quinque Propositiones semel damnarentur. Cum enim faterentur sensum illius gratiæ, esse verum, legitimum, ac germanum Propositionis sensum, econtra sensum Calvinii esse alienum & extraneum, & quem legitime sumpta non habet; proclive omnino erat affirmare, verisimile non videri, quod Pontifex sensum alienum & extraneum Propositionis, quemque legitime sumpta non habet, damnasset, postposito ejusdem Propositionis sensu vero, germano, & legitimo. Eventus demonstravit, longe consultius fuisse D. de Sainte Beuve consilium. Orthodoxi etenim, hoc ipso hujus Doctoris ratiocinio opportune, adversus

Jan-

Janseniano usi fuere? ut demonstrarent sensum gratiæ efficacis Jansenianæ, quem illi propugnabant, tamquam verum, legitimum ac germanum Propositionis sensum, a S. Pontifice damnatum fuisse. Quapropter a sua, ut jam diximus, priori sententia recedere coacti, sensum Calvini, quem antea ita alienum, & extraneum Propositionibus dixerant, ut maligne tantum ipsis affingi posset, & ipsum legitime sumptæ non haberent, post constitutionem innocentis, earumdem propriam, ac naturalem esse afferuerunt.

Conqueruntur Jansenistæ, sibi immerito variationem, imo contradictionem objici. Quia, inquiunt Dionysius Raymundus, Paulus Irenæus, Auctor Libri, qui Gallice dicitur: *Defens des propositions de la seconde colonne*, item de S. Amour, distinguendus est sensus strictus, rigorosus, & naturalis Propositionum, a sensu vero, germano, & legitimo. Qua distinctione posita, potuit sensu gratiæ efficacis ad mentem Jansenii dici vernus, germanus, ac legitimus quinque Propositionum; & sensus Calvini, rigorosus, naturalis, & strictus earumdem Propositionum, idque sine ulla aut variatione, aut contradictione.

Verum præpostere, ac serius omnino excogitata distinctio hæc, & ab usi loquendi prorsus aliena. Cui enim unquam venisset in mentem, sensum naturalem a germano distinguere? Cum ipse Sambovius, vir sagacissimus, consilioque cum prætenis Augustinianis conjunctissimus, illam suspicari nullatenus potuerit teste de S. Amour, Diarii par. 6. c. 26. Et certe distinctionem hanc etiamnum ignoraremus penitus, si abstrusum hunc, & longe post Innocentis constitutionem adinventum, auctores ipsius nobis aperire non satagissent.

Neque vero solum inaudita est, sed etiam ab eorum mente tunc eviderter aliena erat distinctio hæc. Namque sensus Calvini non poterat ab ipsis haberi ut rigorosus, & naturalis propositionum sensus, quippe qui non nisi maligne posset affingi propositionibus, quem legitime sumptæ non habent, ut ipsimet loquuntur in suo trium columnarum Scripto. Quantum, quo, malignitas, affingere propositionibus sensum, qui rigorosus, & naturalis est? Et quomodo sensum, qui rigorosus, & naturalis est, propositiones legitime sumptæ non habent? Imo, quo animi candore ac recta fide distinctionem tam ratam, tam singularem Pontifici non referarunt in trium columnarum Scripto, in quo candide, & apertam sententiam non aperire videbantur? Certe aut Pontificem deludere volebant, sibi reservata tacita ad constitutionem ipsius eludendam via; aut dictæ distinctionis arcana, & usum tunc penitus ignorabant.

Tertio denique, post damnatas ab Innocentio X. quinque propositiones, necesse fuit Jansenianos aut Constitutioni se subjecere, aut rectore rebellionis signo discedere ab Ecclesia. His illi angustiis pressi, ad distinctionem juris, & facti, velut ad optatissimum, tutissimumque portum se recepere: contra apertam rei evidentiam affirmarunt, solum Calvini sensum, quem semper ipsi aperte rejecerant in quinque propositionibus damnatum esse, non Jansenianum: *Post Constitutionem Pontificiam*, ait de S. Amour Diarii par. 6. c. 2. *damnationi propositionum acquievimus, omittentes ullum bonum sensum illis attribuere, aut illas ullo respectu defendere*. Montaltius Epist. 17. ad Provincialem, profitetur quoque proprium, & naturalem sensum quinque propositionum alienum esse a sensu gratiæ efficacis Augustinianæ, ideoque Pontifi-

cem istas propositiones damnasse, istique damnationi omnes acquievisse. Declaratio
certe fuci, & doli plena! Profitentur quidem Jansenii fautores, se nullo sensu
defendere propositiones; at non ajunt, se nullum defendere illarum propo-
sitionum sensum: quæ duo in recenti Jansenianorum vocabulario valde di-
versa sunt: *Aliud quippe est apud illos, quinque Propositiones in aliquo sensu,*
aliud aliquem sensum Propositionum defendere. Istud licet, & semper licuit, in-
quiunt, *illud post definitionem non licet.* Idest, licet defendere aliquem sensum
propositionum: at non licet uti verbis propositionum, ad hunc sensum de-
fendendum: *Catholicam efficacis gratiae doctrinam tueri licitum est:* ait Auctor
defensionis Ecclesie Romanae adversus Leydeckerum? (hoc est in ejus men-
te, doctrinam Jansenii) *banc vero damnatae Propositionis verbis exprimere post*
constitutionem nefas est. Sic illi Ecclesie illudunt, cui non aliud, quam circa
verba obsequium præstant; quasi Ecclesie mera foret Schola Nominalium
de verbis unice sollicita: aut licitum foret, mutatis syllabis eundem, quem
ipsa damnavit, sensum retinere verbis aliis æquivalentibus.

Ergo non licebit quidem amplius crude affirmare, mandata Dei justis
volentibus ac conantibus esse impossibilia, aut deesse ipsis gratiam, qua
possibilia fiant: at licebit dicere, absque gratia efficaci, quæ invincibiliter,
& insuperabiliter dat agere, illos nihil posse. Non licebit amplius di-
cere, in statu naturæ lapsæ nusquam gratiæ interiori resisti; istam, ut
& priorem propositionem his verbis conceptam ultero rejiciunt: at securi
dicere poterunt, quamlibet gratiam eum omnem in voluntate effectum
semper operari, quem permittit opposita relative delectatio concupiscentiæ.
Pariter non dicent imposterum, ad merendum, & demerendum in
statu naturæ lapsæ non requiri in homine libertatem a necessitate, sed
sufficere libertatem a coactione: at dicent, ad meritum vel demeritum
actionis, satis esse, quod subsit in objec^{to} aliqua vel levissima mali vel
boni species, quæ voluntatem vel ad prosequendum vel ad fugiendum
illud objectum pro sua flexibilitate excitare aut movere posset: aut di-
cent, satis esse, ut homo peccati reus habeatur, quod non omnes, quas
potest absolute ad non peccandum vices conferat; quamvis relative ad
majorem oppositæ concupiscentiæ vim ac delectationem, eas conferre non
possit. Aut denique afferent, satis esse ad libertatem, quod Deus vim
non inferat voluntatibus nostris, quas suaviter allicit, & delectabiliter
excitat: idest, quod omne voluntarium eo ipso sit liberum, quo est vo-
luntarium. Non dicent etiam, voluntatem gratiæ non posse resistere: at
affirmabunt, gratiam relative viætricem nusquam frustrari posse effectu
suo: Denique, ab ista quidem Propositione abstinebunt: *Christus Dominus*
pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus est: at eundem sensum red-
dent affirmando vel illum pro reprobis mortuum dumtaxat, quantum ad
sufficientiam pretii; vel pro justis non prædestinatis salvandis illum hoc
sensu mortuum, quod ipsis gratias quasdam promeruit, quæ ex se propria-
que natura ad salutem tendunt, ad quam tamen, defectu prædestinantis
Dei voluntatis, nusquam perducent aut perducere possunt.

Hac arte obrepunt Janseniani, & se Catholicos fingunt. Quinque Propo-
sitiones damnatas, quantum ad verba rejiciunt quidem, at integrum Jansenii
errorem in iis contentum, aliis æquivalentibus terminis exprimunt; quales
sunt mox relatae loquendi formulæ, aut alia similes, quas pro loco, & tem-
pore

Relatio
Vvadin.
ghipag.
450.

P. 431.

de la
Manife-
ſte des
Theolo-
giens.
De S.
Amour,
P. 55.
Col. le Et

pore variant Jansenii defensores. Id ita esse judicabit, quisquis sedulo cogitaverit: iisdem omnino probationibus, principiis, ratiociniis ac responsis, tum Jansenium, tum ejus defensores doctrinam suam tueri ac confirmare; fictum ergo, simulatum, ac dolosum erat, non sincerum, non verum, obsequium illud, quod Innocentii Constitutioni exhibere se venditabant.

Et vero, si suis illi principiis hærere, si aut ad Constitutionem ipsam in seipso, aut ad externas ejus caussas attendere voluissent, apertissime huic constanter resistere, ac refragari debuissent. Namque ex una parte videbatur ipsis Constitutio contra jus omne lata, non præmisso sufficiente quinque Propositionum examine; variis earum sensibus non distinctis; non auditis simul in publica, & sollempni Congregatione adversis partibus, nec Scriptis earum invicem communicatis; examini perficiendo selectis Cardinalibus, & Consultoribus magna ex parte aut suspectis, aut ignaris; Judice Pontifice, qui & præ gravi senectute, & præ rerum Theologicarum imperitia, par non erat tam arduis ac implicatis questionibus intelligentis, ac dissolvendis. Tam abjecta profecto Jansenianorum de externis Constitutionis Innocentii caussis opinio, eos ab obsequio removere penitus debuisset, nisi ficta, & simulata obedientia incertos fallere voluissent.

Quin & in ipsam Constitutionem nihil erat, quod eos aperte non offendet, & ad defectionem non irritaret; sive qui Calvinianum, sive qui efficacis gratiæ Jansenianæ dicebant proprium esse, ac naturalem quinque illarum Propositionum sensum. Priores enim, et si faterentur proprium, & naturalem illarum sensum, Calvinianum esse; nihilominus non negabant ad sensum gratiæ ex se efficacis dictas propositiones legitime revocari, eumque ita cum sensu Calvini in dictis propositionibus damnato permisceri, ac confundi, ut periculum foret, ne si non distingueretur, simul cum isto eadem censura involutum fuisse adversarii contendenter. Quapropter enixe a Pontifice postularunt, ut sensum utrumque distingueret, & separaret: quod cum in sua Constitutione non præstiterit Pontifex, non debuissent illi, si cohærenter egissent, huic Constitutioni adhærere. Parum illos juvat, quod idem Pontifex non semel affirmaverit, velle se ut intacta, & integra remaneret SS. Augustini, & Thomæ doctrina; quasi his verbis, quæ certe vim Decreti non habent, qualis competebat latæ Constitutioni, stare illi debuissent; & non potius obloqui Constitutioni scriptæ, in qua prætendi posset, sensum illum simul cum Calviniano proscriptum fuisse.

Adde quod in mente Jansenianorum, attributio sensus Calviniani dictis quinque propositionibus ab Innocentio X. facta, perinde ac sensus Janseniani, sit mera facti quæstio in qua definienda Ecclesiam universam falli posse contendunt. Quomodo igitur Ecclesia (ut ipsis videtur) definiti quinque propositionum sensum esse Calvinianum, tam prompte obsecuti sunt: & reipsa definiti sensum illum esse Jansenianum, non acquiescunt? Ex utraque enim parte, si illos audiamus, factum est; & quidem hinc, & inde inter viros graves controversum: inde istud pondus, & pondus?

Qui vero, inter Jansenianos, existimant sensum gratiæ efficacis Augustinianæ, (idest Jansenianæ) proprium, ac naturalem esse quinque propositionum, iij toris viribus adversus Constitutionem Innocentii, in qua Jansenianus ille sensus damnatur, reclamare debuerunt; nec unquam sincero animo ei adhærere: utpote qui persuasum habeant, sensum illum damnatum, verum, &

Catholicum esse ; ac Pontificem errore facti deceptum fuisse, cum alium, eumque erroneum Jansenio sensum affinxit. Eorum quippe judicio damnata Jansenii doctrina, ipsius Augustini imo, & Ecclesiæ totius circa gratiam Christi doctrinae conclamata est. Hac coherente ratione nixus inter eos recentior, projectæ quidem vir audacia, sed animi candidioris, Clementis XI. Constitutionem latam die 15. Junii an. 1705, qua Constitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. renovantur, ac confirmantur, toti Ecclesiæ feriali Scripto denunciavit, *tamquam evertentem doctrinam gratiæ, qua Christiani sumus; tamquam resuscitantem Pelagium cum suis affectis, tamquam objicientem Ecclesiam extraneorum scandalō.* Uno verbo, ut in cursu Libelli, ait auctor, *dignam cui deveniens Antichristus coronam imponat.*

Nihil recentior ille Jansenianus scripsit, (quamquam impium, & horrendum) quod omnes hujus sectæ homines admirtere non teneantur, cum necessario fluxu ex communibus eorum principiis sequatur : nihil quod vel in ipso controversiæ hujus exordio non agnoverit, verbis quidem honestioribus, ac magis temperatis, inter Jansenianos servidus Scriptor D. Nicole, in eo Libello, cui Gallice titulus: *Examen d'un Ecrit de M. Dirois, Docteur de Sorbonne, touchant la soumission qu'on doit aux Jugemens de l'Eglise sur les Livres.* Article enim 6. declarat apertissime ab ea sententia, que legem imponit subscripti formulae fidei in causa Jansenii, legitime provocari posse, ac debere ad Senatum, Synodum Provincialem aut Nationalem, ad R. Pontificem, ad Concilium ipsum generale. Quid ergo in mente Jansenianorum peccavit recentior ille 1706. D. de Vvite, (styli acerbitate seposita) cum Clementis XI. Constitutionem, qua ultimum gratiæ efficaci Jansenianæ excidium inferri arbitratur, toti Ecclesiæ denunciavit, ac in confirmatione in sue denunciationis, novo Scripto demonstravit, quod demonstraverat Illustr. Cameracensis Archiepiscopus in Epist. ad Quenellum scripta, nihil a se dictum, scriptumve ea in re fuisse, quod omnes Jansenii discipuli ambabus ulnis amplecti non debeant : imo, & ipsum mox appellatum Illustr. Archipræfulem, adversus Quenellii criminationes, contumelias, convitia, dipteraria, egregie vendicat, ac defendit.

Ex quibus certe omnibus manifestum est, Jansenianos Constitutioni Innocentianæ nec sincere unquam obsecutos fuisse, nec si suis stent principiis, obsequi unquam posse, nisi & Alexandrinæ pariter obtemperent. *Quatuor Gallicani Præsules, facta limitatione, subscribunt formulæ Alex. VII. Eam ob rem iis sub infensus S. Pontifex Clemens IX. tum placatus, & qua ratione,*

Formulæ fidei ab Alexandro VII. præscriptæ, singuli in suis Diœcesibus subscribebant Episcopi, & a suis subscribi curabant. Ex illis vero quatuor, scilicet Andegavensis, Bellovacensis, Apamensis, & Aleætensis, in suis pro dicta subscriptione publicis Mandatis, duas in formula Alexandri VII. quæstiones contineri asseruerunt; unam juris, qua V. Propositiones tamquam heretica merito proscriptæ fuerant ab Innocentio X. alteram facti, qua Propositiones istæ dicebantur excerptæ ex Libro Cornelii Jansenii Irenensis Episcopi. Primæ quæstioni, seu juris definitioni, assensum fidei; facto autem, silentii dumtaxat reverentiam deberi.

Ea de causa, in invidiam apud Pontificem, & Regem illico vocatis tamquam in Decreta Apostolica contumacibus, plenum molestiarum, ac periculi negotium ipsis creabatur. Alexander VII. ad Regis Christianissimi postulationem, cogitabat de nominandis in Gallia Episcopis delegatis seu

Com.

Diverses
Ecrits
touchant
la signa-
ture des
Formulæ
laire en
1706.

Commissariis, qui dictorum quatuor Episcoporum Mandata discuterent, rigoroso subjicerent examini, relaturi subinde, quod in eis malum deprehendissent Sedis Apostolicæ Judicio resecandum. Ut duodecim Judges delegati, pro more in Gallis recepto, nominarentur, Rex postulaverat: Pontifex se ad hunc numerum non adstringi, ac novem sufficere contendebat. Interim hac pendente incidenti controversia moritur Alexander VII. cui succedens Clemens IX. ac Prædecessoris sui vestigiis infistens, dictos quatuor Episcopos in jus vocare decrevit, facta eam in rem Episcopis delegatis amplissima potestate. Dicti vero quatuor Episcopi, alias novemdecim, quos in partes suas pertraxerant, precibus induxerunt, ut in sui gratiam tum ad Regem, tum ad Pontificem scriberent. Scripsere & ipsimet quatuor encyclicam ad ceteros Galliarum Episcopos, opem, ac præsidium eorum implorantes. Literas illas omnes Rex plurimum improbavit, easque suppressas voluit, quod animos commovere, & ad graves discordias excitare potuissent. Pontifex vero ad Epistolam novemdecim Episcoporum, qui cum aliis quatuor consentiebant, nihil omnino reposuit. Gravitas rei, numerus Episcoporum illis quatuor faventium; periculum, quod illis quatuor imminebat; judicii forma libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ non satis, ut dicebatur, consentiens, negotium illud magis in dies implicatum, molestum, ac difficile reddebant. Quapropter de illo amice componendo actum cum Nuncio Apostolico. Volebat Pontifex, ut quatuor Episcopi sua dicta mandata expresse revocarent: recusabant vero illi, ne quid forte suæ auctoritati apud suos inde decederet. Medius occurrit Episcopus Lugdunensis, postea Eminentissimus Card. Estræus. Mediam ille aperuit ineunda concordiae viam, quæ supplere retractionem aliquo modo posset: nempe, ut priori illa subscriptione Formularii, quam vulgaverant in suis Diœcesibus illi Episcopi, insufficiente judicata, novam præstarent, & exigenter, atque hinc nova, & accuratori hac subscriptione, priorem, cuius nulla habetur ratio, quasi abolitam, & irritam remansuram esse. Placuit istud consilium; & in eo diligens opera posita est, ut ad id adducerentur quatuor Episcopi. Acquieverunt tandem isti, & convocatis suis Diœcesanis Synodis, novam subscriptionem imperarunt formulæ Alexandri VII. statimque Clementi IX. per Literas propria sua manu subsignatas, testati sunt se sincere, & absque ulla exceptione aut restrictione, dictæ formulæ subscriptisse. Ita rem compositam fuisse iisdem verbis narrabat die 4. Junii an. 1693. Innoc. XII. Eminent. Card. Estræus, pacifici consilii auctor: quique addebat, se unum omnium optime commemorare posse, quid gestum fuerat, cum esset, inquietus, unus ex iis tribus, qui inter Pontificem Clementem IX. & quatuor dictos Episcopos Mediatoris partes agebat, simul cum Archiepiscopo Senonensi, & Episcopo Catalaunensi, qui omnes pariter datis ad Clementem Literis, testati sunt quatuor illos Episcopos optimæ fide egisse... eos damnasse, & a suis damnari jussisse quinque propositiones, sine Gondrin. re, absque ulla exceptione seu restrictione, in eo omni sensu, quo sunt ab Ecclesia damnatae. Ita scribebat Episcopus Catalaunensis. Pontifex his munitus testimoniis, suam quatuor Episcopis benevolentiam, ac paternum affectum restituit.

Mirum profecto, quantum Janseniani ea quatuor Episcoporum cum Clemente IX. reconciliatione, quam superbo, sed falso titulo, Ecclesiæ pacem semper nuncupavere, abusi fuerint in patrocinium sui illius

Ius religiosi silentii, quod Clemens XI. sollemniter tandem proscriptis.

Duo scilicet affirmarunt: primum, Eiscopos illos quatuor in nova subscriptione, quæ continetur in actis verbalibus Synodorum Diœcesanarum, rursus inseruisse limitationem seu restrictionem juris, & facti; atque huic obedientiam, illi reverentiam dumtaxat silentii promississe: alterum, S. Pontificem Clementem IX. quatuor Episcopos ad pacem, & communio- nem suam recepisse, quamquam non ignoraret dictam subscriptionis ab ipsis factæ limitationem, seu restrictionem, unde jactantius venditarunt, approbatam a Clemente IX. fuisse suam de religioso silentio sententiam.

Verum tuitius longe, ac consultius fuisse, occulta illi Synodorum Acta Verbalia, iisdem plane tenebris æternum consepulta relinquere, quibus dicti quatuor Episcopi tanta cura ea involvi voluerunt. Neque enim quidquam inde commodi decerpere Janseniani posint, quod non vergat in præjudicium honoris, ac sinceritatis dictorum Episcoporum, quos nescie erit, vel fraudis incusare, si nova subscriptione, quæ a priori judicata insufficienti non distaret, illudere Pontifici voluerunt: vel Pontificem turpis conniventia, si restrictam illam, ac limitatam subscriptionem novit nec improbavit; imo & doli reum, si quam tacite tolerasset publico instrumento a se toleratam pernegraret. Ita Janseniani res suas agere curant, quamquam alieno detimento. Ut ut sit de illa Episcoporum quatuor a-gendi ratione, quam præ reverentia refricare nolumus, obducto supra totum istud mysterium velo: pro certo, & explorato illud habendum, & secreta illa Acta Verbalia ad Pontificis notitiam nusquam pervenisse, & Pontificem persuasum semper habuisse dictos quatuor Episcopos sincero animo absque ulla limitatione, seu restrictione subscriptisse formulæ Alexandri VII. quandoquidem testante eodem Card. Eminent. Estræo jam citata Epist. S. Pontifex respexit ad declarationem, quam dicti quatuor Episcopi super Epistolam propria syngrapha munitam dederunt suæ sinceræ subscriptionis, verbis adeo claris, & expressis conceptam, ut ad conciliandam fidem nihil amplius desiderari posset. Unde Pontifex in suo ad Regem Chri-stianissimum Brevi die 28. Sept. an. 1668. ait se, *cum letitia cognovisse in sim-plici, ac pura subscriptione Formularii, quatuor illorum Episcoporum obedientiam.* Et in Brevi ad Episcopos pacis Mediatores die 19. Jan. an. 1669. sic loquitur. *Non sine letitia sensu providimus ex Literis Fraternitatum vestrarum... de perfecta, & integra obedientia nobis, & Apostolica Sedis praefita per Episcopos Andegaven-sim, Bellovacensem, Apamensem, & Alectensem, subscriptione Formularii sin-cero animo, & juxta praescriptum Literarum Apostolicarum abeis facta.*

Pariter in Brevi ad illos quatuor Episcopos dato eodem die, ait: *Cum in- genti obsequii nobis, & huic S. Sedi per vos debiti testatione significabatis, vos juxta proscriptum Literarum Apostolicarum... sincere subscriptisse, & subscribi fecisse For-mulario... Nam Prædecessorum nostrorum Constitutionibus firmissime inhaerentes, nul-lam circa illud exceptionem, aut restrictionem admissuri unquam fuissemus.*

Hoc ipsum testatur Card. Rospiugiosius, in sua de rebus circa Jansenismum historica narratione, quam omnium primi laudarunt Jansenii de-fensores. *Neque in re tanti momenti, ait, quidquam connivere, quin imo acer- rime obviam ire decreverat (Clemens IX.)*

An quæso tutiorem testem hic audire possumus, quam ipsummet Cle-mensem IX. conceptis verbis affirmantem, dictos Episcopos sincere sub-scri-

*Recueil
des Bul-
les, pag.
253.*

ib. pag.

266.

ib. pag.

263.

scripsisse juxta præscriptum Literarum Apostolicarum; nec ullam inquam circa istud exceptionem aut restrictionem se admisurum fuisse?

Quod si singulæ gravissimi hujus negotii circumstantiæ sedulo expendantur, patebit illas omnes eo collimasse, ut Pontifici suaderent sinceram fuisse illorum quatuor Episcoporum novam subscriptionem; nec aliter illum prudenter opinari potuisse. 1. Episcopus Laudunensis (Cardin. Estræus) istam, ut dictum est, pacis viam aperuerat, quæ retractationem expressam, quam postulabat Pontifex, quodammodo suppleret; ut nempe Episcopi nova sua subscriptione, & quidem accuratori, priorem, quæ insufficiens judicata fuerat, velut abolitam irritam haberent: Si vero posterior illa subscriptio nihil aliud præse tulisset, quam altera, quomodo istam irritasset? Quomodo nova illa subscriptio retractationis loco fuisse? 2. Quatuor illi Episcopi, per Epistolam propria sua syngrapha munitam, Pontifici testati fuerant se, ut doctrinam Galliæ Episcoporum, (indefinitæ loquuntur, non sicut ajunt Janseniani, plurimorum) ita, & ad subscribendum, eamdem disciplinæ formam plane sequitos fuisse. Alii porro Episcopi Gallicani sine ulla limitatione, seu restrictione subscripterant, ne quidem exceptis illis novemdecim, quos paullo ante diximus aliis quatuor consensisse, non quantum ad formam subscriptionis, sed tantum quoad modum seu viam, quæ proposita fuerat componendi istud molestissimum negotium, Addunt quatuor Episcopi, novam hanc subscriptionem sibi arduam, ac perdifficilem fuisse, non ignaris quot malevolorum voculas excitare posset hæc disciplinæ mutatio. Unde porro subodorari potuisse Clemens IX. ortam illam difficultatem, nisi ex prioris suæ sententiæ mutatione? 3. Tum Episcopus Catalaunensis, tum alii pacis Mediatores scripto Pontifici declaraverant, Episcopos illos quatuor *optimæ fide egisse... eos damnare, & a suis damnare iussisse quinque propositiones sincere absque ulla exceptione seu restrictione in eo omni sensu, quo sunt ab Ecclesia dannatae.* 4. Novemdecim Episcopi, qui aliorum quatuor defensionem suscepserant apud Pontificem, ut aliquem iis excusandi prætextum obtenderent, asserebant *eos non aliam impugnasse opinionem, nisi eam, quæ contendit humana, & quotidiana facta non revelata, non minus quam relevata in Scripturis, & Traditione dogmata, fide esse tenenda.* Quod si, inquiunt, ita sentire criminofsum existimetur, non hoc proprium ipsorum, sed omnium nostrum, imo totius Ecclesiæ crimen fuerit. Ad hæc omnia intuens Pontifex, non poterat suspicari fraudis aliquid delitescere in secretis Actis Verbalibus, quæ dictam Episcoporum quatuor novam subscriptionem continebant; & si quid in illis subinde referatis, & in lucem prolatis, deprehensum fuit sinceritati, candori, ac optimæ fidei non satis consentaneum, quibus id, quæso, Janseniani imputandum existimant?

Denique, circa Clementis IX. mentem nullus superesse amplius potest scrupulus, post Clementis XI. Constitutionem latam die 15. Junii ann. 1705. in qua prædecessoris sui Clementis IX. mentem exponens, eos severe perstringit, qui dicti Clementis IX. Literas, in erroris sui patrocinium advoicare temerario plane ausu non erubescunt, perinde, ac si memoratus Clemens Prædecessor, qui eisdem suis Literis se Innocentii X. & Alexandri VII. Prædecessorum Constitutionibus firmissime inhaerere, ac a dictis quatuor Episcopis veram, & totalem obedientiam, adeoque formulæ a præfato Alexandro editæ, sincere per eos sub-

subscribi voluisse declaravit, aliquam in tam gravi negotio exceptionem, seu restrictionem, quam nullam prius se unquam admissum fuisse protestatus fuit, veipsa admisisset. Errant ergo Janseniani, & sibi blandiuntur adhuc propter illam pacem, quam Clemens IX. non quidem Ecclesiae, ut ipsi falso jactant, sed quatuor dictis Episcopis restituit.

Nonnulli Duacenses doctrinæ Jansenii defensores occulti deteguntur.

Cum an. 1686. unus e Regiis in Academia Duacena sacrae Theologiae Professoribus nomine Gilbert, errores Jansenii docuisset, Rex jussit codices, quos ille dictaverat, deferri ad Professores Sorbonæ ab ipsis dicutiendos. Suo illi doctrinali Judicio die 28. Janu. ann. 1687. declararunt dictum Professorem, in suo de Gratia Tractatu, doctrinam Jansenii non obiter, nec perfunctorie, sed meditato consilio, ac constanter renovare: nec permitti posse sine manifesto Academia Duacena damno, ac periculo, ut in suo Professoris Officio pergeret. Die vero Augusti ejusdem anni, Illust. Episcopus Atrebatensis dictum Tractatum gravi censura confixit, & a Professore retractationem obtinuit aliquot articulis comprehensam, quam ille novo consilio etiam subinde retractavit, significata Episcopo Atrebatensi provocatione a censura, quam tulerat.

Anno 1690. prodiit in scenam personatus Arnaldus, qui subodoratus nonnullos in Academia Duacena Jansenii doctrinæ impensis, at secreto favere, occultum virus, ut caveretur, detegendum sibi proposuit. Assumpta igitur Ant. Arnaldi larva, in quem noverat homines illos animo, & voluntate propensissimos esse, fictis quibusdam Epistolis simulata subscriptione per duplicatam Literam initialem A. A. intima illorum sensa rimari, & expromere cœpit novus explorator. Nec frustra. Etenim viri illi simplices subita confidentia & familiaritate Magni, ut putabant, Arnaldi, inescati, ac velut fulgore quadam perstricti, crassam, ac supinam illarum Epistolarum, quæ hominem Belgam ad oculum referebant, fraudem detegere non valuerunt. Hac arte illecti, intimos animi sui sensus, circa Jansenii doctrinam, in sinum illius personati Arnaldi datis Literis eo liberius effundunt, quod rem totam occultissimam fore confidebant. Simulaverat fictus ille Arnaldus, se non procul ab illis eo in loco versari, in quo vera S. Augustini doctrina per latus Jansenii impetebatur, adeoque egere se prompto eorum auxilio, ac subscriptione, qua pateret doctrinam Propositionum, quas ad illos, ut subscriberentur, mittebat, sanam, & orthodoxam esse. Subscriptas a se Propositiones, quantocius laboranti doctrinæ Augustinianæ opem allaturi, transmitunt. Versabamur nos tunc temporis, Regis Christianissimi jussu, ac gratia, in Academia Duacena, ignari prorsus, ac incisi occultæ, quæ texebatur machinationis, donec tandem prodiit in lucem Anonymi Epistola ad Doctores Duacenos. Creditum est ab ipsoem personato Arnaldo totius Comœdia parente, scriptam illam fuisse, postquam munitus fuit omnibus Literis, & subscriptionibus eorum, quibus laqueum injecerat. Hac autem Epistola, Doctores Duacenos de periculo Academiae imminentे ex prava, quæ serpebat, doctrina, serio admonebat. Rei gravitate, ac novitate commotus Rex Christianissimus, seposita exploratoris fraude, rerum ab ipso detectarum notitia utendum esse duxit. Quapropter autographa Epistolarum, Propositionum, & Thesum illorum Duacensium, jussit reponi in

manus Professorum Facultatis Theologicæ Parisiensis, qui de illis suum proferrent judicium. Post accuratum examen, die 26. Decemb. an. 1691. declararunt, in multis articulis dictarum Thefium expresse, nec sine quibusdam frigidis dicteriori renovari doctrinam trium priorum Jansenii Propositionum ab Innoc. X. & Alexandro VII. proscriptam. Inter multos illos articulos, nonnullos hic retulisse sufficiet, ex quibus de ceteris jucicare primum erit.

Libertas indifferentia in statu naturæ corruptæ, figmentum est pure humanum, ex reliquis Philosophiae Pelagianæ natum.

Sine gratia efficaci non tantum nihil boni facimus, sed nec facere possumus: qui secus sentit, Semipelagianus est.

Gratia sufficiens sensu Molinistico, error est, & hæresis: sensu Thomistico, fatuitas, ineptiæ.

Episcopus Irenensis factione Moliniana damnatus est. Non aliam ille circa gratiam, quam pure Augustinianam doctrinam propugnavit. Nec ullius Pontifex aperiens usquam suæ fallibilitatis dedit Argumentum, quam cum damnatae sunt quinque Propositiones in sensu Jansenio intento.

Alexander VII. sua Constitutione altum gratiæ Evangelicæ vulnus infixit; cuius nondum obducta cicatrix.

Impatienti prorsus animo tulit verus Arnaldus, ementito sub nomine tam turpiter illis Duacensibus illussum fuisse. Adversus fraudem, dolum, mendacium, furtum, contentiori vōce inclamavit; suas illi querimonias ultro condonassent Orthodoxi, si cum fraude exploratoris, simul doctrinam in Thesibus, & Epistolis contentam improbasset.

Anno 1690, die 20. Dec. S. P. Alexander VIII. triginta, & unam Propositiones ex Libris Jansenianorum (si duas excerptis 20. & 21.) excerptas, tamquam temerarias, scandalosas, male sonantes, injuriosas, hæresi proximas, hæresim sapientes, erroneas, & hæreticas respective, damnavit.

Additio facta Formulario per aliquos Belgii Episcopos ab Innocentio XIII. improbata.

Additio facta. Anno 1692. subortis in Belgio novis circa subscriptionem Formularii contentionibus, nonnulli Episcopi ad omnes fraudes, & cavillationes declinandas, majoris interpretationis gratia exigere voluerunt ab iis, qui subscribebant, ut jurarent, 1. *Non tantum in reverentiam Constitutionum Apostolicarum, sed etiam in veritatem earum.* 2. *Non tantum in veritatem earum, quæ in predictis Constitutionibus spectant ad questionem juris, sed etiam in veritatem ejus, quod spectat ad questionem facti ab Alexandre VII. definiti: hoc est, ut non solum jurarent se damnare quinque Propositiones famosas, in omni sensu hæretico, quem habent; sed etiam serio, & sincere illas damnare, ut excerptas ex libro cui titulus: Augustinus Cornelii Jansenii Irenensis: & in sensu a Jansenio intento, seu in predicto ejus Libro expresso.*

Cum haec additio seu explicatio Formularii novas in Belgio dissensiones excitasset, missi ex utraque parte fuerunt ad Innocentium XII. Deputati. Pontifex Breve scripsit die 6. Febr. an. 1694 ad Episcopos Belgii, in quo post confirmatas Innocentii X. & Alexandri VII. Constitutiones, sic loquitur: *Principimus, ut quemadmodum ii, qui ad juramentum adigendi sunt, illud p. 318. & præstare debeant sincere absqueulla distinctione, restrictione, seu expositione, seq. damnare.*

damnando eas Propositiones ex Libro Jansenii excerptas, in sensu obliquo, quem ipsamet Propositionum verba præferunt, prout sensum illum damnarunt SS. Pontifices Prædecessores nostri, damnatumque haberi voluerunt a Christi fidelibus: ita per Fraternitates vestras, ab iis qui Formulario prædicto subscriptent, ac juramentum præstabunt, præter formulam ipsam traditam verbaque in Constitutione Apostolica præscripta, aliquid aliud, vel minimum declarationis, interpretationis, aut explicationis, verbo vel scripto, non exigatur, etiam sub prætextu, quod additiones ad nos transmissæ comprebendantur, seu contineantur in Formulario Alexandri VII. Ceterum ad præcavendas omnes dissidiorum causas, quæ Christianam pacem dilacerant, nos, quoscumque alias sensus Formularii, præter eam, quem ipsius verba exhibent, affirri, vel usurpari, aut de his disputari interdiximus, & probibuimus, ac super ejusdem Formularii interpretatione, sicut, & predictarum Propositionum, in alios sensus præter eum quem ipsa verba per se exhibent, perpetuum silentium imposuimus. Demum. injungimus, ne illa ratione quemquam vaga ista accusacione, & invidioso nomine Jansenismi traduci aut nuncupari sinatis, nisi prius suspectum esse constiterit, (suspectum ait Pontifex non convictum, ut volunt Janseniani) aliquam ex his Propositionibus docuisse, aut tenuisse; nec quemquam sub hoc prætextu repelliri ab Officiis, Muniis, Beneficiis, Gradibus, & Concionibus habendis, vel alia qualcumque functione Ecclesiastica permittatis, nisi, servato juris ordine, eam pœnam, quæ viris alioquin Catholicis gravissima est, commeruisse probatum fuerit. Hac Innocentii XII. quæ Decreto dato die 28. Janu. ejusdem anni jam statuerat.

Janseniani vero, qui vel minimam, ubi affulget, respirandi occasionem avide arripiunt, multis, ut par erat, laudibus tum Breve, tum Decretum Innocentii prosecuti, novum exinde præsidium sibi accrescere, novosque triumphos canere (quos tamen brevi postea, vel ipsimet recantarunt;) occasione scilicet istorum verborum: in sensu obvio, quem verba ipsa præferunt. Quasi hoc unum exigeret S. Pontifex, ut quinque famosæ Propositiones damnentur in seipsis, in sensu obvio, quem verba ipsa præferunt; nulla omnino facta mentione sensus Jansenii. At quam istud contra tenorem verborum, quæ mox citavimus, immerito fingant Janseniani, apertum est cuicunque oculos habenti; tum quia Innoc. XIII. confirmat Constitutiones suorum Prædecessorum Innocentii X. & Alexandri VII. in quibus damnantur quinque Propositiones Jansenii, & in sensu ab illo intento; tum quia jubet juramentum fieri sine ulla distinctione, restrictione, seu expositione.

Verum omnem effugii locum ipsis præclusit Innoc. XII. altero suo Brevi ad eosdem Belgii Episcopos dato die 24. Nov. an. 1696. in quo sic loquitur: Non sine admiratione intelleximus, nonnullos istis in Diæcesisibus reperiri, qui verbis, & calamo ausi fuerint affirmare, supradicto nostro Brevi alteratam seu reformatam esse Constitutionem Alexandri VII. 16. Octobr. ann. 1656. editam, necnon Formularium ab ipsomet pronunciatum; cum dicto Brevi utrumque specificè confirmetur, & omnino intenderimus, & intendamus iisdem adhædere, & nequaquam sinere, ut aliquid addatur vel dematur a predicto Formulario, illud quovis modo alterando in aliqua ejus minima parte, sed quod in omnibus, & singulis ejusdem partibus, uti mandavimus, mandamus etiam adamassim observari. Non potuere non fateri Janseniani, hoc postremo Brevi funditus everti quidquid præsidii ac commodi ex priori speraverant.

Extat nihilominus in hoc ipso postremo Brevi vocula, quæ Jansenianis aptissima visa est ad probandum nullos esse re ipsa Jansenistas, sed fictos, seu, ut loquitur Pontifex prætensos. Quod si, inquit, prætensi Jansenistæ interne, & absque eo quod deveniant ad ullum actum externum, dum jurant Formularium, non aliter damnent quinque Propositiones, quam in sensu obvio, non habito respectu obvit sensus dicti Formularii, suoque arbitrio effingant ejusmodi sensum obvium; Ecclesia non judicat de occultis, quæ soli Deo cordium scrutatori innotescunt. Sin vero iidem prætensi Jansenistæ, voce aut scripto edant proprios sensus Apostolicarum Constitutionum, prædictique Brevis sensui dissentaneos, debent Episcopi, prout de jure, contra eos procedere &c.

Quis tam imperitus vel obsecratus non videat, verbum, prætensi, hic non significare fictos Jansenistas, sed eos, qui ut tales prætenduntur; hoc est, denunciantur, declarantur, demonstrantur? Iste quippe sensus est verbi, prætendo, sicut manifeste patet ex oppositione seu distinctione, quam Pontifex adducit, Jansenistarum, in internos seu occultos, qui nullo externo actu se manifestant, & in externos. Utrosque Pontifex prætensos appellat: an vero externos illos prætensos, idest fictos seu falsos appellaret, quos tamen jubet ad rigorem juris puniri? Quis tam infamam contradictionem in uno, & eodem loco Pontifici tribuerit?

Quatuor Propositiones circa Jansenismum a Clero Gallico in Comitiis generalibus ann. 1700. proscriptæ. Famosus conscientiae Casus. Bulla Clementis XI. adversus illum Casum.

Censura Cleri Gallicæ. 1700. Anno 1700. Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus congregatus damnavit quatuor istas Propositiones circa Jansenismum excerptas ex Libro, cui titulus est: *Augustiniana Ecclesiæ Romanae doctrina &c.*

I. *Phantasma Janseniani questum ubique, sed nusquam repertum, præterquam in laboranti quorundam phantasia.*

II. *Constitutione Innocentii nihil aliud actum, quam ut revocarentur atque exacerbarentur disputationes... In eamdem viam pertractus est Alexander VII. Innoc. quoque XII. cum ex officio teneretur claram proferre sententiam, generalibus aequi vocisque verbis adhibitis, dat locum existimandi se non ausum esse clarus loqui, tamquam errare metuentem... atque illud, in sensu obvio, ejusdem Pontificis, magis adhuc generale est, & vagum, quam verba Alexandri XII. in sensu a Jansenio intento. Episcopi denique Gallicani, libertates Ecclesiæ Gallicanæ, sub earum affrendarum specie, labefactarunt, super recipienda Constitutione Innocentii X. contra Jansenium.*

III. *Aliquam huic malo medicinam attulisse videbatur Innoc. XII. in Brevi sua 6. Febr. 1694.... Verum, mitigationem illam præsumptam non parum extenuavit Brevi 24. Nov. an. 1696, ubi Pontifex diserte negat, Constitutionem aut Formularium Alex. VII. Brevi suo alterata aut reformata... in aliqua minima ejus parte... Nec placet eorum opinio, quæ ex ipso primo Brevi 6. Febr. 1694. edito, aliquid mitigationis circa factum tentavit exculpere... sed & nihil majorem in questione juris progressum factum esse, jam quoque convenit ostendere.*

IV. *Circa condemnationem Augustini Jansenii, opus esset collatione regulari habita, vel coram Judicibus a Romano Pontifice, vel a Rege datis... Non dum omnes interierunt, qui sciunt deliberationes (de Janseniano negotio) quas nunc Episcopi, ut regulas suarum hodiernarum Deliberationum (cir-*

(circa novum Quietismum) sumunt, Cleri Gallicani eternum fore propria-

He quatuor Propositiones, ait Censura Cleri Gallicani, quibus inquieti homines Innoc. X. & Alex. VII. Constitutiones, Innocentii quoque XII. Brevia equis-
fima, & ab omnibus approbata aperte contemnunt, Episcopos Gallicanos rebus judicatis adhærentes incessunt maledictis, & caussam hanc de integro retractari postulant, tamquam tot Constitutionibus Apostolicis, etiam accedente Ecclesiarum con-
fessione, caussa nondum finita fuerit, falsæ sunt, temerariæ, scandalosæ, contumeliosæ in Clerum Gallicanum, Summos Pontifices, & in Universam Ecclesiam,
schismaticæ, & erroribus condemnatis faventes.

Janseniani tot Vaticani fulminibus attriti, non quieverunt; sed novis in dies conatibus, innumerisque fere Libellis, toties prostratos errores suos recudere ac excitare tentarunt. Unus inter eos prodidit an. 1702. dictus famosus conscientiæ Casus, in quo inducitur nescio quis Clericus, cui Sacra-
mentalnis absolutio denegata fuerat, eo quod declarasset, se revera quinque Casus
Propositiones simpliciter, & absolute damnare, ac formulae fidei Alex. VII. subscri-
psisse quidem; nibilominus quantum ad questionem facti, seu attributionem illarum tiae.
quinque Propositionum Libro Jansenii, existimare se religiosum sufficere silentium.
Nihil unquam tam cordi fuit discipulis Jansenii, quam, obtenuit hujus religiosi silentii, Magistri sui doctrinam censuris eripere, ac clanculum diffundere. Quadraginta Doctores Theologos Parisienses, & quidem ex iis aliquos non sine malis artibus, adduxerunt ad subscribendam propositi in dicto conscientiæ Casu articuli responsionem, his verbis: Doctores infrascripti, visa casus expositione, censem, hujus Ecclesiastici viri sententiam, nec novam esse, nec singularem, nec ab Ecclesia damnatam; neque talem, ut Confessarius possit ipsi Sacramentalem denegare absolutionem, nisi eam retractaverit. Deliberatum in Sorbona die 20. Julii an. 1701. Numero ac pondere quadraginta illorum Doctorum, spem certam conceperant Janseniani, futurum, ut votis suis tandem fruerentur. At vana profecto spes. Statim enim S. Pont. Clemens XI. hanc dicti casus responsionem Decreto dato die 13. Febr. an. 1703. damnavit ac repro-
bavit misso ad Regem nostrum Christianissimum Brevi, in quo sic loquitur:
*Audivimus nuper audaci plane ac subdola nonnullorum hominum opera, qui in id Recueil
nati esse videntur, ut Ecclesiæ ac Reipublicæ pacem turbare non cessent, Libellum p. 399.*
quemdam prodidisse, cui titulus: Cas de conscience, &c. quo sane plura perniciose doctrine capita erroresque damnati revocantur in lucem, & ipsa etiam heretica Jansenii dogmata non obscure foventur; dum editæ olim pro iis omnibus abolendis
Apostol. Constitutiones captioñis subtilitatibus eliduntur.

Eodem an. 1703. die 22. Febr. Eminent. Card. Noallius, Parisiensis Archiepiscopus, censoria virgula eumdem Casum perstrinxit. Judicio Eminentissimi Presulis, Theologi Parisienses, qui dictum conscientiæ Casum approbaverant, paucis exceptis, revocata priori sua subscriptione, se subje-
cerunt. Duo pertinaces resistere, quorum unus ad communem tandem D. De-
sententiam reversus; alter vero, pro sua contumaci inobedientia, e Ca-
talogo Doctorum expunctus fuit, judicio ac sententia sacra Facultatis. lan. D.
Petit-
pied.

Die scilicet 1. Sept. an. 1704. Syndicus de dicta Casus conscientiæ respon-
sione conquestus, postulavit a sacro Ordine, 1. Ut Facultas renovet ac con-
firmet censuram latam 31. Jan. 1656. in Libellum, cui titulus est: Lettre de M.
Arnaud &c. & Decretum super formula fidei, datum die 2. Maii ann. 1661.
2. Declaret Propositionem contentam in Libello, cui titulus est: Cas de con-
Tournely de Gratia. Tom. III. Pars I.

science &c. qua de Clerico, qui subscriptis formulæ fidei ab *Alexandro VII.* sanctitæ hoc statuitur : Il lui suffit d'avoir une soumission de respect, & de silence, prout ce que l' Eglise è decide sur le fait de Jansenius, adversarii prædictæ Censuræ in Epistolam Antonii Arnaldi, & Decreto super formula fidei. 3. Hanc eamdem Propositionem damnatam pronunciet in prædicta censura adversus Epistolam Antonii Arnaldi, eamque afficiat iisdem notis, quibus proscripta fuit Arnaldina Propositio, quæ dicitur facti. 4. Addat, memoratam Propositionem favere mendacio, & perjurio: qua ratione ipsam proscriptis *Emin. Archipræf.*, in Mandato adversus prædictum Scriptum: Cas de Conscience, promulgato die 22. Febr. ann. 1703. 5. Declaret se nunc non attingere, aut expendere cetera Scripti, cui titulus: Cas de Conscience. 6. Decernat duos e Magistris pertinaces, e finu suo repellendos, expungendosque ex albo Doctorum, & ipso facto repulsos, expunctionosque, nisi intra mensum consilium mutaverint; ceterorumque, quos in probando Scripto socios habuere, Magistrorum exemplo, inconsultam Deliberationem revocaverint, & insuper Censuræ adversus Epistolam Antonii Arnaldi, Decreto super formula fidei, & praesenti Conclusioni subscripterint. Quæ cum missa fuisserint in deliberationem in generali Congregatione, cui adsuere plusquam 150. Magistri, communibus votis sic censuit sacra Facultas. 1. Dictam Propositionem consensu Facultatis in Libello, cui titulus: Cas de Conscience, adversarii censuræ sacræ Casus Facultatis latæ die ultima Jan. ann. 1656. in Epist. Ant. Arnaldi, & Decreto conscient. ejusdem super Formula fidei, dato die 2. Maij an. 1661. 2. Inhaerendo prædictæ Censuræ adversus Epist. Ant. Arnaldi, præfatam Propositionem damnandam esse: ut & ipsam damnat, iisdem notis, quibus in prædicta Censura proscripta est prima ejusdem Ant. Arnaldi Propositio, quæ dicitur facti; nempe, ut temerariam, scandalosam, injuriosam SS. Pontificibus, & Episcopis Galliae, atque etiam, ut præbentem occasionem renovandæ ex integro, post damnationem, Jansenii doctrinæ, & in quantum eadem præfata Propositione dicitur, illud obsequium reverentie, & silentii sufficere, etiam iis, qui subscriptere formulæ fidei, quæ adjunctum habet juramentum ex sanctione *Alexandri VII.* prædictis notis hanc etiam esse adjiciendam, ut & adjicit, nempe, quod faveat mendacio, & perjurio. 3. Stare debere inconcussam, sicut & re ipsa apud ipsam semper stetit, & stat, auctoritatem prædictæ Censuræ adversus Epist. Ant. Arnaldi, & prædicti Decreti super formula fidei: adeo ut quicumque Magister, aut candidatus, adversus utrumque aut alterutrum, ut & adversus præsentem Conclusionem, aliquid scripsisse, dixisse, aut prædicasse reprehensus fuerit, eo ipso a sacra Facultate pulsus habeatur. 4. Duos Magistros pertinaces, ipso facto a Facultate exclusos habendos esse, nisi intra spatium unius mensis, subscriptionem suam dicti casus conscientiæ revocaverint, &c. Denique, ut omnibus magis ac magis innotescat, S. Facultatem in docenda sana doctrina, & afferenda Ecclesiæ auctoritate, constare sibi semper, Typis mandanda esse latino ac vernaculo idiomate, cura D. Syndici, & publici juris facienda, præsentem Conclusionem, Censuram adversus Libellum: Seconde Lettre de M. Arnaud latam ultima Jan. 1656. & Decretum supra formula fidei, datum 2. Maij an. 1661. Atque hæc sacra Facultas Parisiensis.

Bene multi Galliarum Episcopi, suis gravissimis Mandatis ac doctissimis Documentis Pastoralibus, certatim stylum exacuere adversus dicti Casus conscientiæ doctrinam.

Accessit tandem & ipsa Pontifícia Clementis XI. auctoritas, emissa sollempni Constitutione die 15. Junii an. 1705. quæ incipit ab his verbis:

Vineam Domini Sabaoth . In qua , postquam confirmavit ac renovavit Constitutiones Innoc. X. & Alex. VII. Clementis vero IX. & Innoc. XII. Brevia seu Epistolas a pravis Jansenianorum exceptionibus, & interpretationibus vindicavit, de doctrina in Casu conscientiae expressa , tum de ipsius auctoribus haec habet: *Præterea iidem inquieti homines , sparsis unde-*
quaque scriptioribus ac Libellis exquisita ad fallendum arte compostis , non sine des Bul-
gravi Apostolicæ Sedis injuria , maximoque totius Ecclesiæ scandalo docere non
sunt veriti , ad obedientiam prefatis Apostolicis Constitutionibus debitam non re-
quiri , ut quis prædicti Janseniani Libri sensum in antedictis quinque Propositioni-
nibus , sicut præmittitur , damnatum , interius , ut hereticum , damnet ; sed satis
esse , si ea de re obsequiosum (ut ipsi vocant) silentium teneatur . Quæ quidem
assertio , quam absurdâ sit , & animabus fidelium perniciose , satis apparet , dum
fallacis hujus doctrinæ pallio , non deponitur error , sed absconditur ; vulnus te-
gitur , non curatur ; Ecclesia alluditur , non paretur ; & lata demum filii inobe-
dientiae via sternitur ad fovendam silentio heresim... Quin etiam eo impudentiæ p. 386.
nonnullos devenisse compertum est , ut veluti naturalis honestatis , nedum Chri-
stiane sinceritatis oblii , afferere non dubitaverint , præfatae formulæ a memorato
Alexandro Prædecessore prescriptæ subscribi licite posse , etiam ab iis , qui in-
teriori non judicant , prædicto Jansenii Libro doctrinam hereticam contineri .
Quasi vero , contra quod scriptum est : Qui loquitur veritatem in corde suo .
Ei , Qui jurat proximo suo , & non decipit ; hujusmodi sectatoribus liceret , Ec-
clesiam ipsam jurejurando decipere , simulque Apostolicæ Sedis providentiam fal-
lere... Ne hujusmodi pravi homines Catholicæ Ecclesiæ pacem subvertere impune
pergant , & simplicium , ac pusillorum mentibus imponere . . . ut quævis impo-
sterum erroris occasio penitus præcidatur , atque omnes Catholicæ Ecclesiæ filii
Ecclesiam ipsam audire , non tacendo solum (nam & impii in tenebris conti-
nescunt) sed & interius obsequendo , quæ vera est Orthodoxi hominis obedien-
tia , condiscant , bac nostra perpetuo valitura Constitutione . Obedientiæ , que
in præinsertis Constitutionibus debetur , obsequioso illo silentio minime satisfieri ;
sed damnatum in quinque prefatis Propositionibus Jansenii Libri sensum , quem
illarum verba præferunt , ut prefertur , ab omnibus Christi fidelibus , ut herे-
ticum , non ore solum , sed & corde rejici , ac damnari debere ; nec alia mente ,
animo aut credulitate supradicte formulæ subscribi posse : ita ut , qui secus , aut
contra , quoad hæc omnia , & singula , senserint , tenuerint , prædicaverint , verbo
vel scripto docuerint , aut afferuerint , tamquam prefatarum Constitutionum
transgressores , omnibus , & singulis illarum censuris , & pœnis omnino subja-
cent , eadem auctoritate Apostolica decernimus , declaramus , statuimus , or-
dinamus .

Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus ann. 1705. Parisiis congregatus , hanc Clementis XI. Constitutionem sollemnitet recepit ac probavit , datis tum ad Pontificem gratulatoriis , tum ad ceteros Galliæ Episcopos encyclicis Literis die 14. Septembris ejusdem anni ; quibus eos , & de dicta Constitutione a se communi omnium plausu recepta , certiores faciunt ; & invitant , ut eam pariter recipient , ac promulgent . Rem summa religione executi fuere singuli suis in Dioecesis Episcopi .

Quapropter jam causa finita est , dejectis , & expugnatis omnibus illis præsidiiis , quibus hactenus Janseniani tutos se ac securos confidebant ; falsas intelligo , tum Clementis IX. tum Innocentii XII. Decretorum

interpretationes, tum ipsummet religiosum silentium, ad quod velut ad munitissimam, & inexpugnabilem arcem configuerant. Inde expulsi, non est, in quo certi consistant, nec aliud videtur superesse, quam ut Ecclesiae sincere obsequantur.

Fallimur; infinitæ sunt hominum illorum astutiæ, fraudes, vitilitigations, fallaciae. At enim, ut Constitutioni parere videantur, vel ipsum Jansenii Librum, sarta tectaque ejus doctrina, multi repudiant; hisque, qui palam, & aperte rebellionis signum contra Clementinam Constitutionem erigunt, adverfari se, indignabundi profitentur. Verumtamen ut speciosum magis, quam verum Ecclesiae præstetur obsequium, ejusque Constitutione eludatur potius, quam ad ejus mentem omni ex parte observeatur, varii varias iniere vias. Eorum sententias nitide refert, refellitque, anonymous quidam, in Libello cui titulus est: *Defensio Epistolæ Leodiensis confutata*. Cum vero fere omnes ante Clementis Constitutionem emerissent, eas data occasione, ubi de Formularii subscriptione, attigimus.

Unam, quæ præ ceteris acrius impugnata, & defensa fuit, necesse est hic exponere. Eam proposuit Leodiensis Ecclesiae Canonicus Theologus, in brevi quadam Epistola Latine scripta, typis edita ann. 1705. tum in prolixiori Libro, cui titulus: *Defensio auctoritatis Ecclesiae*, Leodii typis edito.

Observat pag. 5. Defensionis, post Constitutionem Clementis stare non posse sententiam quorundam, qui antea censebant; quod etsi formula manifeste contineat factum Jansenii, nihilominus existimabant mentem Alexandri VII. fuisse, ut subscriptio nec directe, nec oblique trahetur ad factum, sed solummodo ad jus: eo quod arbitrarentur, factum esse considerandum dumtaxat tamquam connotatum, aut propositionem incidentem. Juvat, inquit Auctor, rem illustrare comparatione, qua nullam vidi bacchanus magis appositam offerri. Puta Regem jubere comprehendi talem vim in tali domo commorantem. Mandatum nil definiret, nisi hunc esse comprehendendum; non spectaret directe nisi ad hominis inclusionem; mens Regis eo tantum re ipsa vergeret, ut iste comprehendenderetur, ubicunque latitaret. Circumstantia adjuncta, illum commorari in tali domo, esset mera indicatio incidens, aut connotatio accidentaria, ut loquuntur, erga Mandatum. In hac comparatione, per Regem intellige Papam: per hominem damnatum ad vincula, quinque Propositiones: per domum, Librum Jansenii. Ita satisfecisset Ecclesie, qui jurasset submissionem erga jus, & servasset reverentiam erga factum debitam Ecclesie, nempe non contradicendo. Quod istam nobis quorundam subscriptientium detexerit fallaciam, eamque post Constitutionem intolerandam esse addiderit, Auctori gratulandum est.

Verum monere debuerat, nec ante Constitutionem tolerari potuisse. Ad quid enim instituta fuerat formula, nisi ad sensum Jansenii unice proscribendum? Attributio ergo Propositionum Libro Jansenii, non est incidens aut connotata tantum, respectu submissionis, quæ per subscriptionem exhibetur; sed est determinatio sensus, qui a subscribente damnari debet.

Jam vero ut Leodiensis systema penitus intelligatur, ad hæc capita revocari potest.

Pag. 41. 1. Factum Jansenii relinquia Summo Pontifice, inter ea, quæ non certissime constant: ex quo consequens est, adhesionem mentis circa tale factum, omni

omni ex parte firmam non esse, & ab omni formidine erroris immunem.

II. Submissionem illam inniti piæ credulitati, quam spiritus pietatis instillat; persuadendo credibile non esse, Ecclesiam in illis circumstan-
tiis unquam deceptum iri. Motivum autem illius credulitatis, infallibili-
tatem Ecclesiæ minus famosam appellat pag. 79. & 80.

III. Ut explicet quomodo non obstante errandi formidine, possit Formularium cum juramento subscribi, asserit non jurari factum, sed tan-
tum sinceritatem, & piam mentis credulitatem, qua facto subscriptitur.
Gratulatur sibi de suo systemate dictus Theologus, jastatque ita remove-
ri vana terricula, quibus animæ Deum metuentes a formula subscriben-
da deterrebantur: addit, vix reperiri posse, qui tali sententia posita, ^{Pag. 26.}
subscriptionem refugere possint. ^{& 27.}

Notanda est in primis ratio, qua asserit posse adduci ad subscribendum,
vel eos ipsos, qui ex propria sententia certo se scire asserunt Jansenium re-
ipsa non docuisse quinque Propositiones. *Totidem*, inquit, *verbis propositiones in Jansenii Libro contineri nemo contendit*; *imo, nec Jansenio voluminis au-*
ctoris, animum fuisse illas docere: sed tantum, in Jansenii Libro reperiri sen-
sum naturalem quinque Propositionum, sive ex mente ipsius, sive præter men-
tem ob minus accuratos loquendi modos. Et postea ... Jansenius dum nimis ex-
tendit Augustini dogmata, sic loqui potuit, ut Sancta Sedes sensum quinque Pro-
positionum merito ipsi tribuerit, tame si ... dum per se ipsum advertit rem justo
longius progredi, recte sit locutus Quinimo, nec Sancta Sedes, nec Episcopi
negant, rectum sensum tribui posse volumini damnato. Sic animas Deum metuen-
tes solatur, scrupulosque, quibus vexantur, Scriptor ille depellit. Omni-
bus, si paucos excipias, displicuit inaudita, licet facilis subscribendi via.
Ex una parte, contra eam Jansenii defensores rigidi plura edidere Opuscula,
*qualia sunt, *Defensio Epistolæ Leodiensis confutata*, de qua superius. Obe-*
dientia credulæ vana religio. Divers Ecrits sur la signature du Formulaire. La ju-
stification du silence respectueux. Eam pariter ex altera parte confutarunt scrip-
*ptis suis plures Catholici: inter eos eminent *Illusterrimus Cameracensis*,*
Archiepiscopus, tribus Epistolis nervose, nitide, ac eleganter conscriptis.

Serenissimus Elector Coloniensis, Episcopus, & Princeps Leodiensis,
die 10. Maii an. 1708. vetuit, idque, ut ipse testatur, de mandato S.
Pontificis Clementis XI. ne typis Leodii mandaretur, aut alibi impressum
venderetur, quod Auctoris istius doctrinæ favere videretur. Prohibitionis
hanc affert rationem: *Ne scilicet, cum gravi animarum periculo irrepat doctrina*
auctoritati Sanctæ Sedis Apostolice contraria, discrepansque a mente S. Pon-
tificis nominatim expressa in Constitutione, quæ incipit: Vineam Domini Sabaoth.

His fere momentis videtur confutari posse dicta opinio.

I. Intoleranda prorsus viro Catholico videri debet opinio, quæ asserit
factum Jansenii relictum esse inter ea, quæ non certissime constant: qua-
si vero post tot emissas ab Ecclesia Constitutiones, in problema deduci
possit, utrum doctrina Libri Jansenii hæretica sit, & perversa. Firmam
vero, & ab omni formidine erroris immunem esse debere mentis adhæ-
sionem, supra demonstravimus.

Et certe hæc verba Formularii, *sincere damno ac rejicio*, aut certitudinem
omniumdam, aut opinionem tantum seu credulitatem quandam signifi-
cant. Si certitudinem omniumdam: ergo omnino certus esse debet,

qui

qui subscriptibit, in Jansenio extare quinque Propositiones: si solam opinionem; ergo nec sufficienter exprimitur firma adhaesio mentis, circa haereticam pravitatem Propositionum: iisdem enim verbis, & juris facto adhaesio exprimitur.

II. Fundamentum submissionis, qua satisficeri Ecclesiae contendit, illud praesertim habet incommodi, quod eos solos, qui spiritu pietatis aguntur, impellere ad obsequium valeat; imparque sit revincenda per tinacia, aut captivanda menti hominum illorum, qui Ecclesiam in facto errasse compertum sibi ac evidens esse asserunt.

III. Si factum non juratur, nec ipsa quoque haereticitas Propositionum jurabitur. Præterea si factum non juratur; ergo sola mentis submission, qua quinque Propositiones Jansenio tribuuntur. Cum vero illa mentis adhaesio, non sit nisi probabile judicium de facto Jansenii, juxta illum Auctorem; atque probabile judicium de veritate alicujus facti, judicium probabile contradictorium non excludat, ita fieri poterit, ut qui jurat se damnare quinque Propositiones in sensu Jansenii propter auctoritatem Ecclesiae, eisdem subinde se probare juret, propter aliud quocumque motivum probabile.

Dum vero latius, & ovans plaudit sibi, quasi facilem omnibus viam ad proscribendum Jansenii Librum aperuerit, ipse se parum ab eo defendendo alienum prodit ac demonstrat. Extant quidem in Augustino Jansenii, juxta ipsum, minus accurati loquendi modi, dum nimis extendit Augustini dogmata. Sic loqui potuit, ut Sancta Sedes sensum quinque Propositionum merito ipsi tribuerit; sed tamen dum per se ipsum advertit se justo longius progreedi, recte locutus est; imo, nec Sancta Sedes nec Episcopi negant, rectum sensum ex collatis totius Operis sententiis, seu ex toto Volumine erui posse. Ergo duriores tantum loquendi rationes apud Irenensem carpit Ecclesia? Ergo systema doctrinae illius defendi potest, salvo Ecclesiae judicio? Ergo temperatis vocibus eadem dogmata propugnare licebit? Ita in Jansenianorum partes abire cogitur, qui famosam, ut loquitur Auctor Epistole, Ecclesiae infallibilitatem abjudicare non dubitat.

Atque haec nobis historice referenda erant de causa Jansenii. Jam vero, quod alterum promisimus ac gravioris momenti est, sistema doctrinae ipsius evolvendum.

Systema Doctrinae Jansenii.

Ex quo Apostolicis Constitutionibus doctrina Jansenii quinq; famosis Propositionibus expressa, confossa fuit, sectatores ejus contentiori voce inclamare non cessarunt, illam censuram nihil ad Jansenium pertinere, ac in vanum dumtaxat erroris phantasma seu quoddam simulacrum recidisse. Infinita propemodum hinc, & inde edita Librorum volumina, controversiam exacutare magis, needum finire potuerunt: Divisis animorum studiis, Ecclesiae pax turbatur, ac debita Sedis Apostolicæ Decretis reverentia violatur. Ex iis, qui Jansenio, vel ejus defensoribus favere impensis vissi sunt, multi rem, de qua agitur, neque norunt, neque omnino nosse potuerunt, quales imperita mulieres, Moniales, illiterati. Multos aliunde cæ. a quædam sectandæ novitatis pru-
rigo, desiderium aucupandæ ingeniosi hominis gloriae, cuiusdam austera
pietatis ac severioris disciplinæ species seduxit, ac Jansenianis addixit; qui-
bus,

bus affectū, & mechanico potius impetu etiamnum adhærent, quam di-
scensionis ac scientiæ iudicio. Qui vero scientia, & literis apud eos plu-
rimum valuerunt, ii stupenda mole voluminum, multiplici verborum ap-
paratu, fallacia, & ambiguitate, controversiam totam sic involverunt,
& obscurarunt, ut Jansenianam hæresim, in fumos, & evanidum phan-
tasma convertant. Quamobrem rei Catholicae plurimum interest, genui-
nam Jansenii doctrinam ex immensa illa voluminum mole, ac offusis non
sine consilio tenebris extricare, & in apertam lucem educere; ut apertissime
pateat, Ecclesiam non falsa quadam erroris imagine delusam fuisse, sed
veram ac realem hæresim in Libro Jansenii deprehendisse, ac proscriptisse.

Quotquot extitere hactenus defensores Jansenii, omnes communī consi-
lio universam ejus doctrinam ad unum gratiæ ex se efficacis, sensu scilicet
Jansenii, caput revocandam esse affirmarunt: hoc unum ipsi capitale
dogma esse, cum quo cetera nexus indissolubili cohærent, ac connectuntur.
Jansenianis id ultiꝝ concedimus, quos ut imitemur, ac pressius sequamur,
totum Jansenianæ doctrinæ systema ad unam delectationem relative su-
periorem, in qua gratiam efficacem Jansenius ipse collocat L. 8. de Gra-
tia Christi cap. 2. & alibi passim, revocabimus. Hæc primum ac unicum
principium est, in quod grande Jansenii volumen resolvitur. Hæc origo
est ac radix, unde, velut a fonte fluvii, quinque Propositiones necessario
diminant; quas Jansenius ipse, velut totidem conclusiones a suo prin-
cipio indivulsas derivavit: quo stante, stant: quo everso, evertuntur.

*Jansenianæ doctrinæ circa delectationem vicitricem ac superiorem
brevis ac contracta delineatio.*

Duplex est delectatio, una cælestis, quæ ad bonum; altera terrena,
quæ ad malum inclinat, & attrahit. Utraque vicitrix, & superior dici po-
test. Vicitrix, quia voluntatis consensum certo exprimit: superior, quia
illum exprimit propter maiores, quas habet vires, comparare ac relative
ad oppositam minorem delectationem. Vox ipsa, Superior, relationem
hanc seu respectum ad inferiorem importat; non ita vero vox hæc, Vi-
trix, quæ absoluta est, & a gradibus opposita delectationis, sive majo-
ribus, sive minoribus, plane independens. Quo sensu, ut dicemus po-
stea, nonnulli Theologi vicitricem agnoscunt, & quidem innoxie, gratiæ
delectationem; non vero ex gradibus, seu relative superiorem.

Jansenius econtra, vicitricem ideo censet, quia viribus seu gradibus su-
perior est opposita delectatione: quapropter in titulo, vicitricem, & su-
periorem simul appellamus.

De illa vicitrii gratiæ delectatione fuse disserit Jansenius L. 4. de Gra-
tia Christi primis undecim capitibus.

Summa doctrinæ ipsius hæc est: Voluntatem hominis infirmam, & per
peccatum multum depressam, nonnisi vicitrice quadam ac dominante in-
deliberata delectatione, seu cælesti seu terrena, ad bonum, vel ad ma-
lum inflecti ac determinari posse. Delectationem hanc unicum esse pon-
dus, quo jam ad agendum necessario applicatur; juxta istud quod centies
obtrudit S. Augustini effatum: Secundum id operemur necesse est, quod am-
plius nos delectat. Ita ut impossibile sit maiorem delectationemvinci a
minori. Quomodo si in bilance duo fuerint pondera inæqualia, necesse
omni-

Sainte
Beuve.

omnino est eam bilancis partem deprimi ac inclinari, in qua majus est pondus: nec unquam fit, imo nec fieri potest, ut majus a minori trahatur; cum nulla sit inter illa duo proportio. Tota scilicet vis delectationis, in mente Jansenii, relativa est; id est, per comparationem ad oppositas sibi vires. Si major fuerit vis gratiae, quam concupiscentiae, necesse erit voluntatem bene operari: econtra male, si viribus prævaluerit concupiscentia. Major enim est resistentia concupiscentiae, quam virtus gratiae parvae, ait unus ex præcipuis Jansenii patronis.

Atque ita in eo systemate Jansenii, delectatio illa superior quasi ex mechanica lege voluntatem movet ac rapit, sive ad bonum sive ad malum, prout cælestia vel terrena præponderat. Quia, inquit Auctor recentior, *hæc est in omni statu, immobilis divinæ providentie lex constituta, ut actio*

Massau. ex proportione majoris inæqualitatis oriatur, qua agens sibi subjiciat passum, & liè T. 2. major vis vincat minorem. Neque id profecto mirum in systemate Jansenii dis. 3.q.6. art. 1.p. videri debet, cum ne æqualem quidem delectationem ab alia opposita

209. æquali superari unquam posse, ac voluntatem eo in casu in medio æquali in suspenso remansuram esse doceat. *Alternante delectationum fluctu,* inquit c. 10. Lib. 4. de Gratia Christi; *in medio remanebitur.* Imo, in hoc potissimum Semipelagianos errasse contendit, quod dicerent, in æqualitate virium gratiae, & concupiscentiae voluntatem superare posse concupiscentiam, & ad bene agendum seipsum determinare.

T. 3. p. 184. col. 2.C. Cum hæc paucis mox delineata Jansenii circa delectationem superiori-
rem doctrina, totius systematis ipsius basis ac fundamentum sit, paullo enucleatus ac distinctius evolvemus hujus delectationis naturam, neces-
sitatem, modum agendi, intimam cum famosis quinque Propositionibus connexionem; discrimen denique, tum a Thomistica physica præmotio-
ne, tum a delectatione simpliciter viatrice, ex qua Catholici nonnulli
vim ac efficaciam gratiae repetunt.

Natura delectationis.

T. 3. p. 185. col. 1.B. Delectatio est vitalis animi motus indeliberatus, quo voluntas fertur in aliquod objectum, tamquam sibi conveniens ac jucundum. *Quid est* delectari hominem justitia, vel mendacio, ait Jansenius L. 4. de Gr. Chr. c. 11. nisi actu aliquo in justitiam, vel mendacium tamquam sibi convenientia, & ju-
cunda moveri? Motus autem ejusmodi voluntatis, non fit nisi actu quodam vi-
tali . . . Delectatio ista, quam ad omnia opera bona S. Aug. exercenda po-
stulat, non est aliud, quam actus quidam indeliberatus calitus immisus in vo-
luntatem, per quem ei bonum propositum suaviter placet . . . Dicimus igitur,
ibid. delectationem istam seu suavitatem in Aug. celebrem, esse partim primum il-
lum, & indeliberatum affectum animæ, qui actualis complacentia est, partim
etiam, & crebro secundum, qui desiderium liberatum dicitur, quibus anima
ita suaviter ac delectabiliter in bonum appetendum rapitur, ut voluntas ei actu
libero consentiat ac bonum diligit, tanto vehementius, quanto fortius illis acti-
bus rapitur.

De ipsa pariter concupiscentiae delectatione, ibid. ait, *Delectationem,*
P. 186. que consensum in peccata præcedit, & suggestionem sequitur, non aliud esse
col. 2. A. nisi desiderium illicitum, indeliberatum, quo animus etiam repugnans in pecca-
tum inbiat: *Vel certe primum ipsum concupiscentiae motum, tamquam amorem*

quem-

quemdam indeliberatum, per quem homini etiam *invito peccare lubet, quamvis consensio non sequatur.*

Delectatio illa dicitur actus indeliberatus, quia rationis advertentiam, & voluntatis consensum antevertit. *An ipsa voluntas, ita Jans. L.8. de Gratia Christi c.3. facit ut delectet, si voluerit? Absit. Hoc enim ut occurrat, inquit Augustinus, non est in hominis potestate.* Et iterum: *Quis habet in potestate ut vel occurrat, quod eum delectare possit, vel delectet, cum occurrerit?*

Illi vero motus primum indeliberati, subinde deliberatos producunt. *Ut sane merito S. Augustinus, ait Jansen. L. 4. cap. 11. actus illos indeliberatos amoris ac desiderii, quibus anima suaviter in Deum deliberato actu diligendum suscitatur, invitatur, trahitur, raptur, nomine dulcedinis, suavitatis, ac delectationis designaverit.*

Præter duplcem illum delectationis motum, unum indeliberatum, alterum deliberatum, tertius est, ait Jansenius ibid. initio capit. qui diciatur gaudium, per quem animus in bono præsente, cum quadam satisfactione, & fruitione conquiescit. De isto delectationis actu non loqui Augustinum perspicuum est. Est enim terminus desiderii, tamquam cuiusdam motus, quo voluntas ad delectationem istam tamquam ad quietem suam tendit. Delectatio vero seu suavitatis, de qua multa S. Doctor tradidit, etiam ad desiderandum, & amandum Deum libero voluntatis motu necessaria est.

Necessitas delectationis.

Duo hic docet Jansenius.

I. Delectationis necessitatem, non ex natura præcise voluntatis, sed ex infirmitate ipsius proficiunt.

II. Delectationem unicum esse pondus, quo voluntas nunc, sive ad bonum, sive ad malum inclinatur.

Primum demonstrat ex professo L. 4. de Gratia Christi cap. 9. hujus hic titulus est: *Necessitas delectationis cælestis ad bene volendum, & operandum, non ex natura voluntatis, sed ex ejus pœna proficiuntur.* Probat vero, tum ex peccato primi hominis, quod sine delectatione præcedente petratum est: tum ex gratia ejusdem, quæ in delectatione ex se victrice non consistebat. Non enim, ait, dominabatur voluntati, sed ei potius dominanti subjacebat, ut cum ipsa voluntas ageret, aut non ageret, prout ipsi videretur. Et cap. 10. Deerat, inquit, dominatus ille delectationis, que consensum libertatis in alterutram partem flecteret. Vera itaque ratio, inquit cap. 9. cur cælestis delectatio ad actus bonos necessaria sit, ex natura medicinæ seu medicinalis adjutorii petenda est. Voluntas enim per peccatum primi hominis in libidinum imperium præcipitata est, ex quibus fit, ut in omnibus actionibus ante gratiam, delectatione quadam libidinosa præente ac titillante provocetur, cui consentiendo peccat.

Secundum, Voluntatem scilicet nec ad bonum, nec ad malum, sine prævia impellente delectatione, ferri posse, infinitis propemodum locis repeatit Jansenius lib. 4. mox citato cap. 7. Cælestis illa suavitatis, inquit, molliet viam, ut voluntas ex carnalium rerum visco emergere possit, & se ipsam in justitiam diligendam figere... Ex quo fit, ut si illa desit, voluntas veluti torpens ac mortua nihil omnino boni amplecti possit: quemadmodum etiam e contrario, nihil in carnalibus diligendis prosequi potest, nisi quod eam antea delectaverit. Paullo post

post ait, delectationem illam esse animo instar olei aut pinguedinis cuiusdam; sine qua cardo voluntatis torqueri aut moveri nullo pacto ad bonum potest.

P. 178. col. 1. B. Et cap. 10. Cum nulla sit gratia operandi, præter istam suavitatem Dei, P. 184. nisi ista tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum cesserint, vel pecca- col. 2. C. bitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur.

P. 183. col. 2. G. Et cap. 9. dixerat: Quandiu in hac vita post acceptam gratiam militat Deo, (creatura) alternante creature, & Creatoris delectatione, nunc recte, nunc perperam facit, prout cali, aut terrenæ delectatio consensum ejus abriperuit.

Peccata etiam ex delectatione prævia perpetrari, docet ibidem cap. 3.

Delectationem celestem, inquit initio capituli, esse verum ex Augustini sententiis medicinalis gratiae adjutorium, quod Deus ad justitiam operandam voluntati tribuit, ex eo demonstrari potest, quia similiter docet, delectationem terrenam esse causam cur ab Adamo posteris justitia deseratur, ac deserendo pecatum . . . Hanc igitur delectationem peccatorum antecedere, & ex illa profici sci, quod ab hominibus peccetur, non uno loco S. Aug. profitetur.

Non jam inquirimus quam parum cohærenter Jansenius gratiam Angelis, & Adamo innocentii datam, in hac ipsa delectatione reponat (Lib. de gratia primi hominis cap. 12.) Namque cum hæc cœlestis delectatio nulla contraria oppugnaretur, necesse fuisset, in mente, ac doctrina Jansenii, Angelos, & Adamum in bono perseverasse. Hæc enim est lex delectationis, ut etiamsi levius fuerit, si tamen nulla contraria oppugnetur, necessario consensum voluntatis exprimat. At certum est, nullam in Angelis, & Adamo innocentie fuisse delectationem terrenam contrariam delectationi cœlesti; necesse igitur fuisset, Angelos, & Adamum necessario amare Deum, & perseverare in bono. Quomodo isticum cohæreat cum principiis doctrinæ Jansenianæ, non jam quærimus; satis nobis est imprimæntiarum, quod Jansenius agnoscat, in præsenti lapsæ naturæ statu prorsus necessariam esse delectationem. Quis porro sit ejus agendi modus, ex Jansenio, ejusque discipulis juvat expendere.

Modus agendi delectationis relative per gradus.

Modus ille agendi positus est in majori, & relativa delectationis virtute, secundum quam necesse est voluntatem quasi ex mechanica lege, ut diximus, operari. In conflicitu enim duarum delectationum, quarum una gradibus alteri præponderat, necesse est minorem cedere majori. Audiamus Jansenium.

T. 3. P. Libro 8. de Gratia Christi cap. 2. Delectatio viætrix, inquit, quæ Augustinus non est efficax adjutorium, relativa est. Tunc enim est viætrix quando alteram supererat. Quod si contingat alteram ardenter esse, in solis inefficacibus desideriis habebit animus, nec efficaciter unquam volet, quod volendum est.

Ex isto autem agendi modo delectationis relativa seu per gradus, necessario sequitur, quod mox dicebamus, superiorum nempe delectationem a minori nunquam vinci posse. Quod ipse agnoscit Jansenius.

P. 183. col. 2. A. Libro 4. cap. 9. Conflictus ille delectationum sopiri non potest, nisi altera alteram delectando superaverit, & eo totum animæ pondus vergat. Quod enim amplius delectat, secundum id operemur necesse est. Vigente enim delectatione carnali, impossibile est, ut virtutis, vel honestatis consideratio prævaleat.

P. 175. col. 1. B. Capite 6. jam dixerat. Perspicue intelligitur; tantopere necessariam esse istim delectationis divinæ gratiam, quando cum terrenarum rerum tentationibus, ac dele-

delectationibus dimicamus, ut nisi major fuerit, quam terrena, qua noster affectus detinetur, fieri non possit, quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur. Major enim delectatio nunquam sane delectatione minore superabitur.

Et cap. 10. Cum nulla, inquit, sit gratia operandi prater istam suavitatem P. 184. Dei, nisi ista tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum cesserint, vel pec- col. 2. C. cabitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur.

Denique, ut infinita hujusmodi prætermittamus, Lib. 7. cap. 5. Cum igitur, inquit, justitiae, vel peccati delectatio sit illud vinculum, quo liberum P. 315. arbitrium in justitia, vel peccato ita firmiter ligatur, & retinetur, ut quamdiu col. 1. D. isto stabiliter possidetur, & constringitur, actus oppositus sit extra ejus potestatem, ita videlicet, ut arbitrium non liberatum eum velle non possit.

Discipuli Magistrum summa consensione sequuntur. Ne unum quidem reperias, qui vim gratiæ efficacis non repeatat ex delectatione superiori, seu relative viætrice. Ex innumeris hic sufficient,

Antonius Arnaldus dissertatione de Gratia efficaci parte 4.art.6. Nihil, Causa inquit, aliud est efficax gratia, quam viætrix delectatio, seu amor Dei, quo Arnal- fit, ut plus delectet, quod præcepit Deus, quam delectat, quod impedit. dina. P. 384. col. 1. in fine.

Sambovius hic in Scholis quondam Regius Professor, quem Paulus Irenæus Disquisitione 4. art. 3. dicit virum fuisse notissimæ eruditio[n]is, probitatis, sinceritatis, Augustinianæ doctrinæ additissimum, qui enucleatus sensum Augustinianorum aperuit. Sambovius, inquam, Tractatu de Gratia, quem anno 1651. dictavit, & cuius fragmentum refert loco mox indi- cato Paulus Irenæus, exponens varios 2. Propositionis sensus, ait, faci- le intelligi posse, qua ratione gratiæ resistitur, vel non resistitur, si tria supponantur. 1. Qued omnis gratia voluntatis, est delectatio viætrix. 2. Quod non est viætrix nisi comparet. 3. Quod eodem modo de hac re philosophandum sit, quo Physici de actione, & reactione.

Paulus Irenæus Disquisitione 5. exponit, quomodo gratia sit compara- te, ac relative viætrix, & tamen semper vinci possit ex majori concu- piscentia. Gratia efficax, inquit, ex Augustino est delectatio viætrix: viætrix autem dicitur, quatenus aliam delectationem vincit. Vincit autem, quia va- lidior, & fortior est; sed fortior est comparete ad concupiscentiæ vires, cum quibus confligit. Ita, si augerentur illæ concupiscentiæ vires, non jam supe- rior, sed infirmior esset; ideoque non vinceret, sed vinceretur: Ergo, quia concupiscentia semper augeri potest, & inflammari vehementius, nullus est est gratiæ gradus in hac vita, in quo non possit gratia vinci per validiorem concupiscentiam.

Dionysius Raymundus in Libro, cui Gallice titulus: Eclaircissement du P. 105. fait, & du sens de Jansenius, 1. parte cap. 3. art. 1. ait, quamlibet gratiata non sufficere ad omnem effectum producendum, sed ejus vim, & actio- nem relativam esse ad resistentiam subjecti.

Idem plane legere est in famosis Colloquiis, quæ de quinque Articu- lis habita sunt anno 1663. coram Illustr. Episcopo Convennarum, in- ter DD. de Lalane, & Girard ex una parte, & P. Ferrier Societatis Je- su ex altera. Integra Collatio 4. tota est de efficacia gratiæ relativa, ac potestate tum absoluta, tum relativa.

Idem, & Auctor Epistolæ scriptæ anno 1661. ad unum Episcopum, qui Comitiis generalibus Cleri Gallicani aderat, quam Epistolam pluri- mum

mum commandant, tum Paulus Irenaeus, tum Dionysius Raymundus ?
Plura in re apud Jansenianos certa, & constanti, quam eorum nullus negaverit, referre plane superfluum ducimus.

Ex doctrina haec tenus exposita, sponte sua fluit, ac nascitur famosa distinctio potestatis absolutæ, & relativæ, quæ cum Jansenianis tam clara, opportuna, & commoda sit eludendis Ecclesiæ censuris, paullo uberioris ex ipsismet videtur exponentia.

Janseniani duplē potestatē distinguunt, unam absolutam, alteram relativam.
Quæ distincō communis clavis est, qua omnes eorum fallacie, & æquivocationes in usurpandis Catholicorum loquendi modis, referantur, ac deteguntur.

Duplex potest observari, ac distingui ad opus bonum potentia, quæ per gratiam confertur: una absoluta, spectata scilicet tum ipsa in se natura gratiæ, tum voluntate Dei antecedente, qua ad bonum tendit, & ordinatur, præcisis subjecti circumstantiis: altera vero relativa, facta nempe comparatione illius ad majorem, vel minorem actualis oppositæ cupiditatis delectationem.

In hac distinctione totius Janseniani systematis quasi medulla, & ultima veluti fibræ reconduntur. Hæc fœcundissima radix fallaciarum, & æquivationum omnium, quibus Catholicorum argumenta declinare, ac Ecclesiæ censuris subducere se, verbis in speciem Catholicis, conati sunt.

Nullo scilicet graviori momento Catholici Jansenianos fatigarunt, quam quod in eorum systemate, homo justus sola gratia parva instructus, & absente efficaci, veram, & expeditam non habeat ad superandam tentationem, præceptumque observandum potentiam: eo nempe, quod in ipso tunc supponatur actualis concupiscentia damnari, ac major esse ipsa gratia; adeoque impossibile sit, ut parva illa gratia superiore vincat cupiditatis hujus delectationem.

Huic eludendo Catholicorum argumento, opportuna maxime visa est æquivocatio vocis hujus, potentia, cuius involucro tecti Jansenii defensores, audacter, ac jactantius asseruerunt agnoscere se, ac profiteri in eo iusto sufficientissimam esse perfectissimam, completissimam, expeditissimamque ad superandam temptationem, & mandatum observandum, facultatem, seu potentiam. Verum, pace dixerim, completissima hæc est eorum fraus atque fallacia. Perfectissimam enim, ac completissimam intelligunt potentiam absolute, ac præcisis circumstantiis, non vero relative ad illas. Sed juvat eorum verba referre.

T. 3. pag. Jansenius systematis parens, L. 8. de Gr. Christi c. 20. expressis verbis, ait, 367. col. remanere in voluntate perfectissimam peccandi potestatem, que non solum adest 3. D. inestque voluntati, quando gratiæ delectatione caret, sed etiam quando intima ejus P. 368. col. 1. 2. suavitate efficaciter trahitur. Et paullo post: Quemadmodum igitur, inquit, qui sub gratia ad opus bonum determinante operatur, simul etiam peccare potest: ita quoque e contrario, qui ista gratia destituitur, sive fidelis, sive infidelis, & peccandi temptationibus quatitur, potest bene facere. Potentia certe illa bene agendi, quam Jansenius agnoscit sub ardenter cupiditate, & male agendi, ib. p. 181. sub motione gratiæ vetricis, relativa esse non potest. Vgente enim delectatio col. 2. B. ne carnali, impossibile est, ait Jansenius L. 4. c. 9. antea cit. ut virtutis, ac hoib. p. 344. nestatis consideratio prævaleat. Tunc enim, ait idem L. 8. c. 2. delectatio est vetricis, quando alteram superat. Quid si contingat alteram ardentiorem esse in solis inefficacibus desideriis habebit animus. Ergo potentia illa mere absoluta est, & ab.

& abstracta, quæ ad usum, & exercitium boni, vel mali operis nihil omnino conferre potest.

Auctor Libelli, qui incipit ab his verbis: *In nomine Domini, ac in lucem prodiit an. 1649. sic loquitur: Præstat, inquit, animadvertere non docere nos divinæ gratiæ simpliciter & per se nunquam resisti: quin imo eidem novimus modo resisti, modo non resisti, comparatione scilicet cupiditatis cum ipsa gratia; ut altera vicissim resistat alteri, prout altera vicissim alteri aut cedit, aut obedit, aut dominatur, & prævalet. At nec inde sit, ut omni prorsus effectu careat, aut caruerit unquam divina gratia, quandoquidem ipsa quatenus superior, aut inferior est adversariae cupiditati, desiderium efficax, aut inefficax in humana voluntate perpetuo gignit. Et paullo post Antistes Irenensis non docuit, divinæ gratiæ simpliciter, aut absolute nunquam resisti, sed respectu solummodo cupiditatis, prout hæc gratiæ, cum qua dimicat, prægravat, vel succumbit. Cæcus sit, qui hic non deprehendat potestatem absolutam, & relativam.*

Sambovius in Tractatu de Gratia jam citato, Disputatione 5. art. 6. apud Paulum Irænum Disq. 4. art. 4. Legitima est, inquit, divisio gratiæ voluntatis propriæ status naturæ lapsæ per Christum Dominum reparatæ, in gratiam sufficiensem, & efficacem, si per gratiam sufficientem intelligatur gratia parva, ea scilicet, quæ, cum sit efficax ejus effectus ad quem proxime ordinatur, & quem Deus absoluta voluntate non intendit, non est tamen efficax ejus effectus, ad quem Deus absoluta voluntate non intendit, & ad quem ordinatur, quantum est de se.

Audis gratiam illam parvam, quantum est ex se, id est absolute, tendere ad opus bonum perfectum, non vero relative: quia Deus absoluta sua voluntate, ac spectata majori hominis cupiditate, non vult amplius opus bonum per talem gratiam parvam fieri. Tum rursus pergit Sambovius: *Gratia, quæ parvæ desideria parva, & imbecille dat voluntatem, licet sit efficax ratione hujus effectus, est tamen sufficiens respectu ulterioris effectus: quia quod eum non ponat, non est defectus virtutis, quæ de se habet omnia, quæ requiruntur ad effectum illum ponendum, sed ratione resistentiæ subjecti, quia scilicet gratia victrix est, non absolute, sed comparate dumtaxat ad minorem concupiscentiam. Deum vero non intendit sua absoluta voluntate ultimum hunc effectum ponit in subjecto sic resistente. Major enim est, ait ibidem, resistentia concupiscentiæ, quam virtus gratiæ parvæ. Nihil clarius, ac disertius proferri potest.*

Arnaldus in sua Dissertatione de Gratia efficaci, parte 2. art. 4. Si de aliquo Causa justo, inquit, cui gratia efficax in aliqua tentatione deit, queratur, an sine gratia Arnald- efficaci ad vincendam tentationem necessaria, quam supponimus ipsi defuisse, ten- dina p. 318. col. 2. tationem vincere potuerit; tunc ex communi omnium loquendi ratione respondebitur, non quidem absolute, sed in illa hypothesi, sine hac gratia non potuisse.

Audis, in illa hypothesi, hoc est, relative ad majorem cupiditatem. Idcirco vero afferit talem justum potuisse absolute superare tentationem, quia gratiam sufficientem habet: quæ, inquit ibid. parte 3. art. 12. in nobis initia bonæ voluntatis producit, atque ideo quamdam bene agendi potentiam, & virtutem largitur: quæ, nisi validior ei concupiscentia resisteret, non modo boni operis desiderium fructu vacuum, sed ipsum bonum opus produceret. Rem ibidem art. 5. illustrat naturali exemplo ignis. *Quemadmodum, inquit, omnis ignis urendi virtutem, & potestatem habet, non tamen quidvis urendi, v. g. auri liquefaciendi, vel lapidis in calcem redigendi; ita ut, si de igne generatim queratur, posse: sed si queratur utrum exiguus* P. 340. *en possit urere, absolute respondendum sit, posse: sed si queratur utrum exiguus* col. 1.

Tournely de Gratia. Tom. III. Pars I.

Q

ignis

ignis possit lapidem in calcem redigere, vulgo non posse respondebunt. Sic omnis charitas, vel exigua, potestas est bonorum operum; & si queratur, utrum, qui bonam voluntatem habet, possit bene agere, posse procul dubio respondendum est. Non tamen omnis bona voluntas ad quidvis efficiendum ita sufficit, ut non aliquando pleniorum voluntatem requirat.

P. 190. col. 1. Paulus Irenaeus potestatem illam absolutam, quæ est in gratia parva, dertissime exponit Disquisitione 1. art. 4. *Etiam si justi, inquit, in hoc statu constituti veram habeant implendi mandata potestatem per gratiam illam tum habitualem tum actualem; illa tamen potestas non complectitur omnia ad agendum necessaria. Si gratia sufficiens Thomistico sensu usurpetur pro ea, quæ tribuit posse, internum a gratia efficaci applicandum, certum est omnes justos volentes, & conantes, nunquam carere ejusmodi gratia. Et art. 5. Inefficax gratia eadem prorsus est atque ea, quam Thomistæ modo sufficientem vocant, modo excitantem. Hæc tribuit posse, & vires ad alium effectum, quem non habet quamvis ista sit inefficax respectu boni operis, ad quod ex natura sua tendit. Vides per gratiam illam parvam, conferri potentiam ad bonum opus, ad quod ex natura sua tendit; potentiam, inquam, absolutam.*

P. 198. col. 1. Disquisitione 2. art. 5. in quarto sensu contendit, Jansenium nusquam ab homine justo removisse potentiam illam in actu primo. Ridiculum mihi videtur, inquit, *Jansenio consilium tribuere, ut grande volumen composuerit ad extensam potentiam quamdam in actu primo, quæ nunquam in actum prodeat. Quid enim illi obest talis potentia? Omnino magna quedam, & gravis questio est, utrum sit necessaria gratia efficax ad bene agendum. At illa semel stabilita, de gradibus illius bene agendi potentie, quæ injustis, etiam gratia efficaci desertis, manet, quæque nullum unquam sola producit actum, operose disputare, otiosorum hominum esse videtur. Quamobrem, ne quis mihi de illa negotium facessat, profiteor illa me locare in summo gradu, dummodo nunquam ex illo gradu in actum ullum prodeat sine efficaci Dei auxilio. Quam hic in summo gradu se collocare potentiam affirmat Paulus Irenaeus; hanc Disquisitione 3. art. 22. dicit esse sufficientem, sufficientissimam, completam, completissimam, plenam, plenissimam, expeditam, expeditissimam.*

P. 206. col. 2. Disquisitione 4. art. 3. ait gratiam illam parvam frustrari eo effectu, ad quem ordinatur per voluntatem Dei antecedentem. Eadem Disq. art. 4. ostendit Jan-
P. 215. col. 1. senianos nusquam impugnasse gratiam sufficientem sensu Thomistico. Et art. 5: Pag. 84. addit, nec eos impugnasse proximam potentiam sensu Thomistico, licet eam remo-
P. 223. tam congruentius dicenda esse sentirent. Ibid. art. 20. *Cum, inquit alloquens col. 2. Annatum, expeditissimas, completissimas, sufficientissimas, proximas potentias, sine efficaci auxilio nunquam in actum prodeentes plenis manibus tertia Dissertatione in finum tuum congregebam, nemo Augustinianorum reclamavit, aut me questus est liberaliorem esse, quam par erat. Nullus opinor fraudem non detegit in his magnificis titulis, quibus Paulus Irenaeus potentiam illam liberaliter exornat, nemine, ut ipse ait, Augustinianorum reclamante; quia scilicet una est eorum omnium mens atque sententia, his vocibus unam dumtaxat significandi potentiam absolutam, & abstractam; minime vero relativam. Capitaliter etenim repugnat Janseniano systemati, quod gratia parva completissimam, expeditissimamque conferat relative potestatem ad vincendam majorem actualem cupiditatem.*

Auctor Epistolæ jam citatae ad Episcopum scriptæ an. 1661. respondens Patri Annato contendenti omnem gratiam, in mente Jansenii, eu[m] semper effe-
ctum

Etum assequi, quem Deus intendit, ait, Annatum hærente in æquivoca. Quia licet hujusmodi gratiæ parvæ, quæ impingunt in animum majori rerum terrenarum amore occupatum, eum non convertant, eo quod voluntas semper eo tendit, quo fortiori amore rapitur; attamen si in se ipsis absolute considerentur, eim habent sufficientem ad producendum effectum, ad quem tendunt, eumque re ipsa producerent, nisi major esset concupiscentiæ resistentia.

Dionysius Raymundus in Libro, cui Gallice titulus: *Eclaricissement du fait & du sens de Jansenius*: passim agnoscit, & commendat potentiam illam veram, quam gratiæ parva Janseniana confert ad opus bonum. Vide art. 4. capit. 1. quartæ partis, ubi ex professio probare nititur, Jansenium gratiam sufficientem sensu Thomistico agnoscisse; eique longe perfectiorem ad opus bonum tribuisse potentiam, quam revera ipsi competit in opinione Thomistarum: quia scilicet gratia parva sensu Jansenii, sine ullo novo ex parte Dei auxilio potest a voluntate bonum opus exprimere, per solam ipsius concupiscentiæ imminutionem; non ita gratia sufficiens Thomistica, quæ quantumcumque voluntas sana, & integra supponatur, nusquam in actum erumpit, nisi ex parte Dei novum accedat auxilium.

Ibidem art. 4. capit. 2. ait, Deum absoluta sua (seu consequente) voluntate, gratias illas parvas, quia parvæ sunt ac debiles, non destinare quidem ad opus perfectum; sed nihil obstat quin dicantur ad illud opus destinatae per voluntatem Dei antecedentem: tum quia hæc semper tendit ad id, quod in se bonum est: tum quia illæ parvæ gratiæ continent in se vim omnem activam, seu principium boni operis effectivum, quod re ipsa perficerent, si minor foret cupiditatis oppositæ resistentia. Idem repetit cap. 6. paralleli.

In famosis Collationibus, quæ an. 1663. habitæ sunt inter D. D. de Lalane, & Girard, & P. Ferrier Societatis Jesu, præsente Illust. Convennarum, postea Cornacensi Episcopo, circa quinque Jansenianorum Articulos, de quibus superius diximus, Collatione 4. opponenti Ferrerio, in mente Jansenii justos tum sola delectatione inferiori nullam habere veram ad observanda mandata potentiam, quia delectationi superiori voluntas necessario cedere debet; defensores Jansenii mox appellati reponebant: (verba sunt Relationis Colloquiorum ab ipsis editæ) In doctrina Jansenii, voluntatem quidem majori delectationi necessario cedere; sed neutquam inde consequens esse, tolli dissentendi potentiam; quia ut istam potentiam voluntas habeat, sufficit, ut dum concupiscentiæ allicienti obsequitur, auxilium habeat ex se sufficiens ad actum contrarium. Hoc porro verissimum esse in doctrina Jansenii; secundum quem, ita voluntatem cupiditas ad consentiendum determinat, ut de virtute, quam in se continet gratia excitans, nihil prorsus detrabat. Et paulo post Motio concupiscentiæ (superioris) efficientiam gratiæ excitantis (id est delectationis inferioris) non minuit; nec impediat, quominus hæc sufficientissimam ex se voluntati ad bene agendum potentiam conferat. Ibidem repetunt, quod mox ex Dionysio Raymundo audivimus: longe perfectiorem ad bene agendum potentiam conferri per gratiam parvam sensu Jansenii, quam per gratiam sufficientem sensu Thomistarum.

Auctores quinque Articulorum rem clare explicant Art. 2. Quamvis, inquit, illa gratia sufficiens in se spectata effectu illo careat, ad quem tendit, ad quem voluntatem excitat, ad quem per antecedentem voluntatem destinatur; adeoque falsum sit, hoc sensu omnem Christi gratiam semper habere eum effectum, quem

D. Gi-
rard.
Pag. 18.

Confe-
rences.
pag. 27.

Deus vult: si tamen spectetur, ut cum absoluta Dei voluntate conjuncta, merito hoc sensu efficax dici potest. Audis gratiam sufficientem seu parvam sensu Jansenii, ex se tendere, ac ex Dei antecedente voluntate destinari ad effectum perfectum, quæ potentia absoluta est; non tamen effectum illum obtinere ex voluntate Dei absoluta, quæ potentia est relativa ad majorem cupiditatis delectationem, qua supposita, non potest illa parva gratia effectum illum producere.

Infinitus essem, si omnia Jansenianorum in re eadem testimonia referre vellem. Lege Librum inscriptum: *Conformité de Jansenius avec les Thomistes*, an. 1667. I. par. aut. II. pag. 41. & 2. par. pag. 89. & 18. Alium inscriptum: *Exposition de la Foi Catholique, touchant la Grace, & la Prædestination*, p. 167. Alium cui titulus: *Tradition de l'Eglise Romaine*, Tom. 3. Dominum Nicole in suo Systemate p. 39. 40. & 59. Auctorem defensionis Arnaldinæ, Antuerpiæ ann. 1710. pag. 510. 511. 512. Librum cui titulus: *La pax de Clement IX.* pag. 92. & pag. 106. Collectaneorum ibidem. Alium inscriptum, *Reponse aux remarques sur les declarations de D. Covet*, apud Historiam Casus conscientiæ Tom. 3. pag. 548. & 556. ubi citat quoque in eamdem sententiam, auctorem Libri inscripti: *Defense des Propositions de la seconde colonne*. Alium inscriptum: *Justification du respectueux silence*, Tom. 3. p. 1316. 1329. 1340. & 1341. Lege denique Epistolam scriptam ad Dominum Decker Decanum Ecclesiæ Mechliniensis, pro defensione Archiep. Sebalsteni, & Quenelli. Ejus verba omittere religioni ducimus. Pag. 98. & 99. Auctor Epistola Quenellus ait, *Gratias inefficaces non dari ex voluntate Dei antecedente, ad aliquos particulares effectus, v. g. conversionem, perseverantiam, salutem: quia nempe voluntas hujusmodi, in genere tantum seu absolute tendit ad illos effectus, abstractione facta præsentium subjecti circumstantiarum, ad quas attendere debet, qui vera, & proprie dicta voluntate effectus illos intendit, mediaque illis obtainendis idonea, & proportionata attemperare.* Adeoque gratias illas idcirco tantum sufficientes appellari respectu alicujus effectus, quia ex se propriaque natura ad eum tendunt, cujus in se activum continent principium: quem de facto assequentur, nisi superior cupiditas primo Dei consilio in illis gratiis decernendis obsterret, ac perfectam impediret mandati executionem. Namque gratiae illæ, pergit auctor citatus, veram conferunt voluntati ad bonum potentiam, tametsi debilem, & infirmam, non quidem defectu propriæ virtutis, sed excessu majoris cupiditatis, quæ illis gratiis prævalet, ac præponderat.

Quotquot laudavimus hactenus Jansenianæ doctrinæ asseclas, ii summo consensu agnoscunt in ea parva Jansenii gratia, qua justi, absente efficaci, instruti sunt, veram, propriam, perfectissimam, completestissimam, expeditissimamque ad superandam tentationem, & præceptum observandum potestatem. At fallunt illi profecto, ambigua significacione vocis, *potentia*. Absolutam enim subintelligunt, & abstractam, considerata scilicet una gratiæ natura in se, præcisæ subjecti præsentibus dispositionibus; unde talem gratiam per voluntatem antecedentem (quæ a circumstantiis præscindit) conferri afferunt, non vero relativam ad alias dispositiones subjectis. His etenim consideratis, Deus voluntate sua consequente, & absoluta non vult opus bonum perfectum impleri per talam gratiam parvam, sed aliquod dumtaxat imperfectum, ac inchoatum boni operis desiderium: quia nempe capitale istud est apud omnes Janseianos principium, superiorem delectationem, seu cælestem, seu terrenam, nusquam.

nusquam ab opposita inferiori superari posse. Est enim, ait Jansenius Lib. 3. de Gratia Christi cap. 15. paradoxum in principiis S. Augustini, quod charitas, quamvis minima sufficit ad quamcumque tentationem superandam, vel quemque precepta sine transgressione servanda. Unde plane consequens est, voluntatem hominis justi sub motione actualis ardenter concupiscentiae, absente gratia efficaci, expeditam, ea in hypothesi seu relative non esse, ut possit tentationem superare, & observare mandatum: ac vicissim, sub motione gratiae victricis, expeditam non esse relative ad malum.

Id aperte significant suis in Scriptis Jansenii defensores. Auctor Scripti, quod dicitur: *In nomine Domini an. 1649. Existimo, inquit, duplēcē esse ne-cessitatem, conditionatam alteram, alteram absolutam. Conditionata est, quæ bonum determinat, per inconstantem, & amisibilem gratiam, ut in fidelibus sanctis: Pag. 20. absoluta est, qua ad bonum determinat, per immortalem, & inamisibilem gratiam: ut in Angelis & Beatis. Conditionata dicitur altera, quod gratia adīstente, vel absente, bonum, vel malum possumus simpliciter velle: posito tamen, quod odīt gratia, jam non possumus nisi bonum velle. Hoc est, præsente gratia, simpliciter quidem seu absolute possumus malum operari; at relative non possumus. Pariter absente gratia efficaci, absolute, & simpliciter possumus bonum operari ex gratia parva; sed relative ad maiores cupiditatis vites, non possumus.* L' Abbé de Bourzeis.

Auctor Libri cui titulus: *Conformité de Jansenius avec les Thomistes an. 1667. part. 2.* ait, dominante quidem cælesti gratia, & de cupiditate victrice, cupiditatē satis virium non habere, ut voluntatem ad illicita pertrahat, quamquam possit eam pertrahere. (absolute scilicet) Unde vice versa sequitur, sub dominio cupiditatis, gratiam parvam seu interiorem non satis habere virium, ut illam cupiditatem vincat, licet vincere eam possit; nempe absolute, & facta præcisione majoris illius resistentiae, non vero relative ad illam.

Paulus Irenaeus Disq. 3. art. 22. non alio sensu potentiam illam perfectissimam & completestissimam appellat, quam absolute, non relative: qua nominis ambiguitate presupposita, confidenter ait, alloquens Annatum, *Fustis gratia efficaci instructis, potentiam non agerdi quibuslibet nominibus ornatam tribue quantum voles: & iisdem gratia efficaci destitutis, quamlibet bene agendi potentiam largire.* Fallit ille profecto: neque enim concederet potentiam relative expeditam ad vincendam dominantem concupiscentiam; ut nec relative expeditam ad impediendum effectum gratiae victricis. Vide Disquisit. 4. art. 11. & 5. art. 14. questione 3.

Similia prorsus docent Dionysius Raymundus 1. parte cap. 1. art. 5. & 6. p. 59. & parte 4. cap. 10. Arnaldus in sua dissertatione parte 2. art. 4. & parte 3. art. 5. Auctor Libri, qui an. 1666. editus sub hoc titulo: *L' explication de la question de fait pag. 41. 42. 48. 51. 53. & 72. Et alii quotquot perfectam illam admittunt, sub motione gratiae victricis, potentiam ad malum; & sub dominio cupiditatis ardenter, potentiam ad bonum.* p. seq. & pag. 121.

Ex dictis facile colligitur,

I. Jansenianos omnes illam absolutam admisisse potentiam ad observandum mandatum, in iustis sola gratia parva instructis, absente efficaci.

II. Errorum Jansenianorum, in tali neganda potentia non consistere; imo, se idem hæc in parte cum Thomistis & sentire & loqui profitetur: tametsi, ut postea dicemus, amplum discriminem sit.

III. A Janseniano alienum ac remotum neminem censeri debere, co quod

Tournely de Gratia. Tom. III. Pars I.

Q 3

afle-

asterat se talem absolutam agnoscere potentiam: sed necesse esse fatēri, in homine justo absente gratia efficaci, ex sola sufficienti gratia, esse potentiam veram, propriam, & expeditam relative ad actualem ejus concupiscentiam, ut eam nempe superare possit. In eo enim præcise positus est error Jansenii, & discipulorum ejus, quod negent talem potentiam relativam. Si vero in eo non consistat, rogo, assignent nobis delectationis superioris patroni, qui se a Jansenio tam alienos, ac remotos ja&itant, in quo præcise positus ille sit. At cayeant, ne fictum, ac phantasticum pro vero, ac reali errorem obtrudant.

IV. Hanc unam distinctionem potentiaæ absolutæ, ac relativæ, communem veluti clavem esse, qua aditus aperitur ad omnes intimos Janseniani recessus; filum, sine quo e labyrintho fallaciarum, & æquivocationum quibus Janseniani censuram quinque Propositionum eludere conantur, extricare se nemo unquam poterit. Hac etenim unica vocis, potentiaæ, æquivocatione se se involventes, quinque damnatas Propositiones verbo damnant, ac re ipsa tinentur. 1. Justis impossibilia non esse Dei mandata, impossibilitate scilicet absoluta, non autem relativa. 2. Gratia interiori resisti; nempe quoad effectum ulteriorem, ac perfectum, quem habere potest absolute, at non relative. 3. A libertate excludi necessitatem; nimirum absolutam, & antecedentem, non relativam, & hypotheticam. 4. Humanam voluntatem gratiaæ resistere posse, vel obtemperare; si nempe gratia in se simpliciter, & absolute consideretur, non vero si relative, ac quatenus superior est opposita actuali cupiditate. 5. Denique, Christum pro omnibus esse mortuum, & Deum velle omnes salvos fieri; ob eas scilicet gratias sufficientes, quæ multis e reprobis conceduntur, quæque in se spectataæ, absolute possunt eos ad salutem perducere, non vero spectataæ relative ad præsentes illorum hominum dispositiones. Ita Janseniani vel unius vocis æquivocatione censuras Ecclesiæ elidunt, ac se in Catholicos transformant.

Illam vero suam absolutam potentiam, quæ totius systematis arcanum est, ac quasi nucleus, multis aliis nominibus, idem plane significantibus, involvunt, ac implicant. Quæ, ne fraudi sint, juvat hic indicare. 1. Apellant potentiam, quæ nunquam erumpit in actum. 2. Potentiam antecedentem, quia præscindit a circumstantiis subjecti. 3. Potentiam, quæ aliquo novo adjutorio indiget, ut in actum extat. 4. Potentiam in actu primo. 5. Potentiam, quæ voluntatem perficit in genere potentiaæ seu actus primi. 6. Potentiam suo in genere perfectissimam, & complectissimam, nempe absolute, & in actu primo. 7. Potentiam sensu Thomistico sufficientem, quia sola nunquam actum obtinet. 8. Potentiam in sensu diviso, (nempe circumstantiarum subjecti.) 9. Potentiam absolutam. 10. Potentiam, quam delectatio ex se ipsa confert. 11. Potentiam, quæ in actum exiret, nisi opposita cupiditas fortius obsteret: quo sensu non recusant eam incompletam appellare; quia ipsi aliquid deest, ut erumpat in actum; atque ita eadem manu completam dabunt, vel incompletam, prout volueris. 12. Potentiam, quæ in se continet omnem vim activam boni operis producendi. 13. Potentiam a delectatione inseparabilem. 14. Potentiam ex se sufficientem. 15. Potentiam ab omni obice seu impedimento ex parte actus primi liberam, & absolutam. Uno verbo, potentiam perfectissimam, complectissimam, &c. ex lege vero oppositorum, relativam potentiam contrariis plane nominibus appellant.

Dele.

*Delectatio superior, seu relative victrix, Janseniani systematis basis,
ac fundamentum est.*

Non alium hic testem volumus, quam Jansenium. Ipsi autem, delectatio vi-
trix, gratia victrix, gratia efficax, & adjutorium quo, idem omnino significant.

Libro de Gratia primi hominis, & Angelorum cap. 17. loquens de distin-^{T. 1. p. 69.}
ctione adjutorii quo, & sine quo, *Hæc est*, inquit, *vera clavis, qua aditus in*
*Scripta ejus (S. Augustini) aperiendus est, & sine qua, qui ea molitur ingre-^{col. 1. C}
di, velut cæcus palpabit in meridie, ac tot tantisque difficultatibus implicabitur,
ut quasi monstrosis occurrentibus territus, Augustinum tamquam perplexitatibus,
imo, ut quidam ausi sunt dicere, mille erroribus resertus aversetur. Qui vero,
*jacto isto fundamento, distinctionem illam (adjutorii quo, & sine quo non) ve-^{col. 1. C}
lut filium in labyrintho Scriptorum ejus secutus fuerit, mirabilis ei occurrit con-
*tactus rerum: respondent extrema primis, media utrisque, omnia omnibus.***

Lib. 2. de Gratia Christi cap. 9. *Hæc*, inquit, *in Augustini doctrina sunt*^{T. 3. p. 51}
planissima, si filum appareat, quo in isto te labyrintho regas.^{col. 2. E}

Et Lib. 7. cap. 6. postquam pluribus ostendit libertatem a peccato con-
sistere, non tantum in remissione præteriti peccati, sed maxime in adju-^{ib. p. 316.}
torio gratiæ, quo delectatio titillantis concupiscentiæ supereretur, ait: *Hæc*
est vera, & genuina basis doctrinæ cœlestis Doctoris de arbitrii servitute, & op-^{col. 2. E}
posita libertate, per quam actus bonos velle possit, & facere Et postea:^{P. 417.}
Tota moles disputationis de Christi gratia cum Pelagianis, & necessitatibus ejus,
huius veluti cardini innititur, eoque substracto, eam tueri impossibile est.^{col. 2. E}

Idem dixerat Lib. 8. de Hæresi Pelagiana cap. 1. in ea nempe delecta-^{T. 1. pag. 181. col. 1. D}
tione victrici, totam Augustini doctrinam de gratia, & prædestinatione, ve-
lut in radice comprehendi.

Denique Auctor synopseos vitæ Jansenii refert, *eum solitum dicere, Au-*
gustinum a discipulis, non a Magistris velle intelligi; & falli quisquis alia opinione
occupatus accederet ad ejus lectionem. Addebat omnia pendere ab uno primo princi-
pio, unde tota doctrinæ ejus de gratia catena devincta esset; & hinc factum, ut
qui eo aberrant, extra viam, & spem invenienda veritatis vagentur. Unde sub-
ridebat potius, non mirabatur, quod contrariarum, & diversissimarum opinionum
Scholastici, omnes tamen Augustinum ad se traherent: quia unus hunc, alter istum
annulum medium catenæ arriperent, nemo teneret primum illum capitalem.

Primus autem ille, ac capitalis annulus, est delectatio superior rela-
tive victrix: cuius naturam, vim, necessitatem, postquam Jansenius ex-
posuit novem primis capitibus Libri 4. de Gratia Christi, quæ inde
consequuntur corollaria, evolvit cap. 10.

Quinque famosæ Propositiones, ex delectatione superiori relativæ velut
a fonte, ac radice a Jansenio derivantur.

Cum delectatio superior, ac relativa, totius doctrinæ Jansenianæ basis,
ac fundamentum sit, necesse est Jansenium ad eam, velut ad primum, ac
radicale quoddam principium, revocare quæcumque docet in suo gran-
diori volumine, cui titulus: *Augustinus*. Ea vero solent revocari, tum ad

quinque famosas Propositiones, quibus perfecta continetur totius voluminis analysis; tum ad duo hec universim capita, nempe exclusionem gratiae pure sufficientis, & necessitatem bene agendi, quamquam illa libertate, sub motione gratiae vi|icis.

Hec porro duo Jansenius infert ex delectatione superiori, ac relativa, tamquam ex nativo principio, Lib. 4. de Gr. Chr. cap. 10.

T. 3. p. 184. col. 2. E. Primo, exclusionem gratiae pura sufficientis, his verbis: *Sexto*, inquit, *binc etiam claret, cur Aug. omnem omnino gratiam pure sufficientem, sive ante fidem, sive etiam post fidem auferat.* En corollarium seu consecutio, cuius principium statim assignat Jansenius. *Katio perspicua est*, inquit, *quia cum ei (Augustino) nulla sit gratia operandi praeter istam suavitatem Dei, nisi ista tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum cesserint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur; sin autem ista superaverit, jam sine dubio bene voluntas operabitur.* Quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est, sed utrumlibet fiat, non erit sufficiens gratia, sed vel efficax, vel ita inefficax, ex qua operatio nequidem possit sequi, nisi ejus inefficacia per aliam suppleatur.

Secondo, necessitatem operandi bonum sub motione gratiae vi|icis
| |
, *Ibid. 4.* ex eadem superiori delectatione Jansenius colligit, abutendo his verbis S. Aug. *Quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est.*

Idem verbis paullo mitioribus insinuat eodem cap. 10. *Nunc*, inquit, *ipsum adjutorium benefica suavitatis facit, ut bonum velit, quo si desertum fuerit, ipsum adjutorium, ut ita loquar, noxia suavitatis facit, ut malum velit.* Illam quippe suavitatem, que superavit, voluntas consentiendo sequitur... *nec ullum bic periculum destructae libertatis.* Lib. 2. cap. 4. pluribus ostendit discrimen gratiae sanitatis, ac medicinalis in eo esse, quod hec non subsit libero voluntatis arbitrio. *Gratia sana voluntatis*, inquit, *in ejus libero relinquatur arbitrio, ut eam si vellet, defereret, aut si vellet, uteretur: gratia vero lapsa agrotaque voluntatis, nullo modo in ejus relinquatur arbitrio, ut eam deferat, aut arripiat, si voluerit.* Mens igitur Jansenii hec est, consensum voluntatis sub motione delectationis vi|icis
 ita necessarium esse, ut ab illo seipsam cohibere non possit. *Justitia, vel peccati delectatio*, inquit c. 5. Lib. 7. de Gr. Chr. *est illud vinculum, quo liberum arbitrium col. 1. D. iustitia, vel peccato ita firmiter ligatur, & retinetur, ut quamdiu isto stabiliter possidetur, & constringitur, actus oppositus sit extra ejus potestatem, ita videlicet ut arbitrium non liberatum eum velle non possit.*

Idcirco vero Jansenius ex illa necessitate nullum imminere libertati periculum contendit, quod, juxta ipsum, quidquid sit ex delectatione, eo ipso maxime liberum sit, quia voluntarium.

Non minori profecto evidentia, ac pari connexionis vinculo, Jansenium suas quinque famosas Propositiones ex eodem delectationis superioris fonte derivasse, manifestum erit singulas percurrenti. Circa unam quinque vero demonstrandum nobis est.

I. Eam saltem quoad sensum, & doctrinam, legitime extractam ex Libro Jansenii.

II. Connexam esse cum delectatione superiori, & inde a Jansenio erui.

III. Quis sit illius apud Jansenium verus, ac legitimus sensus.

IV. Quis

IV. Quis sensus alieni, & extranei, qui maligne effungi possunt, quos tamen legitime sumpta apud Jansenium non habet.

ADDITIO.

(*)

ATque quæ hacten tradita sunt de delectatione superiore, seu relative vi-
trici basi ac fundamento Janseniani systematis, Archiepiscopus Viennensis
cum in Jansenismo redivivo, tum in Documento Pastorali in commenta-
tiam apologiam p. 11. art. 1. multis probat; confirmat etiam P. Fr. Fortuna-
tus a Brixia in Cornelii Jansenii systemate P. 1. num. 180. seqq. Imo rem
ita esse affirmant, ut præteream alios, duo Viri doctissimi, & si qui alii, a
Molinæ doctrina alienissimi, scilicet P. Graveson, & P. Berti, præmiso si-
quidem Jansenii principio, quod nempe humana voluntas per delectationes in-
deliberatas cœlestis gratiæ, & carnalis cupiditatis, alternatim rapiatur neces-
sario ad bonum, vel ad malum, ait Cl. P. Graveson, ex hoc infesto
principio Jansenium, ejusque discipulos has erroneas deducere consecutio-
nes, que cum pestilenti illo principio doctrinæ suæ arctissimo vinculo, ac
nexu colligate coharent. Ajunt enim, inquit ille, Janseniani, utique cum
ipso Jansenio, hominem in statu naturæ lapsæ gratia per se efficaci desti-
tutum, seu, ut loquuntur Jansenistæ, hominem in statu naturæ lapsæ
privatum indeliberata cœlesti delectatione, gradibus cupiditatis superiori,
non habere veram, completam, & proximam potentiam bene agendi. Do-
cent, omnes gratias in statu naturæ lapsæ esse per se, & ex natura sua
efficaces, & nullas in hoc statu admittunt gratias sufficientes, quibus vere
resisti possit. Pertendunt mordicus, præcepta Dei in statu naturæ lapsæ
his, quibus deest gratia per se efficax, seu ut intelligunt Jansenistæ, his,
quibus deest cœlestis indeliberata delectatio, gradibus terrena delectationis
concupiscentia superior, præcepta Dei esse impossibilia, & tamen illorum
transgressionem eis juste imputari. Afferunt insuper, libertatem hominis
in statu naturæ lapsæ stare cum necessitate, & ad merendum, & deme-
rendum non requiri libertatem a necessitate, sed sufficere libertatem a co-
actione. Denique Jansenius ejusque discipuli ex hoc doctrinæ suæ prin-
cipio inferunt, Deum non habere sinceram voluntatem salvandi omnes
homines in statu naturæ lapsæ, nec eis ullo pacto præparare gratias suf-
ficientes, quibus possint salutem æternam adipisci; nec Christum Domi-
num mortuum esse, & Sanguinem fudisse pro salute reproborum, sed
tantum pro salute æterna electorum ac prædestinatorum. (Class. I. Ep.
1. pag. 9.) Tum non multo post idipsum repentes vir doctissimus; has, inquit,
consecutiones, velint, nolint, admittere debent Jansenii discipuli, quia
prædictæ consecutiones ex doctrinæ principio, quod post Jansenium sta-
tuunt, mordicusque defendunt nexus plane necessario sequuntur; (ibidem
pag. 13.) videlicet cum hoc principio necessariam, & individuam connexio-
nem habent quinque Jansenii propositiones jure optimo ab Ecclesia proscri-
ptæ: (ibidem) Et infra: Hoc doctrinæ Jansenii principium de indelibera-
ta, sive cœlesti, sive terrena delectatione, quæ relative viœtrix est, exter-
minat omnino liberum hominis arbitrium, & invehit inevitabilem necel-
sita-

sitatem: subindeque cum illo Jansenii principio *necessariam connexionem* habent quinque famosæ *propositiones*, quæ sicut consecutiones *necessario fluxu* ex illo consequuntur (*ibidem pag. 14.*). *Verum enim vero dixisse nequaquam contentus* Cl. P. Graveson, ex Janseniano principio duarum delectationum pro gradu superioritate *invincibilium necessario oriri* quinque damnatas *propositiones*, *demonstrandum alio loco assumit*, & *re ipsa demonstrat*, capitalem hunc Jansenii errorem de gratiæ efficacis delectatione *relative*, seu per gradus victrice, ac superiore concupiscentiæ terrena delectatione, fuisse jure optimo ab Ecclesia proscriptum, tamquam *virulentum principium*, ex quo fluunt quinque damnatae Jansenii *propositiones*: (class. 2. Epist. 6. pag. 123.) Ostendit itaque, ex hoc Jansenii principio sponte fluere primam Jansenii *propositionem*, nempe *Deum jubere impossibilia* (*ibidem*). Demonstrat, secundam *propositionem*, videlicet interiori gratiæ nunquam in hoc lapsæ naturæ statu referti, profluere itidem, & quasi pro re nata erumpere ex isto Jansenianæ doctrinæ principio, basi, ac fundamento, eamque cum illo intime esse connexam (*ibidem pag. 124.*). Evicit tertiam *propositionem*, quod *nimirum sola libertas a coactione ad merendum*, & *demerendum modo sufficiat*, arctissimo vinculo connecti cum doctrinæ Jansenianæ principio de delectatione superiori, & relative victrice, imo nullibi, ejus sententia, clarius elucescere hanc connexionem, quam in tertia hac Jansenii *propositione*; unde *connexionem* *banc vocat arctissimam* (*ibidem pag. 124. & 25.*). Demonstrat, quartam *propositionem*, sequi plâne ex palmari Jansenianæ doctrinæ principiis de delectatione superiori, & relative victrice (*ibidem pag. 125.*); ac demum quintam de morte Christi pro solis prædestinatis ostendit, intimo pariter nexu cohædere cum Jansenii systemate duplicitis delectationis, cuius quæ inferior est, alteri *necessario cedere debet* (*ibidem pag. 126.*). Tum ita rem claudit: Hactenus, inquit, sat liquido, ni mea fallat mens, probavi, quinque famosas Jansenii *propositiones*, ab Ecclesia confixas, sponte, & quasi pro re nata effluere ex illo erroneo Jansenianæ doctrinæ principio de indeliberata cœlesti delectatione superiori, & relative victrice, in qua Jansenius totam vim, & efficaciam gratiæ reponit, indeque recte sequi, sistema Jansenii, gratiæ efficaciam in hac indeliberata delectatione superiori, & relative victrice, ac necessitante reponentis fuisse jure ac merito a Catholica Ecclesia reprobatum, ac proscriptum (*ibidem pag. 126.*). Addit præterea *Vir ille* Cl. hæreticum Jansenianæ doctrinæ sistema, totum quantum est, revocari ad unam indeliberatam delectationem superiori, & relative victricem, in qua Jansenius gratiam efficacem collocat. Hæc enim delectatio superior, & per gradus relative victrix, (sicut, inquit ipse, sèpius inculcavi) est *primum*, ac *unicum principium*, in quod collineat immensum Jansenii volumen. Hæc origo est & radix unde veluti a fonte fluvii, quinque *propositiones necessario*, & *indissolubili nexu* inter se connexæ dimanant, quas ipse Jansenius, velut totidem conclusiones, a suo principio *indivulsas*, derivavit (*ibidem*). Hæc Cl. P. Graveson. Ita vero P. Bent. Faretur in primis, constare, ex principio duarum delectationum invincibilium, tamquam ex radice, fluere alios fere omnes Jansenii errores, ac præsertim quinque ab *Innocentio X.* damnatas *propositiones* (p. 2. *Apolog. diff. 4. cap I. §. 8. n. 14.*). Alio autem loco, Jansenianum, inquit, duplicitis delectationis synte-

systema est, utramque delectationem *spiritus & carnis* ita invicem pugnare, ut earum conflictus nequeat sopiri, nisi altera alteram superaverit: quæ autem victrix est, habeat voluntatem sibi *necessitate invincibili obsequentem*, nec alia ratione liberum, nisi quia non cogitur, sed vult, atque trahitur voluptate, quæ vero minor est gradibus, *veræ potestatis* agendi sit expers. Quare in hoc Janseniano systemate justis, etiam conantibus, & volentibus, si desit illi victrix delectatio, & gratia efficax, *impossibile* est, divina observare præcepta, & *necessum esse* a justitia deflectere. Nulla est etiam in eo systemate *gratia sufficiens*, cui voluntas resistat; quoniam si concupiscentia sancta delectatio prævaleat, voluntas *necessitate* obtemperat gratiæ; si autem prævaleat concupiscentia, caret voluntas ea gratia, cui valeat obtemperare. Quam vero, præponderante sancta delectatione, bonum *ex necessitate* operemur, & premente robustiori cupiditate, in ipso Jansenii systemate operemur *ex necessitate* malum, nequit in hoc statu, in quo caro concupiscit adversus spiritum, admitti *libertas indifferentiae*, seu *potestas agendi*, & non agendi his positis omnibus, quæ requiruntur ad opus; ideoque hæc libertas *minime necessaria* est ad merendum, vel demerendum; ac, videtur esse commentum *Semipelagianorum*, qui, rejecta delectatione victriæ, auxilium indifferens ad omnia bona opera, etiam ad fidei initia admittebant. Quibus demum denegatur *victrix*, & *invincibilis gratia*, bene agere & perseverare non possunt; neque eorum salutem vult Deus, qui illi hanc gratiam denegat, quam ut obtinerent, Christus mortuus pro *solis electis*, nec oravit, nec Sanguinem fudit, nec pretium obtulit redemptionis (*ibidem cap. 2. §. 5. in fine*). Purum itaque, putumque, ut nonnulli contendunt, Molinistarum *figmentum non est*, quinque famosas Jansenii propositiones ex principio duarum delectationum relative *invincibilium adeo necessario* provenire, ut, illo posito, ipsæ negari nullatenus possint. (*)

V. Denique, *Quis Catholicus, & orthodoxus Ecclesiæ sensus.*

PRIMA PROPOSITIO.

Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

Propositio ex Jansenio legitime extracta.

Extat ea Propositio totidem verbis expressa apud Jansenium Lib. 3. T. 3. p. de Gratia Christi cap. 13. Hæc igitur omnia, inquit, plenissime planissime- 138. col. que demonstrant, nihil esse in S. Augustini doctrina certius, ac fundatius, quam 2. E. esse præcepta quedam, quæ hominibus non tantum infidelibus, excœacatis, obdurateis, sed fidelibus quoque, & justis, volentibus, conantibus, secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deesse quoque gratiam, qua fiant possibilia.

Janseniani, qui Librum Jansenii defendendum suscipiunt, conqueruntur Propositionem istam, eum, in tota Libri Jansenii serie, non habere sensum, quem inde avulsa præferre videtur. Verum si expendantur, seu quæ antecedunt, seu quæ sequuntur verba, planum erit hanc esse firmam, & constantem Jansenii doctrinam, aliquibus justis, secundum præ-

præsentes, quas habent vires, idest, relative ad præsentes gratiæ vires, impossibilia esse quædam Dei mandata.

Pag. 135. col. 1. C. Ante citata Propositionis verba, Jansenius dixerat: *Ex hac indubitata doctrina quædam non parvi momenti ad hanc rem spectantia inferri, & clarescere.*

Ibid. D. *Primum quidem, esse quædam homini præcepta secundum statum, & vires, in quibus constitutus est, impossibilia.*

Secundum, non adesse semper gratiæ, qua possumus, hoc est, qua illa eadem præcepta implere sufficiamus.

Ibid. E. *Tertium, hanc impotentiam reperiri non solum in excacatis, & obduratis, & infidelibus... sed etiam in fidelibus & justis.*

Ib. col. 2. A. *Quartum, hanc impossibilitatem fidelibus accidere, non tantum quando nolunt præcepta facere, sed etiam quando volunt. Quæ omnia postquam Jansenius fuisse demonstravit, tamquam conclusionem colligens, addit, quæ laudata sunt, primæ Propositionis verba.*

Pag. 139. col. 1. A. *Hoc enim, pergit ibid. Jansenius, S. Petri exemplo, aliisque multis quotidie manifestum esse, qui tentantur ultra quam possint sustinere... Vides quam falso ac immiterito Janseniani obtendant, primam illam Propositionem a loco suo dolose avulsam, & exhibitam fuisse: quæ cum antecedentibus, & consequentibus tam bene cohæret, imo & cum capitali totius systematis principio, nempe superiori delectatione, unde a Jansenio eruitur.*

Prima Propositio cum delectatione superiori connexa, unde a Jansenio eruitur.

Aperte significat Jansenius, se primam illam Propositionem velut conclusionem ex præmisso principio inferre. *Hæc igitur omnia, inquit, demon-*

Pag. 137. strant &c. *Quodnam vero sit illud principium, ipsem aperit citato capitulo 13. Libri 3. Neutri, inquit, evidet, (Pelagiani & Scholastici) non esse satis velle vel notie, ut magna quædam præcepta impleantur, tentationesque superentur, sed propter libidinum internarum, & consuetudinem arctissimarum pertinacem resistentiam opus esse, ut ardenter, & fortiter velit; quod non est semper in hominis potestate: talis enim ardor vel fortitudo voluntatis, non ex sola libertate hominis proficiuntur aut haberri potest, sed ex delectationis magnitudine, quam animus ex objecto, circa quod versatur, capit; atque ideo cælitus inspirari debet.*

Ib. col. 2. B. *Et paullo post: Has autem vires ad faciendum quod præcipitur, homo etiam fidelis & justus non semper habet integras, sed ex ipsa tentatione divisas. Concupiscentiis enim carnalibus pravisque consuetudinibus vulneratus, earumque motibus distractus, bonum quod vult, non fortiter atque integre vult, sed, ut Augustini voce loquar: semiſauciam hic atque illac versat, jactatque voluntatem, parte assurgente cum alia parte cadente luctantem. Quam luctam sanare, & integras volendi vires sibi reddere, libertas voluntatis, vel natura ipsa sauciata non potest, sed hoc ad solam pertinet medicinam gratiæ Dei.*

Pag. 136. col. 1. A. *Dixerat paullo ante: Hinc ergo fit, ut non semel de S. Petro etiam volente dicat, (Augustinus) cum Christum negaret, invalidas infirmasque fuisse vires ejus; imo non potuisse mortem ferre pro Christo quamvis hoc & vellet, & se posse judicaret... Quibus omnibus lecis... docet Petrum... propter defectum virium voluntatis prestare non potuisse, quod promiserat: voluntas enim ejus*

ejus, hoc est, vis volendi divinitus ei data adhuc parva erat, quam oportebat esse maximam, ne mortis oblatæ terrore frangeretur Hinc ergo sit iterum, ut subinde doceat Aug. quarundam cupiditatum tentationes, aliquorum hominum vires superare, ita ut eas superare non possint.

Et infra: *Hanc intuebatur (magnam justitiae delectationem) & in Confessionum suarum Libris, quibus unius voluntatis divisionem, & impotentiam mirifice exponit . . . Sed cur voluntatem sibi renitentem non illa decantata libertate superabat? Nonne volebat? Nonne satagebat? Nonne conabatur? . . . Dicat caussam ille, qui expertus est conatum luctamque satagentis animæ, & videbis eum hanc ipsam, quam hic trado, intuitum esse veritatem. Hoc est, nondum poterat eam quocumque voluntatis conatu superare; eo quod videlicet ipse conatus defectu virium languidus esset, cui cælestem delectationem, atque ardorem nondum inspirasset Deus, ideoque similis conatibus expurgisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine demerguntur. Hanc intuebatur, & in Libro de Gratia, & libero arbitrio, quando istam voluntatis infirmitatem, qua sit, ut quidquid suis viribus conetur homo, non tamen possit adversantes bonæ voluntati suæ cupiditates superare, donec gratia Dei majorem vim ardoremque volendi inspiraverit, tam diserte explicat.*

P. 138.
col. 1. A.
Ibid. E.
Ibid. C.

Atque hæc Jansenius velut principia, & fundamenta ponit, ex quibus concludit, iustis sola gratia parva instructis, & absente efficaci, impossibilia esse quædam Dei mandata, defectu virium voluntatis, ut ait: quia minor gratia non potest superare majorem actualem eorum cupiditatem. *Major enim est*, ait Sambovius antea citatus, *resistentia concupiscentiæ, quam virtus gratiæ parvæ.*

Idem rursus confirmat Jansenius post adducta primæ suæ Propositionis verba. *Nec illa, inquit, implendi talia præcepta difficultas inde proficiuntur, quo t' actus implendi debeat esse supernaturalis, vel meritorius, vel aliquid simile, (que Augustino nunquam in mentem venerunt) sed ex eo, quod vires voluntatis infirmæ sunt, propter concupiscentiam a volendo bono retrahentem: cuius renifi sit, ut vires voluntatis distractabuntur, atque ita homo non plene velit, non integre velit, non tota voluntate velit. Talis autem voluntas, non est idonea, ut superet alteram vetustam roboretur, quia per illam nondum potest homo tantum velle, quantum sufficit ut volendo faciat: poterit autem cum habeatur magnam, & robustam. Vides quam intimo ac necessario nexu cohaereat hæc prima Jansenii Propositio cum delectatione ipsius superiori ac relativa: respondent extrema primis, media utrisque, omnia omnibus, ut ipse loquitur.*

P. 139.
col. 1. A.

Quis sit verus ac germanus primæ Propositionis sensus apud Jansenium.

Ex dictis sponte, & quasi ex re nata erupit obvius, verus, ac germanus primæ Propositionis Jansenii sensus: nimurum, esse in aliis iustis, urgente præcepto, eam dumtaxat gratiam, qua, compare ac relative ad actualem eorum majorem concupiscentiam, illorum voluntas non potest & istam superare, & mandatum observare; nec ad utrumque præstandum, auxilium impetrare, quia minor delectatio cælestis non potest relative superare terrenam majorem. *Vigilante enim delectatione carnali*, ait Jansenius Lib. 4. de Gratia Christi, cap.

T. 3. p.
183. col.
2. B.

cap. 9. impossibile est, ut virtutis, & honestatis consideratio prævaleat: Hunc Propositionis sensum designaverat Hallerius in Scripto, quod in Diar. p. 284. col. 2. synopsi nostra historica retulimus. Sensus est, ajebat, mandata Dei hominibus justis, qui præcepta divina transgrediuntur, esse impossibilia defectu auxilii sufficientis, quo possint eadem adimplere, vel necessariam ad ea implenda gratiam petere.

Nota; pergit idem Hallerius, per has voces, defectu auxilii sufficientis, non intelligi gratiam illam versatilem, quæ modo effectum suum habeat, modo non habeat; sed eam, quæ vere facultatem tribuat justo, aut implendi præceptum, aut petendi gratiam necessariam ad illud implendum; ita ut per eam justus inexcusabilis reddatur, quando præceptum transgreditur.

Error igitur primæ Propositionis Jansenii in eo præcise positus est, quod justis illis sola parva gratia instructis, efficaci absente, deneget veram, & expeditam relative, vincendæ actualis oppositæ delectationis; ac consequenter mandati observandi facultatem: qui sensus sic intime connexus est cum delectatione relative, seu per gradus viatrice, ut ea supposita negari prorsus non possit, nec re ipsa ab ullo Jansenii defensore negatur aut respuitur. Non aliud illi sensum profecto ingerunt, cum in Scriptis Trium Columnarum, In nomine Domini, in Expositione quinque Propositionum juxta mentem discipulorum S. Augustini, & alibi passim afferunt, justis hujusmodi impossibilia dumtaxat esse præcepta proxime, immediate, directe, complete, seu ea impotentia, quæ non habet, quidquid requiritur ad actum ponendum, proprie absentiam gratiæ efficacis. Quibus certe verbis, non aliam exprimunt impotentiam, quam relativam: (absolutam enim potentiam, perfectissimam, proximam, & completissimam vocant, & admittunt) relativâ autem hæc impotentia, non tantum non conjungitur cum actu, sed nec conjungi potest, defectu nempe delectationis superioris, quæ sola potentiam ipsam relativam largitur ac complet. In doctrina quippe Jansenii, superior delectatio primum, & secundum actum relativum simul confert; nec unus ab altero potest

Delecta se jungi. Hoc ipso, quo datur, (gratia viatrix) ait Jansenius L. 2. de Grat. tio super Chr. cap. 4. simul usus ejus, & influxus potestatis datur. Est enim hoc ipsum, rior con- quod suapte efficacia facit influere facultatem... dat enim simul, & posse, & oper- 1. simuli vari. Et cap. 25. Gratia, & opus bonum ita reciprocantur, ut quemadmodum ex 2. gratia data mox effectum operis consecutum inferre solet, (Augustinus) ita vice P. 42. col. versa, ex defectu operis, gratiam non esse datam. Ergo absente gratia effica- 1. A. ci, justis illis non inest vera, & expedita relative potentia, tum ut Col. 2. C. Pag. 83. actualē ac majorem oppositæ cupiditatis delectationem superare, tum tol. 2. D. ut mandatum observare possint.

Ridicule prorsus ac illusorie dices, voluntatem idcirco non posse relativa potentia mandatum observare, quia non vult, si enim vellet ac plene, & fortiter vellet, illud re ipsa observaret. Namque, ut supra di- ximus voluntas his in circumstantiis, defectu virium, ait Jansenius, non potest plene ac fortiter velle, quia caret superiori delectatione indeli- pag. 34. berata, sine qua non potest velle. Adjutorium istud cœlestis delectationis, ait col. 2. D. Jansenius Lib. 8. de Gr. Chr. cap. 3. prædeterminat voluntatem; quia facit ut velis, & sine illa velle non possis: facit etiam ut ardentius velis, & sine illa ardentius velle non possis: facit denique, ut neesse sit animum istud sequi, & secun-

secundum istud operari quod amplius delectaverit. Et in hoc ipso cap. 13. L. 3. P. 137.
col. 1. E. unde prima Propositio extracta est, sic ait: *Ut magis & quedam præcepta impudentur, tentationesque superentur... opus est, ut voluntas ardenter, & fortiter velit, quod non est semper in ejus potestate.* Quia scilicet delectatio superior indeliberata, quæ necessaria est ut ardenter, & fortiter velit, ab ea non pendet.

Frustra pariter dices, aut justos hujusmodi habere ex gratia parva perfectam, & completam ad mandatum observandum potentiam; aut eos idcirco mandatum non observare, quia non orant sicut oportet. Namque 1. potentia illa, quam confert gratia parva, & quam Janseniani ad illudendum, *sufficientissimam, perfectissimam, completestissimam, & expeditissimam vocant;* potentia, inquam, illa est tantum absoluta præcisus subiecti circumstantiis, ac spectata nuda in se gratiæ natura: non autem relativa ad illas præsentes circumstantias. 2. Iusti illi, non orant quidem, ut oportet, juxta Jansenium, sed nec possunt orare; quippe qui non habent delectationem superiorem cælestem, qua terrenam, ab orando ut oportet retrahentem, possint refrænare. Cum enim, in systemate Jansenii, nulla fieri possit actio, nisi ex prævia, & indeliberata delectatione, si contingat esse justis delectationem terrenam cælesti superiorem, etiam quantum ad orationem, eo ipso oratio ipsis impossibilis evadit, non quidem absolute, sed relative ad has presentes circumstantias.

*Paulus
Irenaeus
Disq. 3:
pag. 56.
ib. art. 5
eam di-
cit esse
in sum-
mo gra-
du.*

At, inquires, eo ipso tempore, & in his ipsis circumstantiis, quibus iustus majori actuali cupiditate pulsatur, gratiam habet, per quam potest cupiditati resistere: ergo etiam relative ad illam majorem cupiditatem potest observare mandatum.

Resp. dist. ant. Gratiam habet, per quam potest resistere cupiditati, absolute, & secundum se considerat, concedo: relative, seu comparate ad gradus, quibus inferior est, nego. Nempe gratia illa, quæ concurrit cum actuali majori cupiditate, de se quidem nata est, & apta ad vincendam concupiscentiam secundum se consideratam, at non potest, eam superare, cui viribus inferior est: nec fieri unquam potest, in systemate Jansenii, ut delectatio minor vincat majorem; sicut fieri non potest, ut maius pondus a minori trahatur.

Dices. Jansenius impossibilitatem de qua loquitur in prima Propositione, difficultatem appellat in hoc ipso cit. cap. 13. L. 3. de Gr. Chr. Ergo nonnisi impropter dicuntur ab ipso, impossibilia aliquibus justis Dei mandata.

Resp. Jansenium quidem, ut sicut faceret pro more suo, asperitatem rei lenitate verbi voluisse temperare; verum ita fecisse, ut semper contenderet, a delectatione inferiori gratiæ superiorem terrestrem a qua inevitabiliter prævenitur, & invincibiliter ad peccandum determinatur quorumdam iustorum voluntas, superari nullatenus posse. Quapropter illa difficultas apud ipsum vera est impotentia: non quidem absoluta, sed relativa.

Urgebis. Jansenius non negat iustus hujusmodi possibilia esse Dei mandata, per gratiam sufficientem Thomisticam, quam nullibi expresse rejicit: imo L. 3. de Gr. Chr. cap. 1. sublata æquivocatione nominis, profitetur, quod si per gratiam sufficientem intelligatur ea, quæ satis est, ut homo P. 202.
col. 1. C. dicatur posse operari, quamvis aliud adhuc necessarium sit, ut de facto opere- tur, ex parte Dei auxilium, profitetur, inquam, sibi de-hujusmodi suffi-

sufficienti gratia controversiam non esse, qualem fortasse non difficulter Augustinus admissit.

Resp. Manifestum esse, Jansenium nullibi expresse admisisse gratiam sufficientem Thomistarum, quod tamen necessarium foret, ut ab errore primæ Propositionis vindicaretur: imo, diserte eam exclusisse, quoties, cohærenter ad sua principia, infert debiliorem delectationem cælestem, præter quam nullam aliam agnoscit a viætrici distinctam, necessario cedere delectationi terrenæ superiori. Gratia quippe sufficiens Thomistica, veram & expeditam confert, etiam relative ad cupiditatem ardenter superandam, potentiam. *Minima enim gratia*, inquit S. Thom. 3. par. qu. 70. art. 4. in corp. *potest resistere cuilibet concupiscentiæ*, & *vitare omne peccatum mortale*. Quod, in principiis S. Aug. Jansenio paradoxum videtur. L. 4. de Gr. Chr. cap. 15.

Urgebis iterum. Saltem remanet potentia ad aliquod opus bonum morale eliciendum, etiam dum adeat delectatio superioris concupiscentiæ.

Resp. dist. ant. Ad bonum opus morale, ratione officii, concedo: ratione finis, subdistinguо: ratione finis particularis, & quidem operis, concedo: finis ultimi, & operantis, nego.

Dices 2. Impotentia illa, quæ est in justis observandi præceptum, non oritur ex defectu gratiæ, sed ex mala voluntate.

Resp. Impotentiam quidem illam oriri ex mala voluntate, sed quæ his in circumstantiis bona esse non potest, nempe propter defectum virium, ait Jansenius cit. c. 13. L. 3. de Gr. Chr., eo quod scilicet, ardenter ac fortiter velle non possit. *Talis enim ardor vel fortitudo voluntatis, non ex sola libertate hominis proficiuntur, aut haberi potest, pergit ibid. Jansen.* sed ex delectationis magnitudine, quam animus ex objecto, circa quod versatur, capit. Cum vero hanc indeliberata delectationis magnitudinem habere, non sit in potestate hominis positum, consequenter ea absente, justo impossibilis est relative mandati observatio, propter infirmam gratiam, & ardentiorem cupiditatem.

Sensus alieni, & extranei, qui primæ Propositioni maligne affingi possunt, quos tamen legitime sumpta apud Jansenium non habet.

Sic fere loquuntur Janseniani in suo famoso trium Columnarum Scripto, in Diar. p. fronte primæ Columnæ, ubi sensum Calvinianum repræsentant, qui maligne, 470. ajunt, *Propositioni affingi posset, quem tamen legitime sumpta non habet*. Quam longe absunt ab illa primorum Jansenii discipulorum sinceritate, ac fide hodierni, qui primam hanc Jansenii Propositionem sensu Calvini proscriptam suis se contendunt: quasi Pontifex eum Propositionis sensum damnaverit, qui maligne tantum potest ipsi affingi, & quem legitime sumpta non habet?

I. Igitur, sensus primæ Propositionis non est, fatentibus ipsissimè Jansenianis in suo trium Columnarum Scripto, *Justis omnibus, quantumlibet volentibus, & conantibus secundum præsentes, quantascumque vires, quæ a gratia magna, & efficace habentur, mandata Dei sunt impossibilia. Deest quoque illis semper, & quādiu vivunt, gratia, qua possint, vel unum ex mandatis Dei sine peccato adimplere*. Hæc Propositio, ajunt Janseniani, est heretica, Calviniana, aut Lutherana, & a Concilio Trid. damnata. Absurdus profecto foret, qui hunc Propositionis sensum Jansenio affingeret, quem refellit toto fere cap. 15. L. 3. de Gr. Chr. & qui vel ipso Propositionis contextu apertissime respuitur. De aliquibus

bus quippe mandatis loquitur Propositio, non de omnibus; pariter de justis, qui volunt, & conantur secundum præsentes, quas habent, vires, non de omnibus justis in quibuscumque circumstantiis constitutis.

II. *Erronea, & impertinens est Propositio*, ait auctor Scripti pro informando Cardinale Roma, apud Diarium de S. Amour, inter Collectanea, si a justis quamdiu manent justi, removere intelligatur gratiam necessariam ad abstinentiam a peccato mortali, & implenda consequenter præcepta, ex quorum transgressione peccarent mortaliter. Cum enim non sit justus quisquam, nisi quamdiu perseverat absque culpa lethali, sequitur necessario necessitate suppositionis, quod quamdiu manet justus, hoc habeat per gratiam perseverantie, qua fiant ei præcepta possibilia, & moveret efficaciter pro loco, & tempore ad ea implenda, & declinandum a peccato. *Unde erroneum foret, nedum contra fidem, sed & contra ipsum rationis lumen, hanc gratiam possibilitatis præceptorum a justo, quamdiu manet justus, removere voluisse.* Ita auctor citatus.

III. Sensus Propositionis non est, aliqua Dei mandata justis esse impossibilia, impotentia, vel absoluta, vel immutabili, vel antecedente superiorem actualis concupiscentiae gradum. Hujusmodi impotentiam procul Jansenius repellit: absolutam quidem; tum quia cit. mox cap. 15. L. 3. plures admittit gradus possibilis, quibus mandata possibilia sunt: tum quia in gratia parva agnoscit absolutam ad bonum opus vim activam, ad quod natura sua & voluntate Dei tendit, & ordinatur, quod ipsa efficeret, nisi fortior obstaret opposita cupiditas. Immutabilem; quia agnoscit esse in homine hac in vita naturalem ad bonum, & malum capacitatem seu flexibilitatem. Eam denique rejicit potentiam, quæ antecedat superiorem actualis concupiscentiae gradum: quia antecedenter, & præcisione facta hujus majoris gradus, gratia parva sufficientem ex se confert potentiam ad opus bonum. Ergo potentia illa observandi mandata, quam Jansenius contendit esse in justis, absente gratia efficaci, est dumtaxat relativa: est, & aliquo sensu consequens, quia oritur ex majori actuali eorum cupiditate, quam justi secundum præsentes, quas habent vires, superare non possunt; quia minor delectatio gratia, nunquam potest ob virium inæqualitatem superare majorem cupiditatis delectationem. En verus, genuinus, ac germanus primæ Propositionis Jansenii sensus.

IV. Sensus non est, justis illis præceptum violantibus, omnem penitus negari gratiam, qua illud absolute adimplere valeant: repugnat, vel ipse Propositionis contextus. Agit quippe de justis volentibus, ac conantibus secundum præsentes, quas habent vires; assertque Jansenius, ut vidimus, exemplum Petri ante lapsum, cuius voluntatem infirmam ex gratia fuisse agnoscit: ait sensus est, gratiam illam, comparete, ac relative ad maiorem actualem concupiscentiam, satis virium non habere, ut istam vincere, ac reprimere possit.

V. Sensus pariter non est, justos illos cum hac gratia nullos adhibere conatus; sed eos omnes, quos possunt tunc adhibere, impares esse, ac insufficientes in his circumstantiis adimplendo præcepto.

VI. Sensus non est, aut gratiam illam parvam justorum hujusmodi, non posse ex se, propriaque natura absolute vincere concupiscentiam; si enim haec minor esset, a gratia vinceretur: aut in se non continere omnem vim activam ad opus bonum; hanc enim reipsa continet, & bonum opus de facto efficeret, si minus resisteret opposita cupiditas. Verum sensus est,

gratiam illam tametsi de se aptissimam, & absolute idoneam reprimendæ generatim concupiscentiæ, & bono exercendo, non posse tamen hic, & nunc eam, utpote superiorem, reprimere, & bonum opus supra præsentes vires positum exercere.

VII. Sensus non est, impotentiam, quæ est in justis, absente gratia effaci, ab observandū mandatum, similem esse illi, quam habent beati ad malum, & damnati ad bonum: hi quippe ita sunt, vel in bono, vel in malo immobiliter obfirmati, ut neque beati unquam peccare, neque damnati bonum opus morale producere valeant. Econtra vero agnovit Jansenius, hominem hac in vita non esse immutabiliter bono, vel malo addictum, sed ad utrumlibet mobilem, ac versatilem. Præterea, visio beatifica tanta suavitatis abundantia beatas animas perfundit, ut totam earum capacitatem impleteat; nec illa ratio subtilcescat, quæ ad suspendendum actum provocare possit. Non ita est in præsenti statu, ubi delectatio gratiæ quantumlibet victrix, ac superior, non omnem excludit oppositam actualem concupiscentiam, qua vires voluntatis distrahuntur, ut loquitur Jansenius; nec ita prorsus figit animum, ut ad nullam speciem boni, vel levissimam in opposito amplectendo attendere possit. Quapropter impotentialia illa justorum, nec absoluta est, nec antecedens superiorem concupiscentiæ gradum, nec immutabilis, & perpetua, nec tanta, qualis est illa, quam inducit visio beatifica, sed est dumtaxat relativa, transiens, & aliquo sensu consequens: orta scilicet ex majori concupiscentiæ præsentis delectatione, cui vincendæ, ac reprimendæ impares tantum, ac insufficientes vires habet gratia parva Janseniana,

VIII. Sensus non est, impotentiam illam justorum supponere absentiam cujuscumque prorsus potentia adimplendi præcepti. Jansenius quippe L. 143. col. 3. de Gr. Chr. c. 15. docet mandata Dei possibilia esse, 1. Remotissime, per Pag. 144. solam liberi arbitrii flexibilem facultatem ad bonum, & malum. 2. Paullo pro- col. 2. A. pinquius... per fidem, quamvis dilectione Dei, & actuali Dei adjutorio, inter- ib. col. 2. nisque viribus voluntatis... careamus. 3. Multo plenus propinquiusque per char- ritanam, per quam homo justificatur. 4. Addere potuisset per gratiam parvam actualem. 5. Completissime, quando Spiritus Sancti inspiratione sic voluntas præparatur, ut non nude possit, sed etiam velit.

Extraneos illos, & confitos primæ Propositionis sensus a Jansenio can-dide removet Paulus Irenæus, Disq. 2. art. 2. Non loquitur Jansenius, inquit, Pag. 195. de impossibilitate absoluta. Omnibus enim locis fatetur mandatum quodlibet per gra-tiam efficacem impleri posse. Nec de impossibilitate involuntaria; nam ex Augu-stino saxe ab illo citato, omnes homines mandata servarent, si vellent. Non negat omnem potentiam; nec habitualem, quia loquitur de justis, quos per gratiam habitualem asserit posse; nec actualem, quia loquitur de conantibus, qui per gratiam excitantem habent vires invalidas.

Quam ergo potestatem negat? Audiamus ipsum optimum sui interpretem: Ad hanc, inquit, sanitatem voluntatis assequendam, gratiam invocamus, hoc ipso clarissime profientes deesse nobis sufficientem ad illa præcepta facienda potestatem.... Non negat igitur potestatem simpliciter, sed negat sufficientem potestatem. Quid est autem sufficiens potestas Jansenio? Meminerimus fixæ supra notionis; ea scilicet, cui nihil deest ex parte Dei. Quamobrem, cum hoc loco dicit, mandata esse im-possibilia sufficienter, idem est, ac si dicat: Non sunt possibilia ea potestate, cui nihil

nihil deest. Itemque, cum negat potestatem illam esse completam, non Thomistico sensu negat; de hoc enim ne cogitavit quidem, sed Moliniano tantum negat; quia deest ipsi gratia efficax. Quamobrem ut notiones verborum istorum magis etiam infigantur, iterum hic repeto illa verba: Potestas sufficiens, completa, proxima: potestas, cui nihil deest ex parte Dei: potestas complectens omnia necessaria ad agendum, idem omnino apud Jansenium significare, talisque potestatis defectum aliquando exprimi, vel simplici voce non posse, vel durius etiam per vocem, impossibile: quæ quidem significatio, eti dura, & minus propria, non tamen auctoritate Patrum caret, in primisque Augustini, & Prospere.

Hactenus Paulus Irenæus, qui, ut assolet, arte summa, & industria non vulgari quidquid in Jansenio durum, & asperum est, verbo temperat; ipsique circumposita Thomistica doctrinæ larva, Catholicum sensum affingere conatur. Verum frustra. Potestas quippe illa sufficiens, completa, & proxima, quam ait a Jansenio hic dumtaxat negatam, vel est absoluta, vel relativa. Absolutam non esse, fatetur ipsem Paulus Irenæus: ergo est relativa. At hoc ipsum est, in quo contendimus positum esse errorem Primiæ Propositionis: nempe justos cum sola gratia parva, efficaci absente, non habere relativam ad superandam majorem actualē concupiscentiam, & mandatum observandum potestatem. Ergo nomine potentia sufficientis, completæ, ac proximæ, quam Jansenius negat esse in justis, de quibus prima Propositio, intelligitur potentia relativa. Et certe cum apud Jansenium delectatio gratia, qua justi illi donantur, inferior debiliorque sit servidiore, ac præpollentiore, quæ in ipsis tunc viget, cupiditate, huic vincendæ omnino impar propter inæqualitatem virium invenitur. Deest igitur in Facultate seu in voluntate ipsorum, aliquid non tantum ex parte actus secundi, sed etiam primi. Nihil autem tale se habet in sententia Thomistarum. Gratia quippe eorum sufficiens, non est gradibus virtuteque inferior concupiscentia actuali concurrente: unde pares huic frænanda vires voluntati conferre clare intelligitur; nec quidquam quantum ad actum primum, etiam relative ad actualē concupiscentiam superandam, facultati tali gratia instructæ deesse manifestum est. Perperam ergo, ac mala fide, gratiam sufficientem Thomisticam, potentiamque completam, & expeditam relative ab ipsa collatam, cum gratia imbecilliori Janseniana, virtuteque ipsius tantum absoluta, confundit loco mox citato Paulus Irenæus.

Quæres, an impotentia illa relativa, quæ juxta Jansenium est in justis absente gratia efficaci, dici possit physica?

Resp. litem esse de nomine. Si nomine impotentia physica intelligatur ea, quæ vel plane involuntaria est, vel oritur ex defectu virtutis activæ, seu gratia de se, propriaque natura absolute proportionata cum observatione præcepti, impotencia dicta justorum physica non est. Tum quia est voluntaria, tum quia gratia illa parva, Jansenii sensu, continet in se omne principium bonæ actionis effectivum, quam re ipsa efficeret, inquietum Janseniani, sine novo ex parte Dei auxilio, per solam oppositæ concupiscentiæ imminutionem. Si vero impotentia physica nomine intelligatur ea, quæ oritur ex absentiæ gratia, quæ voluntatem physice movet, ac præmoveat ad bene agendum; sine qua, relative ad majorem actualē cupiditatem, satis virium non habet, ut hanc superare, & præ-

ceptum observare possit, non immerito impotentia illa justorum physica dici potest: quia nempe carent tunc delectatione superiori caelesti, qua, juxta Jansenium, physice voluntatem movet, ac præmoveat; & sine qua, delectatio inferior gratiæ parvæ insufficiens plane, ac impar est, tum reprimendæ concupiscentiæ, tum observando præcepto.

Inde est, quod sub vario respectu dici possit, impotentiam illam justorum similem aliquatenus esse, vel non esse impotentia v.g. pingendi sine penicillo, transfretandi sine navi, videndi sine lumine, volandi sine alis; quibus exemplis frequenter Jansenius utitur. Similem quidem, in quantum sicut non potest justus per solam gratiam parvam inferiorem relative, superare majorem concupiscentiam; ita non potest pector pingere sine penicillo, nauta transfretare sine navi, &c. Quia nempe, sicut instrumenta hæc necessaria plane sunt, ut potentia completa, & expedita fiat in ordine ad illos actus, ita & delectatio superior gratiæ, in ordine ad superandam concupiscentiam, & observandum mandatum. Dissimilem vero, qui caret superiori caelestis gratiæ delectatione, per gratiam nihilominus parvam instrumentam potest habere de se aptum, ac proportionatum absolute, operi bono exercendo: contra vero, qui caret penicillo ad pingendum, navi ad transfretandum, &c. nullum habet, aut habere potest instrumentum aliud de se aptum, & proportionatum, sive ad pingendum, sive ad transfretandum, &c.

Hinc intelligi facile potest, quanta fallendi arte Janseniani in suo quarto cum Patre Ferrerio Congregatu afferant, in justo, quo etiam tempore ardenter concupiscentia premitur, seu relative, & in sensu composito, ut jaētantius ajunt, adesse per gratiam parvam omne boni operis effectivum principium, quod opposita concupiscentia, tametsi superiore, non tollitur. Namque vis illa gratiæ activa, absolute dumtaxat, & in se spectata, capax est vincendi concupiscentiam, non vero relative prout hic, & nunc cupiditas superior est? sub illo enim respectu, & in his circumstantiis, vis illa activa impotens, impar, & debilior est, atque ad usum seu exercitium boni operis impares vires conferre tantum potest. Quapropter abusive prorsus, ac fallaciter relativa dicitur, eo quod simul in eodem subiecto sit cum ardenter concupiscentia: Ita enim cum illa concurrit, ut relative eam superare non possit; nec in mente Jansenii, ut mox dicemus, relativa potentia potest ab actu sejungi.

Sensus Catholicus errori primæ Propositionis oppositus.

Sensus Catholicus oppositus errori primæ Propositionis, debet esse contradictorius sententiæ Jansenii. Siergo, ut demonstravimus, error Jansenii in eo est, quod justi, de quibus agit, absente gratia efficaci, non possunt cum sola gratia parva relative majorem actualem, qua premuntur, cupiditatem superare ac præceptum adimplere ob virium inæqualitatem: sensus Catholicus est, justos illos ex gratia, non inferiores aut inæquales, sed pares vires habere, quibus possint vel mediate, vel immediate suam actualem oppositionem vincere concupiscentiam, ac præceptum adimplere. Istud quidem Jansenio paradoxum videtur L.4. de Gr. Chr. c. 15. Verum ipsa est Apostoli do-

Pag. 144 *Strina 1. Cor. 10. v. 13. Fidelis est Deus, inquit, qui non patietur vos tentari super id, quod potestis, sed facies etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere:*

Eft.

Est doctrina Conc. Trid. hunc locum sess. 24. Can. 9. applicantis homini per concupiscentiam vexato. Et sess. 6. cap. 11. Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod possit, & petere, quod non possit, & adjuvat ut possit. Est & doctrina S. Thom. 3. par. q. 62. ar. 6. in responsione ad tertium. Minima, inquit, gratia potest resistere cuilibet concupiscentie, & mereri vitam eternam. Et q. 70. art. 4. in corpore. Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentie, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in transgressione mandatorum legis: minima enim charitas plus diligit Deum, quam cupiditas mille auri, & argenti.

Ante S. Thomam, S. Aug. agnoverat esse in quolibet justo pares ex gratia vires superanda eorum opposita cupiditati.

Enchiridii cap. 118. n. 31. Si autem, inquit, respexerit Deus, ut ad im- T. 6. p. plenda, quæ mandat ipse adjuvare credatur, & agi homo cœperit Dei spiritu, 241. A. concupiscitur adversus carnem fortiore labore charitatis: ut quamvis adhuc sit quod B. homini repugnet ex homine, nondum tota infirmitate sanata, ex fide tamen justus vivat, jusque vivat, in quantum non cedit malæ concupiscentiae, vincente de- lictatione justitiae.

Lib. 2. de peccat. meritis, & remissione c. 28. n. 45. asserit legem peccati T. 10. p. seu concupiscentiam manere in iis, qui ex aqua, & Spiritu Sancto renati sunt, 64. C. tamquam superatam, & peremptam, si non illicitis consensionibus, quodammodo reviviscat. Et c. 39. Lib. primi n. 69. dixerat de baptizato infante. Si post Baptismum vixerit, atque ad etatem capacem præcepti pervenire voluerit, ibi ba- D. bet cum qua (concupiscentia) pugnet, eamque adjuvante Deo superet, si non in vacuum gratiam ejus suscepere, si reprobatus esse noluerit.

In Expositione cap. 5. n. 46. Epistolæ ad Galatas. In hac vita, inquit, etiam si existant desideria carnis de mortalitate corporis, tamen mentem ad consen- T. 3. 2. p. p. 971. A. sionem peccati non subjungant.

De justo idem Doct. L. 1. quæstionum ad Simplicianum q. 1. n. 14. ait. Restat T. 6. p. in ista mortali vitalibero arbitrio, non ut impleat homo justitiam, cum voluerit, sed 86. C. ut se supplici pietate convertat ad eum, cuius dono eam possit implere.

His addi possent, & alia bene multa ejusdem S. Doctoris testimonia, T. 16. p. quibus generatim docet, Deum nihil, quod impossibile sit homini præci- 148. F. pere. L. de nat. & gratia c. 43. Deus, inquit, impossibilia non jubet, sed ju- 1b. p. 163. bendo admonet, & facere quod possit, & petere quod non possit. Quæ verba F. Conc. Trid. sua fecit. Et c. 69. addit rursus: Eo ipso quo firmissime creditur, Deum justum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.

Cum igitur idem S. Doct. L de Gratia, & lib. arb. c. 17. & alibi duplē distinguit bonam voluntatem, unam parvam, & invalidam, quæ non potest observare præceptum; alteram robustam, quæ potest: sensus ejus non est, parvam illam voluntatem nullatenus posse, sed tantum eam non posse immediate, ac proxime præceptum adimplere; at posse saltem orando impetrare uberior auxilium, ut actu illud adimpleat. Qua ex parte, plurimum distat vera Augustini doctrina a falsa, & erronea Janienii. Hic enim sub dominante actuali concupiscentia, & absente gratia efficaci, non agnoscit, tum ad opus bonum exercendum, tum ad orandum, nisi absolutam, & abstractam quamdam potestatem, non vero relativam, ut ex superiori dictis compertum est.

S. Greg. M. L. 9. Moralium cap. 46. alias 25. Augustino egregie concinit
Tournely de Gratia. Tom. III. Pars I. R. 2 his

his verbis: *Pius conditor cum viribus flagella moderatur, ne virtutem poena transseat, & per astutiam fortium humana infirmitas excidat. Unde, & bene per Paulum dicitur: Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra quam potestis, sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis sustinere. Nisi enim misericors Deus cum viribus tentamenta modificeret, nullus profecto est, qui malignorum spirituum infidias non corruens portet: quia si mensuram judex temptationibus non praebet, eo ipso protinus stantem dejicit, quo ultra vires onera imponit.*

Ed. N.T. Ex dictis hactenus colliges, non posse omnino a viris suspectis declinari suspicionem erroris primæ Propositionis, nisi sensum Janseniano

*D. plane contradictorium conceptis verbis admiserint: hoc est, confessi fuerint, in justis, urgente præcepto, volentibus, ac conantibus secundum præsentes, quas habent vires, adesse gratiam, quæ sit non inferior, sed viribus par, ac saltem æqualis actuali eorum cupiditati reprimendæ, & præcepto adimplendo, seu immediate seu mediate. Quæcumque aliae pri-
ma Propositionis interpretationes, quæ removent dumtaxat sensus illos extraneos, & alienos quos retulimus, errorem tegunt, ac dissimulant, non tollunt. Inde est, quod a Jansenianis interpretationes illæ ultro adoptentur, ut vidimus, quarum involucro tecti delitescunt. Fateantur illi quantum voluerint, esse in justis gratiam actualem interiorem suffi-
cientissimam, quæ ipsis conferat posse completissimum, proximum, expe-
ditissimum adimplendi mandati, atque etiam superandæ præsentis naturæ lapsæ status concupiscentiæ secundum se spectatæ: addant, justos gratiæ hujus beneficio, habere quidquid ex parte principii per se necessarium est ad bene agendum, ita ut etiam aliis in circumstantiis re ipsa efficax foret. Afferant quantum voluerint, se gratiam sufficientem sensu Thomistico, ut vocant, libenter amplecti. Jactent se gratias excitantes admittere, quibus voluntas ad actum perfectum, seu ad impletionem præcepti ita disponitur: ut nisi voluntas fortius obssisteret, validiorque concupiscentia obstaret, gratias uberiores Deus largiretur. Appellent impotentiam implendi præcepti, temperato, ac molito nomine impotentie moralis, aut difficultatis. Prædicent esse in justo, etiam sub ipsa domi-
nante concupiscentia & ad malum determinante expeditem ad bonum potentiam; salvus adhuc, & integer sub his loquendi formulis in speciem Catholicis perseverare potest error prime Propositionis Jansenii. Neque enim aliam exprimunt ad bonum potentiam, quam absolutam, ac spe-
ctata in se natura gratiæ, de qua Paulus Irenæus merito dicebat otiosorum hominum esse, disputare velle; ac ridiculum esse, Jansenio consilium affingere ipsam negandi, non vero relativam, seu talem, quæ pos-
sit actualem, ac præsentem concupiscentiam reprimere.*

Dices i. Conc. Trid. loco cit. sessionis 6. cap. II. manifeste supponit justos in iis aliquando circumstantiis esse, in quibus non possunt obser-
vare mandatum. *Deus, inquit, impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis.* Ergo contingit aliquan-
do, justum non posse observare mandatum; ac proinde, recto sensu mandatum tunc dici posse ipsi impossibile.

Resp. dist. ant. Conc. Trid. supponit justos aliquando non posse proxime, & immediate observare præceptum, concedo: non posse mediate, impetrando scilicet uberioris Dei auxilium, nego. *Jubendo monet facere quod possis,*

possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis, ait Conc. Trid. Fidelis quippe Deus est, qui non patietur tentari nos supra id, quod possumus, pronunciante Apost. 1. Cor. 10. v. 13. Porro, ut quis dicatur vere posse observare præceptum potentia relativa, satis est, quod vires habeat pares, ac sufficientes ad impetrandum divinum præsidium necessarium, ut actu impleatur. In systemate vero Jansenii, ut jam observavimus, vi gente superiori cupiditate ab orando retrahente, nulla est in justo potestas relativa ad orandum; adeoque præcepti observatio plane impossibilis ipsi est, non tantum immediate, ac proxime, sed etiam mediate.

Urgebis. Non posse observare præceptum immediate, ac proxime, idem plane est, ac non posse illud observare potentia juncta cum actu: atqui Janseniani, vel ab ipso controversiarum exordio, sèpissime contestati fuerunt, se hanc dumtaxat unam, cum Thomistis, excludere a justis gratia efficaci destitutis, potentiam junctam cum actu; aliam vero quamlibet perfectissimam, completissimam, expeditissimamque etiam relative ultero se profiteri, ac admittere, modo tamen concedatur, eam, si sola fuerit, nunquam in actum erumpere.

Resp. dist. min. Janseniani contestati sunt subdole, ac fraudulenter, se cum Thomistis excludere dumtaxat potentiam junctam cum actu, concedo: vere ac sincere, nego. Jamdiu est ex quo Janseniani, emento Thomistarum nomine, ac usurpati eorum locutionibus, Ecclesiæ turpiter illudunt. Potentia quippe ab actu sejuncta, quam unam fingunt se cum Thomistis removere a justo gratia efficaci destituto, non tantum non conjungitur cum actu, quod ajunt Thomistæ, sed nec conjungi potest, quod iidem negant. Nihil quippe, juxta illos, deest justo hujusmodi ex parte potentia seu actus primi, sed tantum ex parte actus secundi. Econtra, in systemate Jansenii, ut sèpius observatum fuit, deest actus primus, & secundus; superior nempe delectatio, quæ simul primum, & secundum actum largitur, hoc est, ipsum posse, & agere.

Quapropter potentia illa ab actu sejuncta, in doctrina Jansenii, nec est, nec dici potest relativa; imo implicat in terminis illam esse relativam, & tamen ab actu conjungi. Quia nempe potentia hæc, est ipsamet superior delectatio, secundum quam, ex Jansenio, necesse est voluntatem semper operari. Non ita est apud Thomistas, qui relativam admittunt potentiam, tametsi sola actum non obtineat. Agnoscent enim illi, iustum, beneficio gratiæ sufficientis, posse bonum operari: agnoscent voluntatem, absente gratia efficaci, indifferentem esse, seu indeterminatam ad actum bonum; atque idcirco efficacem gratiam physice præmoventem ipsi esse necessariam, ut educatur ex illo indifferentia ac indeterminatio- nis statu, & ad agendum determinetur. Porro, indifferens dici non potest ad bonum voluntas, nisi supponatur habere, per gratiam sufficientem Thomisticam, vires æquales, ac pares, quibus possit relativa bonum operari: quamquam nusquam illud operetur quamdiu sola fuerit, nec novum accederit ex parte Dei auxilium. At hæc ipsa ex relativa potentia ab actu suo semper separat, quam Jansenius vult monstro similem expludit, ac fugillat L. 3. de Gr. Chr. c. 1. Imo, tamquam dogma Pelagianum, ac Semipelagianum habet, quod voluntas in æquilibrio gratiæ, & concupiscentiæ posita, possit se ad bonum flectere; adeo apud ipsum

fixum, ac ratum istud est principium, voluntatem nonnisi superiori delectatione posse ad agendum determinari.

Urgebis iterum. Potentia illa relativa, quam agnoscimus in gratia sufficiente Catholica ad debellandam quamlibet concurrentem actualē concupiscentiam, vel inutilis, & otiosa videtur; vel eo tendit unice ut gratia sufficiens Molinæ sensu stabilisatur. Namque, vel illa potentia nunquam, si sola fuerit, in actum erumpit, vel erumpit sine novo ex parte Dei auxilio. Si prius; inutilis plane, ac otiosa videtur potentia, quæ nunquam actum obtinet: imo nec fatis potest explicari, quid ex parte voluntatis necessarium sit, ut talis potentia in actum erumpat, impetrando novum Dei auxilium. Si posterius; ergo ex solo natu voluntatis penderet, ut cum tali potentia seu gratia sufficiente justus bene operetur; ac consequenter, efficacia gratiæ ex uno eventu seu consensu voluntatis repetitur, qua ipsa est Molinæ sententia.

Resp. neg. ant. Duo quippe hic distinguenda, quæ objectio videtur confundere: dogma scilicet fidei oppositum errori primæ Propositionis, & explicatio hujuscce dogmatis. Non hic jam querimus, qua ratione potentia illa relativa, quam in gratia sufficiente Catholica respectu cuiuslibet oppositæ cupiditatis superanda agnoscimus; in actu erumpat; an sola sine novo ex parte Dei auxilio, an cum illo dumtaxat novo auxilio: neque quid ex parte voluntati necessarium sit, ut, uberioris Dei auxilium impetrando, potentiam illam in actu reducat. Pertinet istud ad explicationem dogmatis Catholici, quam, variam variis Scholæ opinionibus, falsa fide, Ecclesia permittit; atque Thomistis perinde, ac nobis solvendus ille nodus est. Quod illi dixerint, ut exponant quid ex parte voluntatis, gratia dumtaxat sufficiente Thomistica instructæ, necessarium sit, ut impetraret uberioris Dei auxilium, & bonum re ipsa operetur, hoc & nos hic dictum non abnuemus. Verum, hoc ipsum imprætentiarum volumus, quod ad institutum nostrum attinet, doctrinam scilicet Jansenii, qua statuit gratiam sufficientem nihil aliud esse, quam inferiorem actuali concupiscentia delectationem, ipsi proinde vincendæ imparem, omnino adversari dogmati Catholico contra errorem primæ Propositionis definito. Quia nempe in justis, sola illa gratia sufficiente sensu Jansenii instruetis, nulla est, propter inæqualitatem virium, potentia vera, & relativa, qua possint superiorum actualē concupiscentiam vincere, ac præceptum adimplere; adeoque præceptum respective ipsis impossibile est.

Urgebis denique. Si justus per gratiam sufficientem, efficaci absente, cui libet concupiscentiæ superanda, ac præcepto adimplendo pares, & æquales vires haberet, ut quid Ecclesia postulat a Deo, ut in nobis adaugeat fidem, spem, charitatem? Ad quid justus ubiores a Deo, sicut tenetur, postularet gratias, cum præsentem habeat sufficientem? Nam quid stultius, ait S. Aug.

T. 10. p. 135. B. Lib. de nat. & gr. cap. 18. quam orare ut facias, quod in potestate habes?

Præterea, si minima gratia potest resistere cui libet concupiscentiæ, & vitare omne peccatum mortale, ad quid specialis illa divinæ providentiæ cura, quam justi in tentationibus quibus pulsantur, & infirmitatibus, quibus circumdantur, a Deo suppliciter implorant, ut victores evadant? Non alia profectio de causa, quam quod probe noverint, gratiam, nisi gradibus virtuteque concupiscentiæ superior fuerit, non posse illam superare.

Resp. 1. Merito Ecclesiam a Deo postulare fidei, spei, charitatis, ceterarumque virtutum augmentum, quarum nempe vim, & ardorem, culpa nostra

nostra s̄epissime in nobis refrigescere, ac imminui experitur. 2. Multis de causis justos aliquando teneri suis orationibus uberiores a Deo gratias implorare. 1. Quia sic jussit Christus: *Vigilate, & orate ut non intretis in tentationem Sine intermissione &c.* 2. Quia h̄ec ipsa gratia sufficiens, quam habent justi, Dei donum est: *Vult autem Deus a se requiri, quod pollicetur,* ait S. Bernardus, Homil. 3. super Missus est. 3. Quia tanta est in præsenti vita temptationum frequentia, & vehementia, tanta naturæ nostræ infirmitas, tam frequentes nostræ prolapsiones, ut nisi justi animus ad Deum supplici oratione se convertat, brevi ex justitia, quam accepit, deficiet. 4. Quia cum illa sola sufficiente gratia non semper justus potest proxime, ac immediate observare præceptum, sive ex temptationis vehementia, sive ex adjuncta præcepti difficultate, unde necesse est istum per orationem ad Deum confugere, uberiorisque impetrare præsidium, quo munitus mandatum adimpleat: *Deus enim jubendo monet, & facere quod possis,* T. 10. p. 823. D. *& petere quod non possis,* ait S. Augustinus: Cum vero S. ille Doctor asseruit, *stultum esse orare, ut facias, quod in potestate habeas,* Pelagianos carpēbat, qui folis naturæ viribus universam legem impleri posse contendebant. An, inquit, ista irrisoria petitio est cum id a Deo petitur quod scitur ipsum non dare, sed ipso non donante esse in hominis potestate? L. de dono perf. cap. 1. Poteſt autem, ac debet postulari a Deo id quod ex ipsius dumtaxat gratia habemus in nostra potestate. Insuper non postulatur gratia sufficiens, quæ jam habetur, sed ea, quæ postea necessaria erit.

Ad 2. Specialis, & mira illa divinæ gratiæ in temptationibus occurribus su-
perandis, ac cordibus nostris inflectendis providentia, non consistit, sicut
Jansenio placet, in ipsius virtute agendi per gradus; seu in proportione majoris
inæqualitatis, qua agens sibi subjiciat paſsum, & major vis vincat minorem:
sed in miris illis, ac ineffabilibus modis quibus S. Augustinus s̄epissime
confirmat Deum operari in cordibus hominum bonas voluntates, & ha-
bere cordium quo voluerit inflectendorum omnipotentissimam potesta-
tem. In systemate vero Jansenii, sicut observavimus antea, modus agen-
di gratiæ quasi mechanicus pro gradu proportione ac mensura, nihil
in se mirum, ac stupendum continet, & ad explicandum difficile. Ve-
rum de hoc argumento plenius suo loco.

Dices 2. S. Augustinus L. 1. de diversis quæſtionibus ad Simplicianum
qu. 2. nu. 21. fatetur orationis gratiam non omnibus dari. Nonne, in-
quit, aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est: *vel potius frigida, & pene*
nulla, imo omnino interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore ad-
vertamus? Quia si vel hoc dolemus, jam oramus. Ergo non tantum imme-
diate sed etiam mediate, defectu gratiæ ad orandum necessariæ, man-
datum est aliquando impossibile.

T. 6. p.
102. E.

Resp. 1. S. Doctorem generatim loqui de gratuita orationis gratia omnibus
hominibus necessaria. Nos autem hic loqui speciatim de justis, quibus ta-
lem gratiam ad orandum sufficientem non deesse contendimus ... Justi non
orant quidem semper, ut oportet, & quantum oportet, ut uberioris Dei au-
xilium impetrant: verum eorum culpa est quod ita non orent, cum habeant ex
gratia pares, ac sufficientes vires ad orandum. Unde S. Aug. loco citato, ait
quidem orationem nostram aliquando tepidam, frigidam, ac pene nullam esse;
at non ait deesse gratiam, per quam oratio poslit ardenter, & fervidior fieri.

S E.

SECUNDA PROPOSITIO.

Interiori gratiae in statu naturae lapsæ nunquam reflittur.

Propositio ex Jansenio legitime extracta.

Hujus Propositionis doctrinam adstruunt ea Jansenii testimonia, quibus
 Pag. 41. assent; omnem gratiam ejus effectus semper efficacem esse, cuius est ca-
 col. 1. C capax relative; sive plenus ille sit, ac perfectus; sive imperfectus, ac debilis.

Libro 2. de Gratia Christi cap 4. referens discrimen gratiae sanitatis, &
 gratiae medicinalis, quæ h[ab]et j[ur]is status propria est, sic loquitur: *Gratia sanæ
 voluntatis, in ejus libero relinquebatur arbitrio, ut eam si vellet desereret, aut
 si vellet uteretur: gratia vero laſæ agrotæque voluntatis nullo modo in ejus re-
 linquitur arbitrio, ut eam deserat, aut arripiat si voluerit, sed ipsa sit potius
 illa postrema gratia, quæ invictissime facit ut vellit; & a voluntate non dese-
 ratur . . . Et postea: Alterum adjutorii genus est, quo, simul ac datum fuen-
 tb. col. 2. rit, sit effectus, & si non detur, nunquam fit. Nempe quia tantæ necessitatæ
 C. est, ut sine illo non possit effectus fieri, tantaque efficacia, ut hoc ipso quo da-
 tur, continuo fiat. Dat enim simul, & posse, & operari.*

Pag. 80. Et cap. 24. *Quod si quis, inquit, adhuc luculentius naturam gratiae Christi
 col. 2. E medicinalis, prout ab Augustino intellecta descriptaque fuit, audire expressam,
 Pag. 81. & intelligere desideret . . . videbit . . . talem ab eo prædicatam esse, qua si
 col. 1. A mul ac pulsat fores, rumpit ostia: repugnantemque domat voluntatem, tollit
 omnem ejus resistentiam, rapit eam secum; & ex invita volentem, ac se de-
 terminantem ineffabili suavitate, ac potestate facit.*

Pag. 83. Et cap. 25. *Gratia & opus bonum apud Augustinum ita reciprocantur, ut
 col. 2. D quemadmodum ex gratia data mox effectum operis consequutum inferre solet, ita
 vice versa, ex defectu operis, gratiam non esse datam . . . Quod est perinde,
 ac si operissime diceret; nunquam illa caret effectu suo, ideo quippe tribuitur, ut du-
 ritia cordis seu voluntatis ablata, qua sola impeditur operatio, non caret effectu suo.*

Pag. 85. Frater illam vero gratiam victricem, aliam agnoscit Jansenius non
 col. 1. A. victricem, quamquam suo modo semper efficacem, quia eum semper al-
 sequitur effectum, cuius est capax, & propter quem a Deo datur, ha-
 bita ratione circumstantiarum subjecti.

Pag. 87. Capite 27. ejusdem Libri 2. de Gratia Christi: Nullam, inquit Augu-
 col. 1. D stinus agnotit actualem Christi gratiam, quam efficacem, nec agnoscere po-
 tut, nisi regulas omnes fundamentales, quibus innixus naturam gratiae medici-
 nalis tradidit, velit intemere.

Ibidem initio sibi objicit multos divinitus mente collustrari, imo vero, & in
 Pag. 86. ipsa voluntate motibus divinæ gratiae percilli, qui tamen ab ejus interna suasione
 col. 2. E & inclinatione dissentient. Cui objectioni respondet, distinguendo varios
 gratiae effectus. Considerandum est, inquit, multiplices esse divinæ gratiae ef-
 fectus; quemadmodum, & voluntatis. Est enim velle perfectum, quod Augusti-
 nus posse vocat; est & imperfectum, quod velleitatem appellare solent: & hoc
 ipsum diversos gradus habet, donec ad ipsam primam tenuissimamque boni com-
 placentiam ventatur. Hæc ergo primus est cœlestis illius roris effectus, quem
 ut minimum in omnibus operatur, quibus eum infundit Deus.

In sententia igitur Jansenii, qualibet gratia eum semper effectum obtinet,
 cuius, relative ad oppositam delactionem, capax est, & ad quem, habi-
 ta ra-

ta ratione hujus delectationis superioris, producendum a Deo datur; sive plenum, ac perfectum, si concupiscentia inferior fuerit, & gratia superior; sive imperfectum, ac debilem, si superior fuerit cupiditas, gratia vero inferior. Adeoque, in mentem Jansenii, interiori gratiae in statu naturae lapsæ nusquam resistitur.

Secunda Propositione cum delectatione superiori connexa, unde a Jansenio eruitur.

Ex eodem delectationis superioris fonte proficit hujus secundæ Propositionis doctrina, & a Jansenio ipso deducitur.

Libro 2. de Gratia Christi cap. 24. hic laudato, *Gratia tollit omnem ejus (voluntatis) resistentiam, rapit eam secum, & ex invita volentem ac se determinantem ineffabilis suavitatem, ac potestate facit.* ^{Pag. 81.} ^{col. 1. A.}

Lib. 4. c. 7. *Naturali ordine, inquit, ex delectatione dilectio, ex dilectione operatio consequitur.* Paullo ante dixerat: *Id quod amplius nos delectat, et iam amplius velimus, ac deligamus necesse est; tanto enim quidque vehementius volumus, quanto delectamur ardenter.* ^{P. 178.} ^{col. 2. E.} ^{P. 179.} ^{col. 1. E.}

Non tantum vero ad bonum, sed etiam ad malum, delectatione prævia nos opus habere docet ibidem Jansenius: *Voluntas, inquit, sine delectatione velle aut moveri nullo pacto potest, quod sane respectu cuiuslibet actionis locum habet.* *Unde etiam in peccatis eadem necessitas delectationis ad volendum, ac majoris delectationis ad superandam oppositam delectationem reperitur.*

Cap. 8. ejusdem Libri, docet futuram etiam in beatis peccandi voluntatem, si aliquid terrenæ delectationis obrepere in cælo posset. *Diligentis beati impetus, ait, si adulterinæ cuiusdam delectationis permixtionem laxaretur, mens illa beata iterum refrigerescendo tenebresceret, & peccaret.* ^{P. 181.} ^{col. 1. D.}

Et cap. 10. *Cum nulla sit gratia operandi præter istam suavitatem Dei, nisi ista tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum tesserint, vel peccabit, vel alterante delectationum fluctu in medio remanebitur.* ^{P. 184.} ^{col. 2. C.}

Lib. 8. cap. 3. *Delectatio viatrix, quæ Augustino est efficacis adjutorium, relativa est.* Tunc enim est *Viatrix, quando alteram superat.* *Quod si contingat alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis hæredit animus.* ^{P. 344.} ^{col. 1. G.}

Denique Libro 10. cap. 7. *In universis, inquit, operibus ejus (Augustini) non est vestigium, quod Christi gratia cuiquam sit incongrua, sed omnis congrua est, omnis operatur ac perficit effectum suum.* Omnis enim dilectat voluntatem, & omnis hoc ipso ad operandum effectum illum ad quem datur, trahit. Non potuit Jansenius, & secundam hanc Propositionem, & principium unde sequitur, clarioribus verbis exprimere.

Magistrum discipuli sequuntur, atque ex eodem plane delectationis principio, secundæ Propositionis doctrinam inferunt, ac demonstrant.

In Scripto cui titulus: *Quinque Propositionum de Gratia, vera & Catholica expositio, apud Diarium de S. Amour inter Collectanea: Hanc gratiam inquiunt, voluntas nunquam respuit, quia semper velle donat, semper cordis duritiam auferit pro mensura doni divini majoris concupiscentia, seu quantum Deus misericorditer vult vietricem banc delectationem, & majorem concupiscentiam sive ad incipiendam, sive ad confirmandam, sive ad perficiendam animæ curationem, in cordibus nostris diffundere.* Et postea: *Homo hac Christi gratia quæ cordis duritiam auferit, motus, non semper proinde vult aut agit efficaciter, & perfecte quod volendum,* ^{Pag. 53.} ^{col. 2.} ^{P. 428.} ^{col. 1. E.}

Pag. 54. dum, & agendum est: s^epe enim contingit hominem peccatorem in solis inefficacibus desideriis quae gratia efformavit hanc, nec ea ad operis effectum ob infirmitatem suam ac vitium proprium perducere; abdicere etiam desideria ista, & reluctante, ac vincente concupiscentia non resipiscere a peccato, non agere penitentiam ut oportet, & quantum oportet ut a peccato resurgat illiusque veniam a Deo consequatur. Hoc tamen in homine gratia Christi proximum effectum, quem Deus intendit, boni scilicet, & inchoati desiderii motum consequitur.

Duplicem hic gratiam distinguunt Janseniani: unam victricem seu per se efficacem, quae semper in cordibus nostris effectum ad quem a Deo datur, producit: cui consequenter nusquam resistitur: alteram, quae cordis duritiam ex se propriae natura auferre quidem potest, sed qua homo mortuus, non semper vult aut agit efficaciter, & perfecte quod volendum, & agendum est: nihilominus proximum effectum quem Deus intendit, boni scilicet, & inchoati desiderii motum consequitur: cui etiam ea ex parte nusquam resistitur; quandoquidem eum habet proximum effectum, quem Deus intendit. Quantum vero ad alium effectum ulteriorem, plenum ac perfectum, ad quem ea gratia ex se propriae natura absolute tendit, & ordinatur, & quem propter oppositam majorem cupiditatem non assequitur, proprius ipsis non resistitur; quia effectum illum relative obtinere non potest, propter obicem ardenteris concupiscentiae: loquendo autem proprie, ac stricte, resistere gratiae, est eam frustrare eo effectu, quem habere potest in his circumstantiis in quibus datur. Porro hunc modum agendi gratiae repetunt hujus Scripti Auctores ex delectatione, quae major vel minor est concupiscentia.

Pag. 11. In alio Scripto quo dicitur: *In nomine Domini, sic mentem suam pariter exponunt: Praestat animadvertere, non docere nos divinae gratiae simpliciter & per se nunquam resisti; quin imo eidem novimus modo resisti, modo non resisti. Comparatione scilicet cupiditatis cum ipsa gratia, ut altera vicissim resistat alteri, prout altera vicissim alteri, aut cedit, aut obedit, aut dominatur, & prevallet. At nec inde fit ut omni prorsus effectu careat aut caruerit unquam divina gratia; quandoquidem ipsa, quotenus superior aut inferior est adversariae cupiditati, desiderium efficax, aut inefficax in humana voluntate perpetuo gignit: & cum a Deo non donetur saltem immediate, nisi ob effectum illum quem nata est peragere, & re ipsa peragit, negamus eam propter ejus effectum, ad quem a Deo immediate, & proxime destinata est, aut aliquando vacuam fuisse, aut porro unquam fore . . . Postea idem confirmant ipsa Jansenii auctoritate L. 3. de Gr. Christic. 25. Nec vero, inquiunt, memoratis locis docuit Pr^aesul iste, divinae gratiae simpliciter, aut absolute nunquam resisti, sed respectu solummodo cupiditatis, prout haec gratia, cum qua dimicat, praegravat vel succumbit. Clare, ac perspicue hic habetis divinam gratiam nusquam omni effectu carere; siquidem quotenus superior, aut inferior est adversariae cupiditati, desiderium efficax vel inefficax ad bonum excitat in voluntate. Cum igitur a iunct gratiae interdum resisti, eam absolute in se ac secundum naturam suam considerant, quotenus ad bonum perfectum tendit & ordinatur; non vero relative, quotenus inferior est adversariae cupiditati: tunc enim proprie ei non resistitur: cum non possit plenum illum, ac perfectum effectum relative consequi; & imperfectum, cuius solius producendi capax est habita ratione dispositionum subjecti, operatur,*

In secundo Scripto quod ab uno e Dominicana familia elaboratum est pro *Pag. 91.*
informatione Cardinalis Roma, apud de S. Amour inter Collectanea, sic legi- *col. 1.*
mus: *Tertio nequaquam docet Jansenius omnem gratiam esse cumulate efficacem ad*
plenum opus, quasi vero inefficaces ad illud excludat gratias, quas Thomistæ vocant
sufficientes Sic eas sublata gratiae efficacis appellatione complectitur, quod quæ
respective ad ipsum totum & perfectum opus invalidæ sunt & inefficaces, sint ta-
men absolute, & simpliciter efficaces ad opus proximum, & immediatum, ad
quod decreto Dei absoluto destinantur, & pro quo a Deo conseruntur.

Paulus Irenæus Disq. 6. art. 3. arg. 2. *Jansenius*, inquit, variis in *P. 252.*
locis afferuit gratiae nonnunquam dissentiri; gratias quasdam inefficaces esse; *col. 1.*
gratias quasdam in solis desideriis inefficacibus hærente, & a concupiscentia su-
perari. Quod probat ex verbis Jansenii depromptis ex Lib. 8. cap. 2.
quæ hic laudavimus.

Et Disquisitione 1. art. 5. sic adhuc loquitur: *Quamvis ista gratia sit inef-* *P. 197.*
ficax respectu boni operis ad quod ex natura sua tendit, & ad quod implendum *col. 2.*
voluntatem excitat, & roborat; alio tamen sensu est efficax secundum quid;
*quia semper actus illos imperfectos producit, ad quos ex decreto absoluto die-
næ voluntatis ordinatur. Atque ita generatim omnis Christi gratia efficax dici
potest; quia semper id efficit, quod Deus absolute fieri decrevit.*

Lege & Dionysium Raymundum parte 1. c. 3. art. 3. ubi clare do- *P. 113.*
cet gratiae resisti, quatenus dumtaxat absolute in se spectatur, ac ex
natura sua tendit ad opus perfectum.

Denique Sambovius in Tractatu de Gratia, quem anno 1651. his in
Scholis docuit, hæc habet circa secundam, quam expendimus, Jansenii
propositionem: *Gratia voluntatis vel est parva, vel magna. Parva refliti-*
tur, sed ita ut aliqua ex parte, sed majori superetur, minori superet. Su-
peratur, quia non ponit effectum, quem in subjecto minus resistente ponere:
superat, quia ponit omnem effectum, ad quem ordinatur a Deo: facit vel-
le, licet non plene, sed imperfecte. Et Disputatione 5. art. 6. Gratia par-
va, inquit, est efficax ejus effectus, ad quem proxime ordinatur, & quem
Deus absoluta voluntate intendit: non est tamen efficax ejus effectus, quem
Deus absoluta voluntate non intendit, & ad quem ordinatur quantum est
de se ulterius, sed non habita ratione subjecti resistentis per maiorem concu-
piscentiam Hæc parva gratia, quæ parit desideria parva, licet sit ef-
ficax ratione hujus effectus, est tamen sufficiens ratione ulterioris effectus, quia
quod eum non ponat, non est defectus virtutis, quæ de se habet omnia, quæ
requiruntur ad effectum istum ponendum, sed ratione resistentie subjecti; quia
scilicet gratia victrix est non absolute, sed comparate dumtaxat ad minorem
concupiscentiam. Deus vero non intendit sua absoluta voluntate ultimum bunc
effectum ponit in subjecto sic resistente. Hæc Sambovius tam clara, & per-
spicua, ut expositione non indigeant.

In his porro omnibus, quæ laudata sunt, testimoniosis, quasi solaribus
radiis descripta legitur potestas absoluta & relativa gratiae, in cuius æ-
quivocatione perpetuo ludunt ac fallunt Janseniani.

Verus ac germanus secundæ Propositionis Jansenii sensus.

Ex dictis facile colligitur, hunc esse naturalem ac germanum secundæ Propo-
sitionis Jansenii sensum: nempe gratiam Christi eum omnem effectum semper
consequi, cuius est capax relative ad oppositam cupiditatem; seu quem ipsi
permitt-

permittit opposita cupiditas. Si haec superior fuerit, gratia inefficaces tantum & imperfectos ad bonum motus excitabit; seu, ut loquitur Jansenius, *animus in solis desideriis inefficacibus habebit*; si vero inferior fuerit cupiditas, gratia plenum ac perfectum effectum, seu opus bonum obtinebit; & ita, gratia semper est efficax, licet non semper victrix. Semper efficax, quia semper aliquid efficit; non semper victrix, quia non semper superat oppositam concupiscentiam, nec plenum ac perfectum opus producit; & consequenter nulquam ei resistitur. Non quantum ad effectum plenum si fuerit victrix: non etiam quantum ad effectum imperfectum, si victrix non fuerit, quia eo nonquam frustratur. Quantum vero ad effectum plenum, & perfectum, ad quem gratia etiam non victrix, ex se; propriaque natura absolute tendit, & ordinatur, proprie loquendo ipsi non resistitur, quia eum relative ad oppositam maiorem cupiditatem consequi non potest in doctrina Jansenii: ergo nec ipsi sub illo respectu proprie resistitur. Non aliud profecto est Jansenii sensis, qui intime connexus est cum iis, quae docet circa delegationem superiorum ac relativam: quem sensum aperte indicant Janseniani, in Scripto trium Columnarum. *Gratiae Christi*, inquit, *ad singulos pietatis actus proxime necessariae nunquam resistitur, hoc est, nunquam illa frustratur eo effectu, ad quem a Deo proxime datur (voluntate ad circumstantias attendente.)* Qui alium sensum querit, & sibi ad refellendum proponit quasi Jansenianum, cum larysis, & umbris lactatur.

Diar. pag. 285.
col. 1.

Sensum illum aperiebat Hallerius in Scripto jam citato. *Sensus est, inquietabat, in statu naturæ lapsæ nullam esse gratiam Christi actualem internam in voluntate residentem, cui voluntas humana de facto dissentiat.*

Nota, addebat, hic non attingi doctrinam S. Augustini de Gratia efficaci a se. Aliud est enim asserere S. Augustinum admisisse aliquod genus gratiae, que infallibiliter effectum suum consequitur, & a nullo duro corde respuitur: aliud asserere, S. Augustinum nullam aliam gratiam præter efficacem admisisse, que sufficiens sit. Primum, Catholicum est: secundum, nonnisi a Calvino, ejusque sequacibus fuit assertum. Et postea: Non itaque hic agitur de gratia sufficiente versatili statuenda, quæ modo effectum suum habeat, modo non habeat: sed tantum in genere queritur, utrum verum sit in statu naturæ lapsæ nullam dari gratiam, quæ vere sufficiens sit.

Pags. 87.
col. 1. C.

Dices. Ex Jansenio L. 2. de Gr. Chr. cap. 27. gratiae parvae disponunt ad victricem, provocantque Deum per actus imperfectos, quos ex voluntate eliciunt, quales sunt: velleitates, conatus, vota, ad concedendum gratias ubiores, quibus adimpleatur præceptum. *Videmus*, inquit, plurimos, qui neandum ab immunditiis carnis se continere possunt, vehementer tamen optare continentiam: cujusmodi vota divinae gratiae sunt munera, & majoris gratiae provocativa. Porro id sufficit, ut gratiae hujusmodi vere sint sufficientes, ac homo iis resistere dicatur.

Resp. 1. In systemate Janseniano necesse non videri, si ipsis fides, ut gratiae parvae disponant ad novas majores, neumque provocent ad eas conferendas. Siquidem etiam non accedente novo Dei auxilio interiori, prior gratia per solam oppositæ concupiscentiæ imminutionem superior ad victrix fieri potest. Eadem quippe entitas gratiae victrix vel non victrix evadit, pro majori, vel minori oppositæ cupiditatis resistantia.

Resp. 2. Esto actus illi imperfecti, quos gratia debilior excitat in voluntate.

Junctate, disponant ac tendant ex natura sua ad perfectiores: an vero id satis est, ut voluntas proprie dicatur hujusmodi gratiae resistere? Nullatenus. Quia scilicet haeret necessario animus in illis inefficacibus desideriis, conatibus, votisque imperfectis; dum opposita delectatio concupiscentiae, ut pote superior, ad perfectiora ulterius progredi non permittit.
Sensus alieni, & extranei, qui secundae Propositioni Jansenii maligne affingi possunt, quos tamen legitime sumpta apud Jansenium non habet.

Ubi semel fixus ac determinatus manet sensus secundae Propositionis Jansenii, facile est alios omnes tamquam maligne confictos, & ab ejus mente prorsus alienos removere.

I. Itaque excludendus sensus iste Calvinianus, ac Lutheranus, quam Janseniani ipsi excludunt in suo trium Columnarum Scripto, scilicet: *Interiori gratiae efficaci in statu natura lapsae eatenus nunquam resistitur, quatenus voluntas hominis respectu gratiae efficacis mere passive se habet, & velut inanime quoddam nihil omnino agit, nec cooperatur, nec libere assentitur.* Ab eo sensu procul abesse Jansenium, defensores ejus ultiro profidentur.

II. Dictae Propositionis sensus non est, quod concupiscentia semper oppugnet gratiam, eique reluctetur: namque ea ratione, gratiae quantumcumque victrici, & efficaci etiam resistitur; siquidem concupiscentia carnis semper luctatur cum spiritu, ac gratiae ab bonum spirituale invincibiliter inclinanti semper resistit, licet sine victoria: neque hoc sensu negavit unquam Jansenius, quin gratiae resistatur. Vide caput 4. & 5. Lib. 4. de Gratia Christi, ubi luctam illam, & conflictum gratiae, & concupiscentiae describit.

III. Absurdus etiam, ac plane fictus est sensus iste, nimisrum gratiam eum semper effectum operari, quem potest absolute, tum ex propria sua natura, tum ex voluntate Dei antecedente. Nihil certe dici posset a mente Jansenii magis alienum. Namque gratia qualibet ex se tendit ad bonum perfectum, quod tamen ab ea semper non obtineri, propter maiorem oppositam cupiditatis resistantiam, Jansenius centies agnoscit. Gratia enim victrix, juxta illum, relativa est, non absoluta, ut superius demonstravimus.

IV. Neque etiam sensus dictae Propositionis est, gratiam non eo effetu interdum privari, quem assequeretur in alio subjecto minus resistente. In systemate quippe Jansenii eadem entitas gratiae pro majori vel minori resistantia, in uno victrix est, & in altero non victrix.

V. Plane confictus etiam est alter iste sensus, quamlibet nempe gratiam omne bonum operari ad quod voluntatem movet, & excitat. Certum quippe est, in systemate Jansenii, gratiam parvam, & non victricem ex se ad bonum illud movere, & inclinare voluntatem, cuius tamen executionem nunquam obtinet, quando major est cupiditatis delectatio.

VI. Somniaret profecto, qui diceret secundae Propositionis sensum esse, gratiam non tantum pro eo tempore, quo conceditur, sed etiam postea, continuo eum ipsum effectum prodicere, quem primo produxit: quasi ita despuerit Jansenius, ut unum, & eundem gratiae effectum constantem semper ac perpetuum in voluntate perdurare voluerit. Nullum est, aut in Jansenio, aut in verbis ipsis, quibus dicta Propositio constat, sensus tam alieni, & extranei vestigium.

VII. Äquie falleretur, & a scopo aberraret, qui diceret sensum Propositionis esse, motus indelibertos, in quibus gratia consistit, voluntatem non move-re ad

re ad actus deliberatos eliciendos : totus enim repugnat Jansenius L. 4. de Gr. Chr. c. 11. superius citato , ubi de natura delectationis ex mente Jansenii .

VIII. Nec scopum attingeret , qui dicta Propositione significatum vellet , quacumque gratia concupiscentiam reprimi , ac debellari . Quis in doctrina Jansenii tam peregrinus ignorat , quod centies repetit ; minorem a majori dumtaxat delectationem vinci : adeoque concupiscentiam non a qualibet gratia , sed tantum a superiori vinci , ac superari posse ?

Denique falso affingeretur iste sensus , Deum , spectata in se natura gratia , nolle illud omne bonum produci ad quod tendit . Deum etenim voluntate sua antecedente , quæ a circumstantiis subjecti abstrahit , velle illud bonum ; voluntate autem dumtaxat consequente , seu spectato superioris concupiscentia gradu , cum quo gratia illa concurrit , illud nolle , Janseniani , quos antea laudavimus , agnoscunt , ac profitentur . Deus quippe id velle non potest quod , juxta ipsos , impossibile est ; & impossibile est majorem concupiscentia delectationem vinci a minori cælesti . Vigente enim delectatione carnali ; ait T. 3. pag. 183. col. 2. B. Jansenius L. 4. c. 9. de Gratia , impossibile est , ut virtutis , ac honestatis consideratio prævaleat . Ergo Deus sua voluntate consequente id velle non potest .

Sensus Catholieus errori secundæ Propositionis oppositus .

Ex errore Jansenii sensu proscripto , facile dignoscitur hunc esse oppositum Ecclesiæ sensum : nempe , in statu naturæ lapſæ , quamlibet gratiam non eum omnem semper effectum habere , cuius capax est relative ad oppositam concupiscentiæ delectationem ; potest enim relative eum effectum habere , quem tamen non habet , quia ex S. Thoma antea citato , *minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ , & vitare omne peccatum mortale .* Quod , ut antea diximus , Jansenio paradoxum videtur L. 4. de Gr. Chr. cap. 15.

Ad removendum igitur erroneum Jansenii sensum ; non satis est , si tantum dixeris , vel interiori gratiæ aliquando resisti , vel gratiam ulteriori suo effectu ad quem natura sua , & voluntate Dei antecedente ordinatur , aliquando frustrari , nec cum ipso semper reciprocari , vel inefficacem interdum esse . Istos enim loquendi modos , quorum unus , & idem sensus est , ultro ad mentem suam intellectos Janseniani amplectuntur ; Arnaldus , D. Nicole in suo systemate , Auctor Epistolæ ad Episcopum anno 1661. Paulus Irenæus , Sambovius , Auctor Scripti : *In Nomine Domini , &c.* in citatis superius locis , ubi de potestate absoluta , & relativa egimus . Iisdem & ipsem Jansenius non infrequenter usus est L. 2. de Gr. Chr. c. 27. & L. 8. c. 2. Nihil etenim aliud his terminis significatum volunt , nisi quod gratiæ in seipsa , seu absolute spectata , facta circumstantiarum subjecti præcisione , resistatur ; quod ea viætrix semper non sit , nec eum assequatur effectum , ad quem , & natura sua , & antecedente Dei voluntate tendit , ordinatur , ac disponit . Verum illud apud ipsos ratum semper , ac firmum stat , gratiam relative ad oppositam cupiditatem , eum semper effectum a voluntate exprimere , cuius est capax , habita ratione actualis oppositæ cupiditatis : adeoque ei proprie subeo respectu , de quo uno quæstio movetur , non resisti ; cum proprie , & accurate loquendo , non resistatur gratiæ ratione hujus effectus , quem his in circumstantiis habere non potest .

Ut igitur nulla plane supersit suspicio errori secundæ Propositionis , sententia doctrinæ Jansenii plane contradictoria clare , ac nitide statuenda est ; nempe , quam

quamlibet gratiam actualis interior voluntatis, non eum omnem semper effectum sortiri, quem intendit Deus, spectatis subjecti circumstantiis; & quem voluntati permittit operari gradus concurrentis actu delectationis terrena.

Dices 1. Quaelibet gratia actualis interior voluntatis, quæ datur per voluntatem Dei consequentem, & absolutam, eum omnem effectum semper sortitur, quem Deus ea voluntate (quæ semper impletur) intendit; atqui quaelibet gratia, quæ datur a Deo, spectatis subjecti circumstantiis seu relative ad dispositiones ipsius, datur per voluntatem consequentem & absolutam: voluntas quippe antecedens abstrahit a circumstantiis: ergo eum omnem effectum semper sortitur, quem Deus intendit, nec proinde ipso unquam resistitur.

Resp. nego min. Namque virtute antecedentis Dei voluntatis, conferuntur justis, & aliis saltem præparantur gratia sufficietes relative ad dispositiones subjectorum. Distinctio enim inter voluntatem Dei, quæ consequens, vel antecedens dicitur, non repetitur, juxta Divum Thomam in 1. Sent. dist. 46. q. 1. art. 1. ex præcisis vel spectatis circumstantiis concupiscentiæ subjecti, sed ex supposito, vel non supposito consensu voluntatis. Dicendum, inquit, secundum Damascenum, quod voluntas est duplex, scilicet antecedens, & consequens. Et hoc contigit non ex aliqua diversitate voluntatis divinae, sed propter diversas conditiones ipsius voliti. Potest enim in unoquoque homine considerari natura ejus, & aliae circumstantia ipsius, (ut quod est volens, & præparans se ad salutem suam; vel etiam repugnans, & contrarie agens) Hujus voluntatis (antecedentis) effectus est ipse ordo naturæ in finem salutis, & promoventia in finem omnibus communiter proposita, tam naturalia, quam gratuita Bonum est eum qui se præparat, & consentit, salvare per largitatem gratia divinae; nolentem vero, & resistentem non est bonum salvare Iustum Deus vult salvare qui est volens, & consentiens: Et hoc dicitur voluntas consequens, eo quod præsupponit præscientiam operum. Igitur voluntas Dei antecedens non abstrahit ab omnibus subjecti circumstantiis, sed tantum a consensu vel dissensi subiecti, ad quem consequens Dei voluntas attendit.

Urgebis 1. Quidam ex Thomistis asserunt, idcirco antecedentem appellari Dei voluntatem, quod abstrahat ab omnibus circumstantiis subiecti; unde plane sequitur, gratiam sufficientem collatam virtute hujus voluntatis antecedentis, relativam non esse ad eas circumstantias.

Resp. 1. Illorum Theologorum esse, suam hanc sententiam conciliare cum mox citato S. Doctoris textu. 2. In hac etiam illorum Thomistarum sententia, gratia sufficiens dat etiam posse relativum ad circumstantiam actualis concupiscentiæ; quia juxta D. Thomam, *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare quodlibet peccatum mortale.* Gratia sufficiens, ait Alvarez L.S. de Auxiliis divinae gratiae, disp. 76. nu. 6. est sufficiens comparatione conversionis perfectæ; licet semper sit efficax respectu alicuius effectus. Unde licet formaliter explicite, in mente illorum Theologorum, gratia sufficiens non dicat ordinem ad illas circumstantias, dicit tamen eminenter ob eximiam, quam habet, virtutem, ut possit quamlibet debellare concupiscentiam.

Urgebis 2. cum Auctore Vindiciarum Sancti Thomæ circa gratiam sufficientem sect. 3. art. 4. apud caussam Arnaldinam. Ex S. Th. in 1. dist. 47. qu. 1. art. 2. Operatio non correspondet voluntati Dei antecedenti, sed consequenti. Et voluntas antecedens non habet effectum, nisi voluntas consequens adjungatur, p. 525. ait idem S. Doctor Lib. 1. ad Annibaldum distinctione 47. qu. de & seq.

voluntate Dei art. 2. ad 2. Ergo voluntas Dei antecedens est otiosa, & sterilis.

Respondet Gonetus Tom. 1. Disputatione 4. de voluntate Dei antecedente art. 5. paragrapho 2. refellens ex professo argumentum Auctoris citati, distinguendo: Operatio & effectus principalis (qualis est collatio

P. 431. gratiae efficacis seu præmotionis physica ex parte Dei, ac plenus, & perfectus ex parte voluntatis consensus in opus bonum) non correspondet voluntati Dei antecedenti, sed consequenti, concedit: operatio & effe-

B. B.G minus principalis, qualis est præparatio auxiliorum sufficientium , negat. Quare, addit citatus Theologus: *Voluntas illa antecedens, in statu naturæ lapsæ non est omnino otiosa, & sterilis, nec simplex complacentia de salute hominum per illam enim Deus omnibus proposuit salutis præcepta , consilia, remedia ; & omnes homines in finem supernaturalem ordinavit Et per illam salus omnium, etiam reproborum, fit saltē incomplete , & initiative futura: unde falsum est, & a principiis D.Thomæ penitus alienum Deum per voluntatem antecedentem nihil penitus circa hominum salutem operari, tum refert textum S.Thomæ mox citatum.*

Ibidem respondens huic objectioni auctoris de quo superius , nempe Deus per voluntatem antecedentem nihil velle simpliciter eorum, quæ ad hominum salutem conducunt, quia voluntas illa non absoluta est, sed tan-

P. 430. col. 2. E tamen yelletas; ait, per voluntatem antecedentem Deum nihil velle sim-

P. 431. col. 1. A pliciter eorum, quæ hominem ad salutem conducunt efficaciter, conce-

dit; inefficaciter, negat: *Licit enim, inquit, media ad salutem efficaciter con-*
ducentia, Deus velit, & præparet per voluntatem consequentem ... media ta-
men, & auxilia, quibus homo sufficienter ad vitam æternam promovetur, & ordi-
natur, ad voluntatem Dei antecedentem referuntur. Addit voluntatem illam
 antecedentem, voluntatem secundum quid dici, non quidem respectu om-
 nis voliti per voluntatem, sed tantum respectu voliti principalis; hoc est æternæ sa-
 lutis, & mediorum efficaciter ad illam conducentium; bæc enim per voluntatem an-
 tecendentem Deus non vult simpliciter, sed tantum secundum quid. Auxilia tamen
 sufficientia, quæ sunt volitum minus principale, & quæ ad salutem efficaciter non
 conducunt, Deus vult simpliciter, & absolute per voluntatem antecedentem. Hæc
 Gonetus e Thomistarum Schola insignis Theologus.

Dices 2. Omnis gratia interior semper illuminat ac movet voluntatem: ergo semper hunc vitalem effectum assequitur, adeoque ipsi nus-
 quam plane resistitur,

Resp. 1. Falsum esse consequens in sententia illorum, qui dicunt gratiam formaliter, & essentialiter esse illuminationem mentis , & motionem voluntatis, sic enim illuminatio, & motio non est effectus gratiae, sed ipsamet ejus natura. Ita sensisse aliquos refert Alvarez L. 12. de au-

xiliis divinae gratiae disp. 120. num. 2.

Resp. 2. In sententia eorum, qui contendunt cum Alvarez L.7.de auxiliis di-

P. 497. vinæ gratiae disput. 57. n. 4. gratiam primo prævenientem, formaliter loquendo non
 esse actum vitalem indeliberatum, sed motionem Dei ordine caussalitatis anteceden-
 tem actum nostrum vitalem ordinis supernaturalis, distinguendum esse: Gratia
 illuminando mentem ac excitando voluntatem, aliquem effectum vitalem
 saltē indeliberatum semper operatur, verum est: quo sensu mox citatus
 Alvarez Lib. 8. disput. 80. num. 3. ait, comparatione *bujus effectus indeliberati*

Pag. 648. *auxilium sufficiens semper esse efficax.* Effectum vitalem deliberaatum semper
 opera-

operatur, falsum est. Neque enim in sententia Thomistarum, gratia ex-
citans semper actum deliberatum obtinet ex voluntate, ad quem mora-
liter tantum disponit, & excitat; ut nempe, accedente gratia operante,
actum illum assequatur. Namque si gratia excitans physice moveret,
suum semper obtineret effectum; ergo moraliter dumtaxat movet. Qua-
propter semper id obtinet, & assequitur, ad quod movet.

Urgebis. Ergo saltem quando gratia excitans Thomistica, accedente
gratia operante, deliberatum actum tametsi inchoatum, & imperfectum
obtinet, ipsi non resistitur.

Resp. distinguo consequens. Ipsi non resistitur, ratione illius actus delibe-
rati imperfecti, quem producit beneficio gratiae operantis, cuius actus respe-
ctu, non est tantum sufficiens, sed efficax, concedo: non resistitur ratione
effectus ulterioris perfecti, seu boni operis quod non producit, & cuius tan-
tum respectu est, & dicitur sufficiens relative, propter aequales, quas con-
fert vires ad debellandam actualem concupiscentiam ab illo bono opere re-
trahentem, nego. Itaque gratia excitans Thomistica non semper habet, nec
semper privatur effectu deliberato. Quando contingit eam effectu illo deli-
berato privari, haret in ordine gratiae pura sufficientis: cum vero actum
illum deliberatum obtinet; & sufficiens, & efficax vocatur sub vario respe-
ctu: efficax quidem, quantum ad effectum illum deliberatum, quem ex gra-
tia operante producit: sufficiens vero, respectu effectus ulterioris, ad quem
producendum disponit ac sufficientes relative vires subministrat. Auxilium p. 607.
actuale, quo actus attritionis elicetur, ait Alvarez citatus 1. 8. disp. 71. n. 13.
est quidem sufficiens comparatione conversionis perfectae, & simul efficax compa-
ratione attritionis vel aliorum actuum imperfectorum qui regulariter antecedunt
contritionem perfectam: quia idem auxilium quod est sufficiens comparatione unius
effectus, simul est efficax comparatione alterius.

Non pigebit hic monere, Dionysium Raymundum 1. parte c. 4. art. 4.
(pag. 122.) aliosque Jansenii patronos, quamquam jacentent se omnes ex-
cussisse Thomistarum Libros, unum tamen fere laudare Navarretam, quasi
docuerit gratiam excitantem Thomisticam semper producere aliquem effec-
tum deliberatum: cum tamen verba, quae ex ipso laudent, innuant
tantum, gratiam excitantem connotare, ac tendere per se ad effectum
liberum, qui sensus toto caelo differt ab eo, quem ipsi affingunt.

Urgebis denique. Gratia sufficiens Thomistica datur tantum ad pos-
se; atqui semper dat posse: ergo semper obtinet id ad quod datur.

Resp. nego ant. Datur enim non tantum ad posse, sed etiam ad age-
re; tametsi actum secundum se sola non obtineat. Quod autem semper
posse conferat, ipsius natura est; seu, ut ajunt, effectus formalis, de
quo non agitur, ubi de resistentia gratiae.

TERTIA PROPOSITIO.

*Ad merendum, & demerendum in statu naturae lapsæ, non requiritur
in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*

* Tertia Propositio ex Jansenio legitime extracta.

Ut doctrina Jansenii circa libertatem hac tertia Propositione conten-
ta intelligatur.

Observa 1. Libertatem spectari posse, vel generice prout communis est Deo, Angelis, & homini tum lapsi, tum innocentii; vel specificie quoad statum ejus peculiarem, seu quatenus propria est hominis lapsi, & viatoris. De libertate hoc posteriori sensu hic agitur.

Observa 2. triplicem vulgo libertatem distingui: nempe a servitute seu subjectione, a coactione, & a necessitate. Liberum a servitute dicitur, quod liberatur vel a peccato, vel ab ejus miseriis, vel ab alia quacumque servitute: de hac specie libertatis, nulla hic est quæstio. Liberum a coactione, idem est ac spontaneum, & opponitur coacto seu violento: est autem violentum, quod fit ab extrinseco, passo non conferente vim, imo reluctante quantum potest. Liberum denique a necessitate dicitur, quod est indifferens: quæ indifferentia veleat ad duo contradictoria, seu ad agendum, & non agendum, & vocatur indifferentia contradictionis, & exercitii; vel est ad eligendum unum de duobus contrariis, bonum vel malum, virtutem aut vitium, & dicitur indifferentia contrarietatis seu specificationis. Posset admitti tertia quædam species indifferentiæ, cum nempe voluntas ad agendum sive bene sive male determinatur quidem, sed tamen potest hoc vel illud bonum, hoc vel illud malum amplecti, aut non amplecti.

Observa 3. Triplicem hic potissimum distingui debere necessitatem: unam coactionis, alteram naturalem, tertiam simplicem. Necessitas coactionis seu violentiæ, fit a principio extrinseco, nihil conferente, imo resistente passo. Talem necessitatem nusquam voluntati inferri posse, communis est omnium sententia: quia omnis actio voluntatis, eo ipso voluntaria est, adeoque a principio interno, & consequenter non coacta. Necessitas naturalis inclinationis ea dicitur, quæ determinat essentialiter ad unum ex principio intrinseco naturali, qualis est necessitas in omni ente intellectuali, amandi beatitudinem in genere; & in Patre divino, generandi Filium suum; in Patre & Filio, producendi Spiritum Sanctum. Placet aliquibus Theologis, qui juxta observationem Gabrielis in 1. dist. 10. q. 2. in principio: *loquuntur modo minus conformi communibus terminorum acceptioribus*, talem productionem, tametsi necessariam, appellare liberam: quæ quæstio parvi certe momenti est, totaque de nomine, ut ibidem ait Gabriel; nec ad rem nostram præsentem pertinet; cum ipsi Theologi, de quibus mox, afferant, & inter illos præcipue Scotus in 2. dist. 6. q. 2. §. Ad videndam solutionem istarum &c. *Appetitum quantumvis præeunte cognitione intellectiva, non fore liberum libertate sufficiente ad meritum, si deesset illi potestas ad oppositum; seu, ut loquitur, si non esset in potestate ejus aliud nec aliter appetere.* Denique necessitas simplex, est invincibilis & insuperabilis ad unum determinatione. Dicitur etiam voluntaria, quia voluntas tali determinationi cum iudicio rationis sponte obsequitur, tametsi necessario; neque fieri possit ut ei non obsequatur ac consentiat. Quæ necessitas rursus vel est perpetua, & immutabilis, qualis est in beatis ut Deum aiment; vel mutabilis ac transiens, qualis est ea, de qua in tertia Propositione Jansenii agitur.

His præmissis, non ignorabat Jansenius, (Lib. 6. de Gr. c. 6.) doctrinam suam de non requisita in hocce statu ad merendum vel demerendum libertate a necessitate, miram ac stupendam novitatem sua cunctis videndam fore, ac ea offendendos esse viros Catholicos: Ut ergo fucum faceret paratque sibi effugium, existimavit prælibanda esse quædam de libertate genesice


Vice sumpta, ac in praefatione Librorum 6. & 7. de Gratia Christi, in quibus de libero arbitrio agere meditabatur, afferendum, se de illa libertate generice sumpta maxime sollicitum: nimis ut si contingeret reprehendi qua de libertate hujus status dicturus erat, statim apponaret, se de libertate generatim sumpta loquutum fuisse. Id ipsum revera data, & non data occasione identidem obtrudit. Verum fraus, & fallacia Jansenii nullos fecerit. Nemo non vidit illum de libertate hujus status, non de alia, quæ ad ipsius systema non pertinebat, unice cogitare.

I. Ergo afferit, inter essentiam libertatis generice sumptæ & statum ipsius, T. 3. p. distinguendum esse. *Inter actum liberum, & statum libertatis permagna differentia est*, inquit Lib. 6. de Grat. Christi capite 34. *Aliter Deus, aliter Angeli, viatores, & primus homo, aliter beati, aliter damnati, aliter homines reparandi, aliter Christus Dominus in via constitutus liber fuit. Nec ullo pacto, quæ in uno statu libertatis adsunt aut etiam requirata sunt, ad alterum extendenda sunt.* Et paullo post: *Liberum arbitrium in omnibus sive beatis, sive damnatis, sive viatoribus, sive Deo, sive creatura, uniformem libertatis rationem obtinet, ethi disiformem statum.* ^{Ibid. col. 390. col. 1. E. C.} *In lib. 2. A.* Essentialis autem libertatis generice sumptæ ratio, juxta Jansenium, consistit in voluntario deliberato, tametsi necessario, ut mox patebit; quamquam pro vario statu agentis liberi varia, disparate sit ea necessitas. Quod explicat ibidem Jansenius his verbis: *Liberum arbitrium in Deo per naturæ constantiam, in beatis per gratiæ beneficium ad bonum semper determinatum est; in damnatis ad malum Rursum in Angelis, & primo homine viatore indifferentissimum fuit ad bonum, & malum; in hominibus lapsis viatoribus itidem indifferentes, sed longe minus, utpote qui vident aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ In Christo Domino viatore, nullo pacto ad malum electi potuerunt. Ita fit, concludit Jansenius, ut liberum arbitrium pro naturæ cujusque, vel ordinis divinitus instituti, vel meritorum diversitate, diversum statum sortiatur Citra tamen ullam ipsius liberi, seu formalis rationis libertatis varietatem.* ^{Ibid.}

Igitur, ex Jansenio, uniformis est in omni agente libero formalis, ac essentialis ratio libertatis; quod nempe sit voluntarium deliberatum, tametsi necessarium: quæ necessitas varia est pro vario statu agentis liberi. Immutabilis, & perpetua ad bonum in Deo, in Christo, in beatis. Immutabilis, & perpetua ad malum in damnatis. In hominibus autem viatoribus, nec perpetua, nec immutabilis est, sed flexibilis ab bonum, & malum. *Hominum viatorum*, inquit eodem cap. *non solum coactionis expertem esse libertatem, sed etiam necessitatis immutabilis voluntariæ, hoc est, eam ad utrumque indifferentem esse* (*id est flexibilem*) fatemur perlubenter. ^{Ibid. col. 1. C.}

Prædicant Jansenii defensores, Paulus Irenæus, Dionysius Raymundus, &c. Jansenium verbis mox citatis tertiae Propositioni adversari. Sed observa, quod in hoc ultimo textu Jansenius dicit quidem non adesse in homine viatore necessitatem *immutabilem*; seu fatetur voluntatem ipsius remanere semper flexibilem: imo non afferit ad libertatem hominis viatoris requiri talem exclusionem a necessitate immutabili, quod probat verbis sequentibus hunc textum, ubi aperte profitetur hanc immunitatem a necessitate adesse, vel absesse sine dispendio libertatis: nusquam vero affirmat, requiri ad libertatem hujus status immunitatem a necessitate simplici, mutabili, ac transitoria.

II. Igitur Jansenius afferit identidem libertatem in genere in uno voluntario deliberato consistere, nec essentialiter aliud postulare. *Voluntas seu vol-*



Ib. p. 263. tio, inquit eodem Libro 6. de Gratia Christi cap. 5. & libera voluntas idem
col. 1. D. sunt, sicut velle, & libere; & impossibile sit, ut velle non sit liberum. Quia,
Ib. p. 261. col. 2. E. inquit paullo ante, nihil magis facimus, quando volumus; quam ipsam volitionem;
col. 2. & ideo nihil magis in potestate nostra, quam ipsa voluntas, id est, volitio consti-
tuta est. Est enim ipsa radix totius libertatis, quæ in omnibus omnino actionibus
sive externis, sive internis appetit. Itaque libera est voluntas, hoc est, volitio
ratione sui, quia est essentialiter libera; sicut implicat ut volendo non velimus,
aut non faciamus, quod volumus; hoc est, ut voluntas non sit voluntas.

Voluntarium porro illud, in quo Jansenius libertatis rationem collocat,
 debere esse deliberatum, hoc est, ex advertentia, & cum judicio rationis,
 & approbatione seu complacentia voluntatis, docet idem Jansenius cita-
 to capite 6. Lib. 6. de Gratia Christi, ubi motus indeliberatos, quam-
P. 264. col. 2. C. quam voluntarios, liberos esse negat; quia in nobis rationis, ac delibe-
 rationis usum anteverunt. Et cap. 35. ejusdem Libri. Voluntas, inquit,
boc est volitio, de qua sola tractamus, se ipsa libera est, & contradic-
tionem implicat non esse liberam; quia fit cum volumus, non fit cum nolumus.
 Et cap. 36. Constat hujusmodi improvisos voluntatis motus esse voluntarios,
 & sine violentia ex voluntate fluere, nec tamen etiam illo sensu esse libe-
P. 301. ros. Deest illis quippe id quod præcipuum est, quia non sunt in potestate ho-
col. 2. C
P. 304. minis, non sumus eorum domini, sunt sine plena rationis advertentia, profluunt
col. 2. A
invita repugnanteque voluntate, quæ singula essentialiter repugnant libertati.

Cum plurima Jansenii testimonia nostri protulissent, ut inde demonstra-
 rent eum tertiam Propositionem revera docuisse, Paulus Irenæus Dis-
 quisitione 6. art. 3. Dionysius Raymundus 1. parte cap. 4. & alii pa-
A p. 139. usque ad pag. 194. sim Jansenii apologistæ reposuerunt, nequaquam posse colligi tertiam
 Propositionem ex iis locis; quia in illis Jansenius non de libertate hu-
 jus status ad merendum necessaria, de qua tertia dumtaxat Propositio,
 sed de libertate generice sumpta locutus eset.

Verum mala profecto fide, ut fucum imperitis facerent, dissimularunt illi,
 Jansenium de libertate utroque modo considerata, & quidem potissimum de
 libertate hujus status disputasse. Quis enim vero facile crediderit, cum unice
 de libertate generatim & abstracte sumpta, quæ parum vel nihil ad institutum
 suum conducebat, egisse; non vero de libertate ad merendum vel demeren-
 dum in hocce statu necessaria, de qua potissimum, seu potius unice erat qua-
 stio, ex qua laus aut vituperium actionum nostrarum pendet? Egit profecto
 de hac ipsa libertate, quam Manichæi negaverant. Pelagiani vero ac Semi-
 pelagiani plus æquo extulerant, quam eximie S. Augustinus adversus primos
 asseruit, & adversus alios intra debitos fines compescuit; quam denique Jan-
 senius ipse, cum efficacigratiæ motione stare, ac conciliari, ostendere conatus
 est. Quis porro ita stupidus, qui non intelligat ista pertinere ad libertatem
 propriam hujus status, non vero tantum ad libertatem universim, ac generi-
 ce sumptam? Sed juvat adductis ipsissimis Jansenii verbis id demonstrare.

III. Jansenius docet, libertatem hujus status ad merendum vel demer-
 dum necessariam, unam excludere dumtaxat coactionem ac violen-
 tiæ, non vero simplicem necessitatem mutabilem, ac transeuntem.

I. Manifeste sequitur hæc doctrina ex prima ejusdem Jansenii Propositione.
 Cum enim doceat justis aliquibus præcepta esse impossibilia, & tamen eos
 peccando demereri; cohærenter affirmat, ad demerendum non requiri liberta-
 tem

tem a necessitate: eadem porro, quantum ad libertatem, Jansenio ratio est T. 2. p. meriti ac demeriti. Peccati & operis boni, ait Lib. 4. de statu natura lapsi c. 24. 270. col. quantum ad vetitum & praeceptum, debortationem & exhortationem vituperium 1. A. & laudem, ipsamque adeo arbitrii libertatem attinet, par est ratio. Ergo &c. 271. col. 2. D.

II. Eodem capite de libertate praesentis status loqui Jansenium patet manifeste ex his verbis: Sic ergo & hic, (hoc est in praesenti vita) etiam si ille perversus amor sui, in quem ex Dei dilectione rationalis creatura lapsa est, & in quo ex justissima Dei damnatione perseverat, & ex quo omnis actus vel omissione damnata voluntatis fluit, firmissime adhaereat voluntati, imo etiam si non solum specificatione, ut nunc est, sed exercitio, quemadmodum amor beatificus esset necessarius, non tamen ex Augustini mente desineret esse liber. Vides ex Jansenio, quod etsi voluntas hac in vita, tam firmiter malo adhaeret, quam beati in celis bono adhaerent, adhuc tamen libera foret. Notanda hic obiter fraus Dionysii Raymundi 1. parte, cap. 4. qui citatum Jansenii textum Gallice reddens, suppressit particulam istam hic, quia indicat Jansenius, se de libertate hominis lapsi loqui. Parem fraudem videre est in libro, cui titulus: *Refutation de la fausse Relation du P. Ferrier*, ubi hunc textum ex Irenensi referens latine, particulam hanc, hic, pariter suppressit.

Libro 6. de Gratia Christi cap. 24. postquam retulit istam S. Thomae sententiam in 2. dist. 25. art. 4. ad quartum. Nunquam liberum arbitrium ad peccandum compelli seu cogi, quia jam sibi in peccatum non imputaretur. Quasi T. 3. p. indicant, addit Jansenius, hoc sufficere, ut in peccatum imputetur, quia non 294. col. cogitur. An porro libertate generice sumpta haec dixit Jansenius, sicut 1. E. contendit Paulus Irenaeus Disp. 6. art. 4. argumento 3. Nonne aperte loquitur de libertate hujus status necessaria ad merendum vel demerendum? Ergo docet Jansenius, libertatem illam excludere dumtaxat coactionem, non simplicem necessitatem.

Ibidem cap. 34. Neque enim, inquit, quisquam, spero, ita despuerit, ut hominem etiam viatorem libertatem amissurum putaret, si liberrima, & liberatrix, ce charitate in humanum liberaretur, & firmaretur arbitrium, ut quod beatis jam in premium retributum est, in hac vita constitutus amplius jam peccare non posset. Audis loqui Jansenium de libertate hominis viatoris, quam contendit integrum fore, & ad merendum sufficientem, etiam si amplius, sicut beati in celo, peccare homo non posset, nec a bono faciendo cessare.

Et Libro 8. cap. 17. Si etiam in hac vita Dei inspiratio tam stabiliter ac delegata estabiliter Deo operante inhæret voluntati, ut eam non posset abjecere, felicissimum, fortissimum, liberrimumque merito diceretur, atque esset arbitrium.

Et cap. 15. dixerat: Quæ manifestissime clamant, gratiam quamcumque efficacem, etiam talem, qualis in celo cum summa delectatione dabitur, nullo modo tollere libertatem, quia non tollit voluntatem, hoc ipso videlicet, quo eam non cogit, aut invitam rapit; si enim diligit Deum, ut velit se diligere, & ideo in actu volendi se ipsum movet, & ipsi dominatur, pro tanto dicitur liberum. Cæcus sit oportet, qui non videat Jansenium hic loqui de libertate, sicut & de gratia efficaci praesentis status.

Cap. 5. dixerat; Augustinum contra Pelagianorum querelas liberum defensum arbitrium: nec tamen unquam vel semel, nec ex professo eum tradidisse, nec per transennam insinuasse, salvam eatenus manere sub gratia libertatem ejus

Pag. 266. (hominis) quatenus actum volendi sic exerat, ut eum possit suspendendo continere.
col. 2. E. Denique L. 6. de Gr. Chr. c. 6. Ex quibus, inquit, consentaneum est, omnem

omnino voluntatem quantumcumque ad unum determinatam, nulla tali necessitate,
qua dicitur necesse esse ut velit, desideret esse liberam, quia non definit esse voluntas,
qua non esset, si nolemus... Et postea: *Sicut libertas esse non potest sine vo-*

Pag. 266. *luntate, ita nec voluntas ulla sine arbitrii libertate. Et infra... Nescio quid ma-*
col. 1. A. *nifestius urgentiusque proferri posset ad demonstrandam volitionis cuiusque liberta-*

Col. 2. E. *tem, etiam illius, quam nos habere necesse est. Ergo Jansenius non tantum de*
libertate in genere, sed de libertate praesentis status ad merendum vel de-
merendum necessaria, locutus est.

Ib. p. 264. Cum igitur eodem Lib. 6. c. 6. duplicem necessitatem distinguit, unam
col. 2. *coactionis, & aliam simplicem, seu voluntariam: atque illam, non vero istam re-*
Est ipse pugnare libertati. Cum L. 8. cap. 19. & alibi passim asserit nullam necessitatem
capitis actibus voluntatis liberis esse formidandam, sed solam coactionem aut necessitatem
titulus. Pag. 366. *violentiae; non tantum de libertate in genere, sed de libertate hujus status*
col. 2. D. *naturae lapsae haec ab ipso dicta fuisse manifestum est.*

T. 2. p. Quapropter ne quis ambigua significacione vocis differentiae decipiatur,
provide monet ipse Jansenius quid eo nomine intelligat; nempe unam fere
naturalem flexibilitatem voluntatis ad bonum, & malum. Ita L. 3. de statu
naturae lapsae c. 13. *Ex quibus omnibus, inquit, recte colligas, non alio sensu*
T. 2. p. *nobis post lapsum ante reparationem superesse libertatem arbitrit ad bonum, nisi quia*
210. col. *arbitrium est tantummodo capax boni, hoc est, quia Deo quod amissum est repa-*
2. D. *rante, actualem libertatem arbitrii boni faciendi recipere potest.*

Et L. 8. de Gr. Chr. c. 20. Hoc ergo modo, inquit, sentit Aug. & Prosper,
T. 3. p. sub gratia manere peccandi potestatem, quia prater naturalem flexibilitatem ad ma-
368. col. lum, manet etiam concupiscentia, per cuius tentationes animus mutari potest.
1. E. Paullo ante dixerat: *In nobis non solum ipsa potentia voluntatis, qua de se ad*
Pag. 367. *malum flexibilis est, sed etiam pondus ad peccandum remanet, quod est peccandi*
2. D. *potestas perfectissima.*

Pariter per electionem ac deliberationem non id Jansenius intelligit, quod
haec tenus Catholici: sed per electionem, determinationem tametsi necessaria
ex prævia cognitione factam; & per deliberationem, meram objecti
cognitionem, ac complacentiam. *Lustratis diligenter fundamentis Augustini,*
Pag. 309. ait Jansenius Lib. 7. de Gratia cap. 3. quibus tota doctrina de arbitrii libertate
col. 2. A. *naturae lapsae haec tenus Catholici: sed per electionem, determinationem tametsi necessaria*
nititur, nihil aliud existimamus, quam cognitionem ac delectationem, seu delecta-
bilem objecti complacentiam esse id, quod tantam potestatem in liberum arbitrium
babet, ut eam facit velle vel nolle; seu, ut ea praesente actus volendi sit re ipsa
in ejus potestate, absente non sit.

Tertia Propositio cum delectatione superiori connexa, unde a Jansenio eruitur.

Nullibi apertius elucescit connexion doctrinæ Jansenii cum delectatione su-
periori ac relativa, quam in hac tertia Propositione. Cum enim totus in eo
sit Jansenius, ut probet liberum in voluntario deliberato reponi, nosque id
magis velle, quod magis delectat; consequenter illud magis liberum ipsi est,
col. 1. D. quod voluntatem majori delectatione demulcet ac rapit, tametsi necessario.

Hæc delectatio, ait Jansenius L. 6. de Gr. Chr. c. 35. sicut facit voluntatem velle,
Pag. 378. & fine qua non potest velle, quia non lubet, ita facit eam libere velle.

col. 2. E. Et Lib. 4. c. 7. dixerat: *Delectationem omnis operationis secuturæ mensuram*
esse...;

esse... Tanto enim quidque vehementius volumus, quanto delectamur ardentius; quod autem magis volumus ac diligimus, secundum id operemur necesse est.

L. 7.c. 3. Quapropter lustratis diligenter fundamentis Augustini . . . nihil aliud P. 309. existimamus, quam cognitionem, ac delectationem, seu delectabilem objecti compla- col. 2. A. centiam, esse id quod tantam potestatem in liberum arbitrium habet, ut eam faciat velle vel nolle. Et postea sic pergit: Cum igitur vera causa cur arbitrium ad P. 310. appetendum aliquid moveatur, sit delectatio, qua intrinsecus in ipsa voluntate col. 1. B. mulcetur, hinc est, quod consequenter Aug. tradit, tam in appetendo, quam in omitendo peccato voluntatem delectatione liberam fieri. Cum enim hoc sit liberum Augustino, quod est in potestate, seu quod fit cum volumus, necesse est illud ipsum quod arbitrio volendi nolendique causa fuerit, etiam causam esse libertatis . . . P. 311. Non aliter potest moveri voluntas ad bonum, nisi quia delectatur bono, quia dul- col. 1. B. cescit, quia arridet, & placet: qua delectatione, & complacencia si destituitur, velle nullo pacto potest... Quod si delectatio boni velle facit, delectatio quoque po- Ibid. C. nit actum in potestate voluntatis, hoc enim est in nostra potestate quod fit cum vo- lumus, & hoc ipso etiam liberum facit.

L. 8. c. 9. Pelagianis conquerentibus in sententia Augustini liberum arbitrium per gratiam vel concupiscentiam penitus subverti, non aliter S. Doctorem querimonias illas compescuisse docet Jansenius, nisi quia id ma- xime liberum sit, quod est voluntarium; eoque magis voluntarium, quo fit ex majori titillante ac proritante delectatione. Ad has, inquit, acerbas P. 355. col. 1. A. Pelagianorum inveniendas nihil iterum iterumque respondit Aug. nisi falsum esse quod querebantur: eo quod non in homine alius, sed ipse homo propria voluntate ac de- lectatione peccaret . . . Nec ad hoc ipsum aliud respondet Aug. ut liberum salvet Ibid. C. arbitrium; nisi hominem non cogi, sed libenter cum delectatione, & ideo propria, & libera voluntate peccare . . . Et concludendo, clarius colligens id quod dixerat, Ibid. D. nec aliter liberum arbitrium in peccando querendum esse significans, nisi quia vi delectationis istius, quam dixerat, non alius quispiam cogens hominem, sed ipse homo delinitus propria voluntate peccatum facit. Idem affirmant de necessaria Ibid. col. 2. A. ad opus bonum delectatione: Opus bonum, inquit ibidem, ex caelesti delecta- tione, ideoque propria voluntate operatur. Quae sane ficut capitaliter adversantur indifferentiae ad utrumlibet, ita determinationem potius voluntatis ad unum evi- denter probant. Delectatio quippe non indifferentem facit voluntatem, sed indiffe- rentem ad alteram partem vehementissime trahit.

Ad haec coherenter Jansenius docet, beatos in caelis libere amare Deum, eoque liberius, quo majori voluntatis affectu ex summa, qua perfunduntur, voluptate in eum ferantur. Quod ex professo demonstrat c. 20. L. 6. de Gr. Chr. & Lib. 8.c 25. ait: gratiam quantumcumque efficacem, etiam talem P. 362. qualis in caelo cum summa delectatione dabitur, nullo modo tollere, Bonaventurae col. 1. B. judicio, libertatem, quia non tollit voluntatem, hoc ipso videlicet, quo eam non cogit, aut invitam rapit. Nec inde tamen infert Jansenius, beatos in caelis mereri, quia sunt in termino, ubi nullus est amplius merito locus.

Verus, ac germanus tertiae Propositionis Jansenii sensus.

Quia ex Jansenio relata mox fuere testimonia, tertiae ipsis Propositionis lensum manifeste produnt, ac oculis ipsis veluti subjiciunt.

Sensus est, ajebat Hallerius in Scripto sibi laudato, ut actio, quae me- Diar. p. ritoria, aut demeritoria est, libera censeatur, non requiritur, ut fiat cum indiffe- 285. col. 1. B. rentia, sed sufficit modo voluntarie, & fine coactione fiat.

Hac

Hæc autem sententia, pergit Hallerius, eadem est, ac Calvinus, qui nunquam eo sensu negavit liberum arbitrium, quasi actiones nostræ voluntatis non essent voluntarie, sed eo sensu, quod negaret nobis inesse indifferentia ad utrumlibet.

Itaque non alium in hac tertia Propositione sensum Jansenius expressit quam istum: Omne scilicet deliberatum voluntatis actum tametsi necessarium, eo ipso liberum esse libertate ad merendum, vel demerendum sufficiente, quod fiat per delectationem relative vietricem, seu cælestem seu terrenam; qua voluntas non invita quidem, nec coacta, sed sponte, ac consentiendo necessitate simplici ad unum applicatur, & determinatur.

Hunc magistri sensum indicant discipuli in famoso trium Columnarum Scripto, ubi sic loquuntur: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate infallibilitatis, sed sufficit libertas a coactione cum iudicio rationis, si consideretur præcise essentia libertatis, & meriti, quamquam ex ratione status semper reperiatur indifferentia potentiae, qua voluntas etiam sub gratia proxime necessaria, & ex se efficaci potest non velle; non tamen ut unquam simul cum eadem gratia non velit.*

Observa necessitatem infallibilitatis in vocabulario Janseniano esse necessitatem simplicem, ut supra jam vidimus, & infra pluribus probabimus. Rursus indifferentiam potentiae, vel esse dumtaxat flexilitatem liberi arbitrii ad bonum, & malum, vel meram potentiam absolutam, & abstractam ad actum oppositum; non vero potentiam relativam sensu toties a nobis inculcato. Denique potentiam nusquam cum actu conjunctam, esse absolutam non relativam, qua de re superius.

Sensus alieni, & extranei, qui tertiae Propositioni Jansenii maligne affingi possent, quos tamen legitime sumpta apud Jansenium non habet.

Sensus tertiae Propositionis non est, necessitatem naturalem qualē habemus ad amandam beatitudinem in communi; aut in voluntariam, qualē etiam exprimimus in motibus primo primis, & indeliberatis, vel necessitatem antecedentem, hoc est, quæ antecedit, & rationis advertentiam, & gradum superiorem actualis concupiscentiæ, & cuius effectus (ut ait D. Nicole in suo Systemate pag. 64.) independens est a voluntate, & consensu; vel necessitatem immutabilem, qua voluntas alicui parti est immobiliter, ac perpetuo affixa; vel necessitatem absolutam, quæ ex se semper, & ubique, ac præcisissimi subjecti circumstantiis, ad unum quid invincibiliter, ac insuperabiliter determinat; vel necessitatem exercitii; quæ nempe aliquis actus singularis ita necessario elicetur, ut excludatur omnis opposita, vel minima delectatio, qualis est in beatis ad amandum Deum clare, & intuitive cognitum. Sensus, inquam, non est, ejusmodi necessitatis species non nocere merito hominis lapsi, & in quibusdam hujuscemodi status meritoriorum actionibus reperi: certum etenim est, eas omnes a Jansenio disertis verbis excludi tamquam alienas a libertate, ut nunc est. Verus sensus est, necessitatem simplicem, deliberatam, voluntariam, mutabilem, relativam, specificationis, quæ absolutam quidem, sed non relativam ad præsentes subjecti dispositiones potentiam relinquit, (quas necessitatis species Jansenius admittit,) cohærere cum libertate hujus status.

Neque etiam sensus Propositionis est, libertatem hujus status conciliari cum physica necessitate; si per physicam necessitatem eam intelligas,

quæ aut plane involuntaria est, aut aliunde, quam ex superiori delectatione profluit. Hujusmodi necessitatem ultiro respicunt Janseniani, non eam vero, quæ oritur ex delectatione superiori, & ex prævia cognitione, ac deliberatione voluntatis. An vero talis necessitas dicenda sit physica, & moralis in doctrina Jansenii mox inquiremus.

ADDITION.

(*)

Neque sensus est, liberum arbitrium inanimem veluti bilancem esse, sine ulla prorsus actione. Id quidem Jansenianis tribuit Auctor operis de Theologis disciplinis T. I. lib. 4. c. 13. Janseniani, inquit ille, in hoc turpissime errant, ut liberum arbitrium, quasi mortua esset bilanx, non vis, nec aliqua facultas, positum inter cupiditatis & gratiarum æqualia pondera, opinentur nihil posse operari, ita ut necessario agat quod amplius delectat, uti statera a graviori pondere dejicitur. Verum Clarissimus Vienensis in Gallia Archiepiscopus Jansenismi redivivi p. 184. seq. affingi hic Jansenianis errorem, a quo distant longissime, demonstravit.

(*)

Istos a mente Jansenii alienos 3. Propositionis sensus discipuli ejus ultra rejiciunt.

In Scripto trium Columnarum fatentur nonnisi maligne istum tertiam *Diar. P. 471.* Propositioni affungi posse sensum: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate naturali, qualis etiam reperitur in moribus indeliberatis, sed sufficit mera libertas a coactione.*

In sollempni Scripto: *In nomine Domini, duplum distinguunt necessitatem: unam conditionatam, alteram absolutam.* *Pag. 20.*

Conditionatam appellant, eam que ad bonum determinat per inconstantem, & amissibilem gratiam, ut infidelibus sanctis: absolutam vero eam, que determinat ad bonum per immortalem, & inamissibilem gratiam, ut in Angelis, & beatis. Conditionata dicitur altera, quod gratia obstante, vel adstante, bonum, vel malum possimus simpliciter velle; posito tamen, quod adsit gratia, jam non possimus nisi bonum velle. Absoluta dicitur altera, quod fixa in nobis, & radicata gratia, jam absolute nonnisi bonum possimus velle. Hac exposita distinctione, contendunt in natura lapsa per accidens tantum necessitatem non absolutam, sed conditionatam meritum parere. Inde fit, ajunt, ob præsentem statum Sanctorum merita partim contingentia, partim esse necessaria. Contingentia quidem, quod fiant *Pag. 21.* ex gratia qua Sancti possint excidere; necessaria vero, quod posita gratia ex ea deriventur non mobiliter, sed necessario, & liberrime simul; cum non ex premente, sed ex liberante fluant necessitate... Et postea: *Itaque per accidens fit in natura Pag. 22. lapsa, ut ad merendum, vel demerendum sola libertas a coactione non sufficiat, sed requiratur & libertas ab absoluta necessitate.* Perspicue his verbis patet, non aliam a Jansenianis necessitatem a libertate excludi, quam cogentem, vel absolutam, perpetuam, & immutabilem; non vero simplicem, fluxam, & transiuentem, quæ a superiori delectatione ad unum invincibiliter, & ineluctabiliter determinante oritur.

Sambovius in Tractatu de Gratia jam citato. *Propositio, inquit, intellectæ de*

Paulus Irene. de libertate electionis, quæ est libertas per quam meremur in via, & eadem in Disq. 4. p. 213. col. 1. tellecta de necessitate ab interiori inclinatione procedente, sive intrinseca, quæ sit absoluta, est falsa. Nam libertati electionis essentialis est indifferentia ex parte potentiae... talis autem indifferentia opponitur necessitatibus interiori absolute, qualis est necessitas, qua Deus amat a beatis. Intelligitis rursus non aliam huic Theologo videri necessitatem libertati hujus status contrariam, quam quæ absoluta est, ac immutabilis, non relativa, simplex, ac transiens.

Idem docet Dionysius Raymundus 1. par. c. 4. art. 9. ubi cum ait, remanere in Sanctis sub motione gratiæ victoris, etiam peccandi potentiam; absolu^{L. 8. c. 20}tam intelligit sensu ipso Jansenii, quem laudat: nimur propter concupiscentiam, quæ hac in vita semper remanet, & ad peccandum inclinat, non vero relativam; quia sub motione delectationis gratiæ victoris, voluntas non est ad actum oppositum expedita. Ex his perspicue intelligitur, T. 3. pag. 175. col. 1. B. inquit Jansenius L. 4. de Gr. Chr. c. 6. tantopere necessariam esse istam delectationis divinæ gratiam, quando cum terrenarum rerum temptationibus, ac delectationibus dimicamus, ut nisi major fuerit, quam terrena, qua noster affectus detinetur, fieri possit, quin propria voluntatis infirmitate vincamur. Major enim delectatio nunquam sane delectatione minore superabitur. Paulus Irenæus Disq. 6. p. 254. col. 2. Hoc tantum docuit Jansenius, inquit, 1. libertati in genere solam repugnare coactionem, quatenus bac etiam comprehenditur necessitas naturalis, &c.

Quæres 1. an Janseniani delectationis necessitantis voce utantur.

Pag. 216. Respondet Paulus Irenæus Disq. 4. art. 7. Augustinianos necessitatis nomine raro admodum, nec fere unquam sine explicatione subjecta uti. Necessitantis vero gratiæ voce, quia malo animo facta, & composita est, nusquam illos usos reperies.

Ludovicus de S. Amour Diarii par. 6. c. 31. ait, nusquam Augustinianis in Diari. p. 457. col. 2. animo fuisse ridiculum illud, ac insulsum gratiæ necessitantis, quo indifferentia voluntatis penitus tollitur, phantasma defendere.

Pag. 68. D. Nicole in suo de Gratia Systemate, dicit omnes prorsus homines solo naturæ ducti in eam conspirasse sententiam, nemini ad penam imputari posse, quod necessitate physica, & antecedente commisit. Per necessitatem physicam eam ille intelligit, quæ antevertit rationis, & deliberationis usum.

Abbas de Bourzeis in 4. Colloquio pariter asserit Augustinianos facile consentire reticendum esse nomen necessitatis, seu physicae, seu moralis.

Quia necessitatis nomen invidiosum est, ultro Janseniani, ne Catholicos offendant, illud supprimi consentiunt, modo tamens sensum nomine expressum retineant. Certo sensu, ait mox citatus Abbas, dicimus nos non posse non consentire gratiæ, seu gratiæ necessario consentire... de bujusmodi lo^{Pag. 211.}quendi formulis parum solliciti sumus, iis non adhæremus, raro aut nusquam iis uitimur. Nobis sufficit, pergit ille, quod hæc sola nobis veritas concedatur, quoties nimur gratiæ Dei consentimus, id oriri semper ex eo, quod rectus amor, quem Deus inspirat, viribus superior est per verso amori, & quia viribus superior est, idcirco eum certissime superare.

En radix, ac fundamentum veræ, propriæ, ac realis necessitatis, cui voluntas resistere relative non potest. Modo fundamentum istud in tuto sit, parum de nomine solliciti videntur Janseniani, rem nomine significatam fovent, ac retinent, tametsi repudiato ipso nomine.

Quæres 2. an in rei veritate necessitas, quam delectatio superior imponit,

ponit, juxta doctrinam Jansenii, dici merito possit antecedens, absolta, physica, vel moralis.

Resp. item esse de nomine, quæ remota omni ambiguitate facile solvitur.

I. Si antecedens necessitas ea dicatur, quæ vel rationis, ac deliberationis usum, vel superiorem delectationis gradum antevertit, vel cuius effectus est independens a voluntate, & consensu, procul dubio necessitas agendi sub motione delectationis superioris, antecedens dici non debet in mente Jansenii; quia actio ex tali necessitate elicita, voluntaria est, ac deliberata, ipsumque supponit actualem delectationis superiorem gradum. Alio tamen sensu antecedens merito dici potest, quia oritur ex delectatione prævia indeliberata, quæ, ut loquitur Jansenius, non est in potestate voluntatis, ut eam nempe habeat, vel rejiciat; & quæ actum voluntatis deliberatum necessario producit, cum necesse sit, ex Jansenio, voluntatem secundum id operari, quod ea magis delectat.

Neque porro eadem est ratio præmotionis physicæ Thomistarum: hæc enim unum actum secundum respicit, non vero primum; adeoque ea vel præsente, vel absente potentia est relative expedita ad oppositum. Contra delectatio superior Jansenii, potentiam ipsam simul, & actum secundum confert; unde sine illa non tantum actio non sit, sed nec fieri potest. Non aliter, ait Jansenius L. 7. de Gr. Chr. cap. 3. potest moveri voluntas ad bonum, nisi quia delectatur bona, quia dulcescit, quia arridet, & placet: quia delectatione, & complacentia si destituitur, velle nullo pacto potest. Et L. 2. c. 4. ib. p. 41. Hoc ipso quo datur, (adjutorium quo) simul usus ejus, & influxus potestatis col. 1. A. datur. Est enim hoc ipsum, quod suapte efficacia facit influere facultatem . . . Ib. col. 2. C. Dat enim simul & posse, & operari.

II. Inde liquet quo sensu eadem necessitas agendi sub motione superioris delectationis, dici possit consequens, vel non consequens. Janseniani consequentem appellant, ac similem ei, quam Thomistæ, secundum illos, admittunt in sensu composito suo physicæ promotionis; eo nempe, quo supponat præviam mentis cognitionem, ac deliberationem voluntatis. Verum speciosiss illis verbis imponunt. Ista quippe voluntatis deliberatio apud ipsos non est, sicut Catholici vulgo intelligunt, vis electiva, seu activa illa indifferencia, qua voluntas potest relative ad præsentes circumstantias agere, vel non agere; sed est mera voluntatis, præunte judicio rationis, in objecto suaviter alliciente complacentia, & quidem necessaria, a qua seipsum cohibere non potest, cum necesse sit, ut sequatur id quod eam magis delectat. Ergo cum necessitas illa agendi sub motione delectationis superioris, non oriatur ex indifferentia voluntatis seipsum pro arbitrio determinantis, imo potius voluntatem ad unum invincibiliter, & insuperabiliter determinet; prorsus abusive, & ad fraudem consequens appellatur. Namque recepto, & communis Scholarum usu, necessitas consequens ea est, quæ sequitur ex ipsa libera voluntatis determinatione, seu ex usu, & exercitio libertatis; qualis est necessitas loquendi in eo, qui cum liber, ac indifferens foret, ut loqueretur, seipsum tamen ad loquendum libere determinavit.

Non minus abutitur Jansenius cum suis isto Thomisticae Scholæ loquendi modo, in sensu composito. In sententia quippe Thomistarum, sensus compositus præmotionis dicit tantum, non posse quidem componi actionem cum non actione, aut ejus contraria; at semper remanet relative expedita,

Jans. L.
8. de Gr.
Ch. c. 2. o.

p. 367. 2.

col. A.

exponit
sensum
compositum;

&
divi-
sum.

dita, & libera facultas ad oppositum. In mente autem Jansenianorum, necessitas illa in sensu composito delectationis superioris, importat secum non solum actum ad quem determinat, & exclusionem actus contrarii, sed & negationem potentiae relative ad oppositum expeditam.

III. Eadem illa necessitas aliquo sensu dici potest absoluta, & non absoluta. Non est absoluta, Jansenii sensu, id est talis, quae competit delectationi naturae in se absolute spectata, sine ullo ad praesentes subjecti circumstantias respectu: quia secundum Jansenium, delectatio in se absolute neque victrix est, neque victa; sed aut victrix, aut victa dicitur relative per comparationem ad aliam oppositam maiorem, vel minorem. Absoluta nihilominus dici utcumque potest, id est propria, vera, & realis, cui voluntas relative non potest non obtemperare: quamquam in rei veritate, satis accurata, ac nitida non est, nec rei praesenti accommodata haec loquendi ratio. Necessitas enim, quae oritur ex delectatione relative victrice, non absoluta sed relativa dicenda est: praesertim cum Janseniani, ut vidimus, potentiam absolutam ad oppositum ultra se admittere profiteantur, ac in ea admittenda se Catholicos habendos esse confidant.

IV. Si necessitas physica ea tibi sit, quae est involuntaria, aut a voluntate independens, judiciumque rationis antevertit, fatemur ultro a Jansenio, ejusque discipulis rejectam illam fuisse. Si vero ea intelligatur, ut intelligi profecto debet, quae oritur ex delectatione superiori voluntatem ita phisice movente, & applicante ad unum, ut expedita relative non sit ad oppositum, physica est in doctrina Jansenii, non tantum moralis. Sic ille loquitur L. 8. de Gr. Chr. c. 3. *Non aliter, inquit, hoc facit (delectatio gratiae) quam voluntatem inclinando, applicando, determinando, & quia prævenit ipsam voluntatis prædeterminationem, etiam prædeterminando, non solum moraliter, sed vera, reali, & physica determinatione.* Moralis enim prædetermination illa dicitur, que tantum se habet ex parte objecti, quemadmodum facit ille, qui consulit, suadet, præcipit, rogat, blanditur, sive extrinsecus, sive intrinsecus; sed haec, se habet in ipsa potentia voluntatis, quam propriæ suavitatis magnitudine ad volendum applicat, & applicando determinat, ut pote caussans in ea hoc ipsum, ut se determinet, ideoque prædeterminat.

Hæc Jansenius aperte, ac candide: ex quibus sequitur, necessitatem agendi sub motione physica delectationis superioris, esse pariter physicam.

Venam divisi nihilominus inter se fuere delectationis superioris relative patroni, circa necessitatem illam physicam, vel moralē appellandam; qui Jansenii principiis tenacius, ac pressius adhæsere, iij moralē esse negarunt.

Leonardus Van Roy Augustinianus Facultatis Theologicae Lovaniensis Licentiatus, ac Theologiae Professor, in Theologia moralis Antwerpia typis edita an. 1702. I. par. Tract. de Actibus humanis, quest. ultima c. 4. quod est de voluntario libero, haec sibi objicit: *S. Pater, (Augustinus) peccata necessitatis adstruens, non de necessitate proprie dicta, sed de morali, juxta quam difficile est a peccato abstinere, loquitur.* Cui objectioni respondet, negando assumptum. *Quia, inquit, gratiam Dei ad bene agendum, & peccata evitanda, voluntati sic necessariam asserit, quemadmodum lux ad videndum requiritur: porro sine luce non dumtaxat difficile admodum, sed quodam sensu impossibile est cernere; ergo luce subtraeta gratiae, voluntas bene agere, & offendam declinare nequaquam potest.* Deinde si de morali tantum necessitate egisset, definitionem suam a Juliano sibi objectam, etiam peccato, quod est pena peccati, adaptare facile potuisti-

potuisset; quod tamen S. Pater ne vel conatur; solummodo respondens, peccatum esse voluntatem retinendi, vel concupiscenti, quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere.

Auctor recentior Institutionum Theologicarum Tom. 5. Tract. de Gratia, docet pariter necessitatem illam non esse moralem, tametsi eam non P. 541.
appellet physicam. Et vero exempla, quibus Janseniani passim exprimunt & 542:
necessitatem delectationis superioris, & ipsius modum agendi, ostendunt
superiorem delectationem vinci non posse per inferiorem oppositam, ne
quidem physicę. Exempla, inquam, hæc ex physicis petita, non tantum
moralem, sed physicam arguunt impotentiam; ac consequenter physicam
agendi necessitatem sub motione majoris delectationis.

Alii vero inter apertos Jansenii defensores, hac sibi constituta necessi-
tatis physicae notione, quod nempe involuntaria sit, omnemque rationis,
ac deliberationis usum anteveritat, invidiosum illud necessitatis physicæ
nomen, quod destructa libertatis ideam ingenerat, omnino rejecerunt,
substituta molliori, ac mitiori necessitatis moralis appellatione. Ita Ar-
naldus 2. par. novæ defensionis Novi Testamenti Montensis adversus D.
Malet. L. 9. c. 6. ubi loquens de obduratis, omni gratia ne convertan-
tur destitutis, dicit eos habere *impotentiam moralem* ad conversionem.

D. Nicole in Systemate gratiæ, repudiata, ac negata prorsus physica
impotentia, quæ oritur vel ex defectu potentiae physicæ, seu ex absentia p. 300.
alicujus per se, & naturaliter, ut ita dicam, requisiti, vel ex impedimentis
physicis, seu, ut ait, *involuntariis* potentiae injectis, quamlibet impotentiam
cernere est ad ambulandum in eo, qui aut fractos habet pedes, aut vinculis
ligatos: aliam agnoscit, quam appellat voluntariam, quia dependenter a
voluntate effectum consequitur. Talem ait esse impotentiam, quæ ex ar-
dentissimo quantumlibet rei alicujus effectu oritur, v. g. amore erga con-
servationem vitæ, divitiarum, &c. quo fit, ut sponte vita, & divitiis se
privare non possit, qui utrumque vehementissime diligit; inde in illo homi-
ne necessitas voluntaria conservandi vitam, & divitias. Talem contendit ille
esse necessitatem bene agendi sub motione gratiæ vietricis. Vide & p. 64. ubi
negat eam antecedentē dici debere, quia licet gratiæ motio sit prævia, & ante-
cedens, tamen non habet effectus independentes a voluntate, ejusque consensu.

Dionysius Raymundus Paralleli c. 5. ait; *in doctrina Jansenii ardentiorem
cupiditatem non nisi moraliter determinare voluntatem ad malum.* Ad marginem
citat Jansenium L. 4. de statu naturæ lapsæ c. 21.

Auctor Libelli cui titulus: *Defense des tous les Theologiens, & en particu- p. 111.
lier des disciples de Saint Augustin, contre l'Ordonnance de M. l'Eveque de Char-
tres (du 3. Aout 1603.) art. 15. p. 326. & apud auctorem Historiæ Casus
conscientiæ Tom. 3. pag. 323. aut duplēcēm impotentiam accurate distin-
guendam esse: unam moralem, alteram physicam, & absolutam. Prior,
inquit, excludit dumtaxat potentiam, quæ in actum reducitur; posterior
vero excludit omnem potentiam, etiam eam, quæ nunquam in actum
erumpit, quamdiu voluntas ad unum determinata remanet. Priori im-
potentia morali impossibile est gravem Magistratum histrionem agere:
at impossibile ipsi non est physica impotentia, cum habeat realem, a-
ctivam, & physicam ad hoc facultatem, qua tamen nusquam utetur;
quamdiu sui compos erit. Non aliam autem ibidem auctor ille, Janse-
nio*

nio si quis alius addic^tissimus, impotentiam ad oppositum sub motione gratiæ vicitris agnoscit, quam moralem. Idem rursus probare intendit art. 17. ubi varias vocis necessitatis significaciones exponit.

Auctor Libelli cui titulus: *Responce aux remarques sur les declarations de M. Covet.* Tomo 3. Historia Casus conscientiae pag. 599. eamdem moralem necessitatem ad bonum, præsente gratia efficaci; & ad malum, illa absente, contendit admittendam esse; eo ipso, quo admittitur gratiæ per se efficacis ad singulos pietatis actus necessitas.

Uno verbo, quotquot ex Jansenianis volunt, aut a voce necessitatis abstinentium esse, aut physicam aperte rejiciendam, ii sub alio mitiori vocabulo necessitatis moralis, eumdem plane sensum ingerunt, talem scilicet inducentes necessitatem agendi sub motione delectationis superiori, cui voluntas relative, & in his circumstantiis non possit non consentire. Dicatur hæc necessitas moralis, non vero physica, perinde est; atque mutato nomine eadem difficultas recurrat. Ne ipse quidem Jansenius necessitatem hujusmodi recusaret moralē appellare, quæ nihil plane suo noceret systemati. An vero moralis idcirco dicenda, quia vel delectando operatur, vel ad mores pertinet? Esto, ita sit: at nusquam id negaverit Jansenius, qui vim illam gratiæ in delectatione superiori reponit, eamque ad mores melius informandos pertinere pròcul dubio non diffitetur. Ergo ad declinandam erroris Janseniani suspicionem, non sufficit, quod moralis dumtaxat impotentia, vel necessitas admitti dicatur, ultra subscriptent Janseniani; sed necesse est eam necessitatem rejicare, quæ oritur ex motione superioris delectationis, qua voluntas ita rapitur, ac ligatur, ut per oppositam, quæ in Jansenianorum sententia minor est, delectationem expedita, & libera non sit, ut poscit, vel resistere, vel actum contrarium elicere.

Abusive prorsus, nostro quidem judicio, talis impotentia, vel necessitas moralis nuncupatur. Ex communi quippe, ac recepto usu necessitas moralis omnino impropria est, neque veram ullo modo impotentiam, sed summam dumtaxat agendi, vel non agendi difficultatem significatione sua importat; ipsique voluntas non tantum resistere potest, sed aliquando reipsa resistit. Talis est v. g. necessitas agendi ex in veterato quodam habitu. An qui v. g. avaritiæ, vel prodigalitatis diuturnum contraxit habitum, ita semper agit ex avaritia, aut prodigalitate, ut avarus nihil unquam donet; aut prodigus retineat? Verum multum profecto distat impotentia, vel necessitas moralis Janseniana. Stante quippe delectatione superiori ad unam voluntatem determinante, actus oppositus non tantum nusquam fit, sed nec relative fieri potest, ob virium inæqualitatem delectationis inferioris respectu superioris. Istam porro necessitatem appellare moralem, manifesta videtur illusio, ac nominis abusus ad errorem Jansenii involvendum, & occultandum compositus: quamquam, nec patienter ferunt aures Christianæ dici, hominem seu bene, seu male agat, non posse unquam, propter impotentiam moralem, qua premitur, aliter agere, quam agit reipsa.

Verum, inquit, in sententia eorum Theologorum, qui admittunt ad singulos pietatis actus gratiam moraliter ex se efficacem necessariam esse, nonne fano sensu dici potest, sub motione illius gratiæ moralem adesse necessitatem ad bonum; & illa absente, moralem necessitatem ad malum? Pariter licet homo justus possit absolute omnia peccata venialia vitare, licet Magistratus gravis, ac sapiens possit physica potentia histrionem agere; quia tamen nunquam con-

tingit, ut vel justus omnia peccata venialia fugiat, vel sapiens Magistratus ludat in Theatro, idcirco vulgo dicitur moraliter impossibile esse justo, ut omnia peccata venialia fugiat; & sapienti viro, ut ludat in Theatro. Pariter igitur ratione, quia nusquam contingit hominem gratia victrice excitatum male agere, dici potest eum moralem tunc habere impotentiam ad malum.

Resp. 1. Non posse admitti necessitatem moralem in illa Catholicorum quorumdam sententia, sub motione gratiae per se efficacis. Necesitas quippe moralis agendi, juxta communem, ac receptam acceptationem, oritur ex difficultate contrarium agendi, aut abstinendi ab actu: sæpe vero contingit, ut per gratiam efficacem homo res sibi difficillimas perficiat, ad quas posset dici habere impotentiam moralem; cum v. g. tentationibus externis, & internis undique vexatus, vixque illo rerum cælestium affectu sensibili recreatus, nihilominus quod Deo placere novit, constanter, & heroicè aggreditur, certe non necessitate morali ad bonum determinatur, imo impotentiam moralem, qua retardabatur, vincit, ac superat.

Resp. 2. Quod etsi aliquo sensu tolerabiliter admitti posset ea in sententia moralis necessitas præsente gratia efficaci, propter nimirum infallibilem connexionem effectus cum tali gratia, & moralem impotentiam ad bonum absente gratia efficaci, nihilominus tolerari id non posse in systemate delectationis relative victricis. Ratio discriminis aperta est; quia præsente gratia efficaci, voluntas etiam relative expedita est ad resistendum; & ea absente, voluntas per gratiam sufficientem etiam relative ad gradus oppositæ actualis cupiditatis capax est, & pares seu æquales saltem vires habet ad operandum seu immediate, seu saltem mediate: non ita absente superiori, ac relativa Jansenii delectatione: tunc enim voluntas ex sola gratia parva, comparate ad superiorem actualem concupiscentiam, non potest bene agere ne mediate quidem, quia parva illa gratia relative satis virium non habet, ut possit oppositam illam majorem cupiditatem superare; & quando Janseniani ajunt, interdum parvam illam gratiam ad majorem disponere, ludunt profecto; non enim disponit relative, sed tantum absolute: quia hoc duintaxat sensu dici potest disponere, quatenus si ei ardentior cupiditas non resisteret, major accederet Dei gratia. (Qua loquendi ratione interdum Thomistæ utuntur occasione suis gratiae sufficientis.) At cum in systemate Janseniano non possit voluntas relative non resistere huic parvae gratiae, quandoquidem majori opposita detinetur delectatione, non debet quoque his in circumstantiis gratia illa parva relative dici disponere ad majorem: imo nec absolute, quia in eodem systemate, gratia illa parva, si fides Jansenianis habeatur, se sola sine novo ex parte Dei auxilio, per solam concupiscentiae imminutionem opus bonum perfectum exprimeret; ut quid ergo necesse est, ut ad majorem gratiam disponat?

Quæ vero prolata sunt exempla idonea non videntur, nec ad rem nostram præsentem accommodata. Justus etenim non habet potentiam veram vitandi omnia simul, & collective peccata venialia, Conciliumque Trid. sub anathemate prohibet dicere, esse in illo homine etiam justificato potentiam illa vitandi, sine speciali privilegio, quod soli B. Virgini concessum est; nec certe ulla est in homine facultas, quæ corresponeat illis omnibus simul, & collective declinandis, quamquam ne unum quidem sit in particulari, ac distributive, quod vitare non possit. Pariter homo sapiens

quamdiu sapiens supponitur, non habet nisi valde remotam, impropriam, ac mere organicam potestatem ludendi in publico Theatro; quia nullum omnino assignari potest motiyum, quo ad ludum illum moveri possit, adeoque verissimum est dicere, impossibile esse plusquam moraliter, ut vir ille gravis, ac sapiens histrionem agat. At non ita est de homine sub motione gratiae viætricis: namque præter concupiscentiam, quæ ipsum continuo ad malum sollicitat, objectum sub varia specie seu boni, seu mali potest ipsi repræsentari, adeoque movere ipsum sive ad bonum, sive ad malum,

Dices: Sensus quos hic recensuimus alieni, & extranei non sunt, qui soli possunt legitime tertiae Propositioni damnatae adaptari: atqui soli illi sensus possunt legitime adaptari tertiae Propositioni, non vero sensus proprius Jansenii.

Resp. nego min. Damnata quippe fuit Propositio sensu Jansenii: atqui sensus Jansenii, & discipulorum ipsius, nusquam fuit admittere necessitatem, vel naturalem, vel involuntariam, absolutam, antecedentem, & physicam, sensu superius exposito; ergo sensus illi plane sunt alieni, & extranei tertiae Propositioni Jansenii. Vide Jansenium L. 6. de Gr. Chr. c. 37. & L. 7. c. 13.

Probabis minorem negatam. Jansenius nusquam negavit, in hoc collapsa naturæ statu necessariam esse ad merendum, vel demerendum libertatem a necessitate, seu veram, & actiayam indifferentiam tum specificatio
Pag. 300. col. 1. C. nis, tum exercitii: *Hominum viatorum*, inquit L. 6. de Gr. Chr. c. 34. non solum coactionis expertem esse libertatem, sed etiam necessitatis immutabilis voluntariae, hoc est, eam ad utrumque indifferentem esse fatemur perlibenter. Et c. 20. L. 8. probat ex professo, agnoscit Augustinum sub gratia, & ante gratiam indifferentiam contrarietas, & contradictionis. Liberum arbitrium, inquit, ante gratiam quemadmodum etiam sub gratia, indifferentiam contrarietas, Pag. 367. & contradictionis habet; ita videlicet, ut quibuscumque positis, quæ ad agendum col. 1. E. bonum, aut malum requisita sunt, possit liberum arbitrium in hac vita facere bonum, & malum; facere alterutrum, & non facere.

Pag. 330. Et L. 7. de Gr. Chr. c. 11. profitetur se tantum necessitatem specificacionis ad bonum, & ad malum admittere in hoc statu, negare vero necessitatem exercitii, quam eo sensu intelligit, quod licet homo per delectationem superiorem cælestem, vel terrenam, ad bonum, vel malum determinetur, tamen hoc, vel illud bonum delectatione cælesti, hoc, vel illud malum sub delectatione terrestri pro nutu suo libere amplectatur, quæ libertas sufficit.

Pag. 266. Quando igitur idem Jansenius L. 6. de Gr. Chr. cap. 6. inter probationes nostras citato, afferuit: *Voluntatem quantumcumque ad unum determinatam, nulla tali necessitate, qua dicitur necesse esse, ut velit, designare esse libram quia non definit esse voluntas; de libertate generice sumpta, non de libertate præsentis status loquebatur: Tam orthodoxum erit, ait Paulus Ireneus loco citato, si de libertate generali intelligatur, quam si de status libertatis in hac vita, falsum.*

Quapropter, quæ adversus Jansenium inter probationes nostras momenta protulimus, ut expressam ab illo tertiae Propositionis doctrinam ostenderemus, laborant errore facti. Cujus quidem erroris, & hallucinationis duplex potissimum ratio, & causa est.

I. Quod non satis distinguamus, sicut Jansenius recte distinxit, inter liber-

libertatem generice, & specificē sumptam, seu inter essentiam, & statum libertatis, atque concludamus, Jansenium negasse requiri ad libertatem hujus status indifferentiam, eo quod negaverit eam requiri ad libertatem generice sumptam, qui certe arguendi motus vitiosus est, ac similis ei, quo quis negaret rationalitatem non requiri ad constituendum hominem, eo quod non requiratur ad illum constituendum in ratione animalis. *Genus* P. 255.
col. 1.

enim, ait Paulus Ireneus Disq. 9. ar. 4. præscindit quidem a speciebus, sed tamen in speciebus est. Gradus sentientis rationem non involvit, & tamen sentiens in homine est, qui rationem habet, non quatenus sentiens, sed quatenus homo. Similiter (pergit) generica illa libertas, quam tractat, & evolvit Jansenius, ut in Deo & in beatis, sic etiam in homine lapso est, nec involvit etiam in homine lapso indifferentiam, quatenus libertas est, sed illam aliunde individuo nexu habet adjunctam, quatenus libertas est hominis lapsi & viatoris, sicut sentiens, cum non involvat in se rationem, eam tamen quatenus in homine est individuali modo annexam. Porro P. 254.
col. 1.

ut idem auctor initio cit. ar. 4. loquitur, nemo libenter non agnoscit S. Pontificem neutquam sua Constitutione generalem illam attigisse questionem, utrum libertas quatenus Deo competit, Christo, beatis, hominibus, & dæmonibus, postulet indifferentiam. Nam, & Philosophica potius, quam Theologica est, & nominis plus fortasse, quam rei. Ergo errore facti deceptus fuit Pontifex, cum in censura tertiae Propositionis existimavit Jansenium ab hocce statu exclusisse indifferentiam arbitrii ad merendum, vel demerendum necessariam. Ita fere Paulus Ireneus, Auctor Libri Collationum inter DD. de Lalane, & Girard ex una parte, & P. Ferrerium ex altera, Colloquio tertio; & Auctor Scripti cui titulus: *Responsio ad P. Annatum ann. 1654.* qui omnes sibi applaudunt, quasi hoc argumento in fumoshabeant omnia, quæ contra Jansenium circa tertiam Propositionem, ut hanc propugnasse convincatur, proferri solita sunt.

Pag. 50.
51. 1652.

Secunda ratio, & causa hallucinationis nostræ hæc est, inquiunt, quod quæ Jansenius obiter, & in loco quodam remotiori, ex hypothesi quadam metaphysica non existente dixit, nempe, si homo hac in vita, ex tali gratia qualis in cælo dabitur, careret indifferentia, sicut ea carent beati in cælis erga Deum amandum, adhuc tamen ejus meritum fore; nos ita dictum sumimus, ac si re ipsa ex hypothesi præsenti docuisset Jansenius, hominem viatorem tali gratia donari, aut tali carere indifferentia; quod certe per absurdum est. Manifestum enim est ex iis ipsis Jansenii locis, quæ laudavimus, eum loqui ex hypothesi metaphysica non existente; adhibet enim semper particulam conditionalē, si; porro a vero prorsus alienum est SS. Pontifices voluisse tertiam Propositionem hoc sensu, & in ea suppositione metaphysica damnare. Verum existimarunt illi errore facti, Jansenium nullam hac in vita admisisse activam arbitrii indifferentiam, quæ tamen re ipsa agnovit. Ita arguit auctor Libri cui titulus: *Refutation de la fausse Relation du P. Ferrier*, pag. 89.

Resp. neg. ant. Utramque enim indifferentiam activam tum specificationis tum exercitii, qualem Catholicī requirunt, Jansenius negavit: Indifferentia quippe activa sensu Catholicorum ea est, per quam voluntas, positis omnibus ad agendum prærequisitis, est expedita relative ad agendum, vel non agendum, aut contrarium agendum; at talis non est activa Jansenii indifferentia: Posita enim delectatione superiori indoliberata ad unum movente, voluntas necessario ad illud actū etiam deliberato de-

terminatur, neque seipsam a præbendo consensu cohibere potest; quia necessitatem est, ut agat secundum id, quod magis delectat; adeoque tunc non est relative expedita ad actum oppositum, quem non tantum non vult, sed nec velle potest, defectu delectationis superioris oppositæ.

Fallit igitur Jansenius equivocatione nominis, cum prædicat in præsenti statu esse indifferentiam ad bonum, & malum. Hæc quippe nihil aliud ipsi est, præter, vel flexibilitatem naturalem arbitrii ad bonum, & malum, sicut ipsem exponit L. 8. de Gr. Chr. c. 20. & Lib. 3. de statu naturæ lapsæ c. 13. verba superius relata sunt; vel potentiam absolutam, & abstractam ad actum oppositum, non vero potentiam relativam; vel *necessitatem fluxam, & mutabilem*, sicut aperte declarat in eo ipso loco, quem Janseniani perpetuo venditant ex cap. nimis 6. Libri 6. de Gratia; vel denique ipsum solum voluntarium deliberatum.

Fallit pariter, cum necessitate exercitii fingit interdum captiosis verbis a præsenti statu rejicere. Hanc etenim conceptis verbis admittit L. 7. de Gr. Chr. cap. 8. ubi eorum referens sententiam, qui, ut explicit quo sensu Aug. dixerit, majorem esse beatorum in cælis libertatem, afferunt inde esse *quia liberius eligit hoc vel illud bonum*, contendit nihil a mente S. Augustini dici posse abhorrens magis, & alienum. Itaque verus S. Augustini sensus est, ait Jansenius, *arbitrium voluntatis in cælo liberius futurum esse, cum peccare non poterit... quia a tota illa exhausta peste liberatus, quia plenitudine charitatis sanius, quia inefabilis divini amoris delectationes fortius, stabilius, & indeclinabilius*. Negat ergo in beatis indifferentiam exercitii. Idem apertius repetit cap. 15.

At ne Janseniani ad solitum effugium recurrent, loqui scilicet Jansenium de sola libertate alterius, non vero hujus præsentis vita, andiant quæ paulo *et* l. B. lo post adjicit Jansenius in cap. 9. citato. Nonne videtur, inquit, quantum ex istis omnibus ejus (S. Aug.) testimonii liquet, ne somniaffe quidem unquam de absonis illis glossis verborum ejus, quæ in nonnullis proferuntur? Si enim illos de industria declinare voluissest, non potuissest ab eis longius recedere, non solum in explicanda majori libertate beatorum, sed etiam quacumque præsentis vita. (Aures hic arrigant Janseniani) Quacumque præsentis vita. Hoc enim confidenter mibi afferere licet, in universis voluminibus, quæ contra Pelagianos exarata sunt... non esse vestigium ullum, quo Aug. unquam de tali indifferentiæ libertate ad eligendum hoc vel illud bonum cogitasse, multo minus ad eam depellendæ calumniæ causa configuisse videatur.

Pag. 332. sol. 2. Et cap. 14. *Ipsum, inquit, non consentire, & non facere, gratiæ vicitris effectus est.* Facit autem hoc gratia fortiter affigendo effectum ipsi justitiæ, ne deorsum cadat, idque non aliter nisi cælestis delectationis vehementia, quasi suavi amoroquo vinculo... Nimis non solum ut agant bonum, & non malum generaliter, sed etiam ut justi agant hoc bonum, quod non agebant, abstineant ab hoc malo, quod alioquin agerent, vel agebant.

Eant igitur Janseniani, ac solita sua confidentia, & fide prædicent adhuc, Jansenium necessitatem exercitii ex præsenti statu rejicisse. Nisi forte (ut sunt in excogitandis diverticulis inexhausti) intelligent necessitatem illam fatalē, phreneticam, brutalem, quam Manichæi, Astrologi, Stoici, Lutherani invenierunt; qua nempe voluntas imperio suo agere non permittitur, sed ab alio quasi raptu, & impetu præcipitatur: non vero aliam molliorem, voluntariam, & infallibilitatis. Revera etenim rem sic levi manu expedit Vin-

centius Lenis in Theriaca L. 2. c. 2. pag. 190. & cap. 5. p. 252. & 261. ubi plenis ille manibus concedit quod volumus, Jansenium scilicet non illam ferream ac physicam admittere in statu praesenti necessitatem contradictionis aut contrarietas, sed aliam molliorem, id est moralem; voluntariam, quia deliberatam, & infallibilitatis, quia talis est, ut voluntas ei relative resistere, aut ad oppositum flectere se nullatenus possit.

Et certe indifferentia exercitii seu contradictionis omnino repugnat systemati Janseniano, quod facile est demonstrare.

I. Cum actu urget aliquod praeceptum positivum seu affirmativum supernaturale, adest quoque delectatio superior celestis, voluntas tunc necessitatur ad omissionem illius praecepti in particulari: unde in hac hypothesi, non solum necessitas adest peccandi in genere, sed etiam pec-
candi hoc peccato in particulari.

II. Si delectatio ad bonum in genere dumtaxat spectatum inclinans, necessario voluntatem trahit ad prosecutionem boni in genere, quidni delectatio inclinans ad aliquod bonum in particulari, necessario quoque ad illud determinat?

III. Si voluntas inter plura bona unum praeterea eligere pro nutu suo, quando maius bonum ex iis, quae occurrerent, preferret, id fibi tribuere poterit, & cum Deo laudem actionis aliquatenus partiri, quod certe cum principiis Jansenii minime cohereret.

IV. Vel unum ex bonis particularibus eligendis plus delectat, vel aequaliter omnia delectant: si prius, illuc necessario vergit voluntas, cum secundum id quod magis delectat, operetur necesse sit: si vero aequaliter placent, suspensa, & anceps in medio remanebit necessario voluntas: si enim cum aequaliter bonum, & malum delectat, non potest voluntas, etiam in hocce statu, ubi est ad peccatum prona, in malum flectere se; quomodo inter duo bona aequalia, unum praeterea poterit eligere? Porro in systemate Jansenii idem censendum de necessitate exercitii quantum ad malum, siquidem apud ipsum, eadem necessitas, & efficacia delectationis, & majoris delectationis ad peccatum reperitur in hoc statu, quae ad bonum.

V. Denique, cum in doctrina Jansenii liberum idem sit ac voluntarium deliberatum, illudque eo magis voluntarium censeatur, quod fit ex majori delectatione; consequenter illud liberum magis est, quod ex illa majori elicetur voluptate: unde pronum est concludere, sicut re ipsa concludit Jansenius, perfectiorem fore libertatem beatorum in celis, ob magnitudinem, & vehementiam delectationis; imo & libertatem hujus status perfectiorem quoque fore, si talis ipsi daretur abundantia delectationis; adeoque necessitatem exercitii recte coherere posse cum libertate hujus status. Hanc electionis liberae constantiam, ait Jansenius L. 4. de statu naturae lapsae cap. 25. si creatura rationalis imitetur, ut pari modo immobiliter in amore creatoris vel creature ad quem se se summa libertate flexerit non solum quantum ad speciem actus, sed etiam quantum ad exercitum perseveret, nihil est cur actus ille non semper dici possit liber eadem libertate, qua ab initio liberae determinationis liber fuit. Talis enim voluntas, juxta principia Augustini, est in nostra potestate, quia volentibus adest. Porro quia in potestate est, libera est nobis. Ita Jansenius, quibus aperte signi-

ficat etiam sublata ab hoc statu indifferentia exercitii seu contradictionis, adhuc in integro futuram libertatem.

Quamquam Jansenius veram exercitii indifferentiam admitteret, (quam tamen non admittit) nonne vel una specificationis necessitas, Christianas aures offenderet? Quis enim patienter audiat, hominem justum v.g. dum peccat mortaliter, necessario peccare? Quid quæsto prodest homini justo, hoc vel illud malum posse eligere, si a gratia necessario excidat, mortemque aeternam incurrire teneatur? Non minus ægre ferunt aures pia, quod asseratur justum, quoties bene agit, toties ad bene agendum necessitate determinari. Quod vero asserit objectio, momenta scilicet, quæ inter probationes nostras contra Jansenium protulimus laborare errore facti, ac duplicem esse hujus erroris causam, & rationem, prorsus negamus.

Ad primam probationem respondeo, nos non ignorare distinctionem, quam statuit Jansenius inter libertatem generice, & specificie sumptam: sed distinctionem hanc superfluam, inutilem, & captiosam hic estimamus, quia Jansenius loquitur de libertate utroque modo spectata, sicut ostendimus; & ab ipsa sub hoc utroque respectu veram excludit indifferentiam. Quapropter otiosum plane est adductum Pauli Irenæi ratiocinium; falsoque supponit, nos idcirco concludere Jansenium a libertate hujus status exclusisse indifferentiam: quia illam excludit a libertate generice spectata. Non ita est sed ex sententia & verbis Jansenii demonstramus, eum reipsa ex libertate hujus status rejicisse indifferentiam, seu immunitatem a necessitate. Qui enim eo ipso vult actionem malam esse peccatum etiam in praesenti statu, quod sponte fiat, nec cogatur voluntas, ille certe non existimat requiri ex conditione hominis lapsi indifferentiam ad peccatum: sed Jansenius diserte pronunciat eo ipso, juxta SS. Thomam, Chrysostomum, & Augustinum, quorum sententiam adoptat, actionem malam, & omissionem boni esse merito arguendam tamquam verum peccatum, quod non cogatur homo. Ergo, &c. Porro ita Jansenius L. 6. de Gr. Chr. c. 12.

T. 3. pag. Nunquam, inquit, interitum libertati timet (Chrysost.) nisi a necessitate violentia, atque coactionis: qua absente, satis est, quod sponte volentesque peccant,

2. B. & benefaciunt. Et c. 24. abutens loco ex S. Thoma desumpto, in quo agitur de homine lapsi, addit, quasi indicans hoc sufficere ut in peccatum imputetur, quod non cogatur. Et L. 2. de statu naturæ lapsæ c. 24. Docet (Aug.)

T. 2. pag. 133. col. inquit, ignorantia peccatis plenum esse genus humanum: esse quantumvis necessaria, tamen vera peccata; ad culpari imputari; remissione delenda; paenitentia plectenda,

2. A. &c. Idem passim alibi tradit Jansenius, cui suffragantur discipuli, Autores Librorum, qui inscribuntur: Seconde Apologie de Jansenius. L. 3. chap. 5. p. 51. Saint Augustin victorieux de Calvin, & de Molina. Première conference, chap. 53. p. 142. Seconde Conference, chap. 37. p. 153. Cinquième conference, chap. 12. p. 330. Auctor Scripti: In nomine Domini, p. 21. & 24. Propositiones de Gratia, pag. 20. Apologie pour les SS. Peres, quatrième, & cinquième point, article 28. p. 1044. & 1056. Item, troisième partie, pag. 627. 628. & 630. Item, Meditations Chrétiennes, p. 211. & 212.

Concedimus ergo perliberter Paulo Irenæo, S. Pontificem neutiquam sua Constitutione generalem illam attigisse quæstionem; utrum libertas generice sumpta postulet indifferentiam: neque vero de tali libertate loquitur tertia Propositio, sed de libertate ad merendum, vel demerendum in statu naturæ

lapsæ

lapsæ necessaria; atque idecirco damnata est, quod asserat non requiri libertatem a necessitate, sed sufficere libertatem a coactione. Ac proinde, etiam si Jansenius diceret, quod non dicit, ex conditione status requiri indifferentiam ad libertatem hominis viatoris, non tamen excusaretur a propugnata *tertia Propositione*; modo affirmaret, ut revera affirmat, ex parte libertate, & meriti, aut demeriti, in homine lapsi non requiri indifferentiam seu exclusionem a necessitate. Et certe si liceret hic ab errore excusare Jansenium, eo quod non dixisset ex parte status, sed tantum in praesenti statu non requiri libertatem a necessitate, *tertia Propositio*, quæ nihil aliud in rigore sonat, optimum iuxta Jansenianos pateretur sensum, adeoque in sensu obvio prescribenda non fuisset: atqui tamen merito proscripta illa fuit.

Porro tantum abest, ut ex conditione status hominis lapsi Jansenius requirat libertatem a necessitate, quin potius præcise afferat, idque cohærenter ad systema suum, non requiri ob conditionem hominis lapsi libertatem a necessitate ad merendum, vel demerendum in hoc statu. Qui enim contendit peccata, quæ vel ignorantia invincibili, vel ex quacumque alia causa necessitate nunc committuntur, non potuisse ullo modo imputari homini in statu naturæ innocentis, (si talia fuissent fingerentur) hominique lapsi dumtaxat merito esse imputanda, ille certe præcise ex conditione status hominis lapsi affirmat necessariam non esse immunitatem a necessitate. Atqui Jansenius totus est L. 4. de statu naturæ lapsæ c. 22. & 25. & L. 2. de eodem statu c. 4. ut demonstret necessitatē in praesenti statu cū demerito conciliari, quia illa necessitas oritur habet, non a naturæ institutione, sed a pena hominis lapsi; ergo, &c.

Ad 2. probationem, seu causam (ut prætendunt) hallucinationis nostræ: fatemur hypothesis, ex qua Jansenius loquitur, metaphysicam esse nec existentem, qua parte scilicet supponit gratiam hac in vita tantam, quæ hominem in bono constanter, ac immobiliter fit: verum alia ex parte, qua nempe supponit liberum hominis viatoris arbitrium revera indifferentia exercitii destitutum adhuc posse mereri, vel demereri, non metaphysica est, sed vera, & realis Jansenii hypothesis, ac sententia: quia nempe quanto major est gratiæ delectatio, eo magis, juxta Jansenium, perficitur liberum arbitrium, quia perficitur voluntarium. *Aributari*, inquit Jansenius L. 8. de Gr. Chr. cap. 17. quod perfectio gratiæ arbitrii libertatem T. 3. p. 364. col. 1. E. destruat, *stultiæ singularis est*. Atque inde concludit, quod si homini via-
tori tanta daretur, quanta beatis in cœlo gratiæ delectatio, non violaret, sed summe perficeret arbitrii libertatem: ergo, juxta Jansenium, stat arbitrii libertas cum necessitate exercitii. Si hæc duo distinguere voluisset auctor citati Libri, *Refutation de la fausse Relation du P. Ferrier*, non tot vana, & inutilia puerili fastu protulisset.

Instabis 1. Jansenius non negavit indifferentiam judicij: non negavit enim, etiam posita delectatione victrice ad aliquod objectum prosequendum determinante, subesse semper in illo objecto varias species mali ab ipsius prosecutione de se retrahentes, ad quas intellectus non solum potest attendere, sed etiam actu, & de facto aliquando attendit; sed hoc sufficit ad indifferentiam judicij. Porro ubi est indifferentia judicij, ubi necessario occurrit libertas arbitrii, seu indifferentia voluntatis: est enim hæc judicij indifferentia, radix libertatis.

Resp. nego ant. Ad probationem nego min. Nam per judicium indiffe-

rens intelligitur judicium in actu proponens objectum, non ut necessario amandum, vel fugiendum, sed ut indifferenter ad utrumlibet eligibile: at licet subsint in objecto species illæ mali de se retrahentes ab ipsius prosecutione, & ad ipsas attendat actu intellectus, non tamen propterea formatur judicium proponens actu objectum ut indifferentis ad utrumlibet, sed intellectus determinatur aliquando ad judicandum illud objectum esse necessario amandum. Et vero delectatio superior indeliberata, velut quodam vinculo in objectum amandum figit animum, ex Jansenio L. 6. de

Pag. 303.
vol. 1. B.

Gr. Chr. c. 35. ita certe, ut rationibus retrahentibus non afficiatur.

Ad subsumptum, Resp. nego min. Licet enim Thomistæ ex indifference judicij libertatem arbitrii consequi affirmant, longe aliter sentiendum est in systemate Jansenii, in quo voluntas ita parum judicio intellectus subjaceat, ut etiam posita visione beatifica peccare posse, imo peccatum beatum asserat Jansenius L. 4. de Gr. Chr. c. 8. & 9. si voluntas beati

Pag. 181.
vol. 1. D.

terrestri delectatione titillaretur. Qui diligentis impetus (inquit cap. 8.) si adulterinae cuiusdam delectationis permixtione laxaretur, mens illa beata iterum refrigerando tenebresceret, & peccaret. Unde ibidem impeccabilitatem beatorum ex visione beatifica oriri consequenter negat.

Instabis 2. cum auctore Libri Collationum inter DD. de Lafane, & Girard ex una parte, & Patrem Ferrerium ex altera, Colloquio 3. p. 19. Nullum est objectum ad quod voluntas feratur, quod ita vires ejus exhaustiat ut non supervisit aliqua pars, ut ita dicam, voluntatis, qua se ad aliud objectum convertere valeat: Ergo in systemate etiam Jansenii nulla occurrit necessitas.

Resp. Voluntatem quidem non totam, & totaliter per delectationem superiore rapi, sed tantum majorem ipsius partem. Verum hoc sufficit, ut, secundum leges veluti mechanicas in eo systemate, pondus animæ, & consequenter consensus semper vergat necessario in eam partem, in quam delectatio superior inclinaverit.

Instabis 3. Jansenius agnoscit omnes actiones meritorias, & demeritorias hujus status esse voluntarias, & deliberatas: sed ex eodem Jansenio, ubi est deliberatum voluntarium, ibi est libertas contradictionis, L. 6. de Gr. c. 35. Ergo, &c.

Resp. ad min. Jansenium eo tantum sensu dicere adesse indifferentiam contradictionis, quod voluntas possit non agere si velit, quamvis necessario velit necessitate relativa. Unde talem indifferentiam contradictionis ibidem non denegat beatis, quia possent volitionem suam mutare si vellent.

Instabis 4. Jansenius asserit ibidem, quidquid ex quocumque objecto voluntatis, & timoris, aut cuiuslibet affectus in voluntatem inciderit, voluntatem arbitrio suo semper remanere superiorem: ergo, &c.

Resp. Jansenium eodem loco id ipsum affirmare de ipsis beatis, quantum ad voluntatem; qua Deo immobiliter, & firmiter adhaerent. Ludit ergo, cum ait voluntatem esse semper arbitrio suo superiorem; nec alias verborum ipsius sensus est, nisi quod sponte velit, nec cogatur volendo.

Non pigebit monere, Iprem non nisi insidiose, ac falso asserere sapientis, voluntatem etsi necessario velit, agere tamen, quia vult. Namque voluntati tunc tantum velle suum dici potest ratio agendi, quando nulla est causa necessaria volendi: at in systemate Jansenii, delectatio superior indeliberata est necessaria causa volendi.

Instabis denique. Jansenius nullam agnoscit in praesenti statu peccandi necessitatem in particulari, sed in genere dumtaxat, eamque tantum in infidelibus. Ita profitetur ille L. 4. de statu naturæ lapsæ cap. 19. 20. 22. & 23. Ergo non exclusit indifferentiam exercitii quantum ad malum.

Resp. fuci, ac doli plenam esse hanc Jansenii doctrinam. Non alio quippe sensu negat ille peccandi necessitatem in particulari, quam quia homo fidelis non peccaret si vellet; seu quia non ex coactione, sed ex voluntate peccat: cum quo recte stat, quod necessario peccet hoc, vel illo peccato singulari. Namque in systemate Jansenii, ut mox diximus, par, & eadem est necessitas delectationis terrenæ ad malum; ac cælestis ad bonum: eadem utriusque efficacia, seu vis, & modus agendi, nempe relative, ac per gradus quasi ex mechanica lege. Et sicut voluntas nusquam operatur bonum sine cælesti delectatione, ita & malum sine dominante delectatione concupiscentiæ. Sicut movente delectatione superiori gratiæ, voluntas non est expedita relative ad malum; ita fervente concupiscentia & absente gratia victrice, non est expedita relative ad bonum. Sicut delectatio superior gratiæ domat, ac sibi subjicit inferiorem oppositam delectationem concupiscentiæ; ita vicissim cum prævalet delectatio concupiscentiæ, sibi subjicit debiliorem gratiæ delectationem. Sicut victrix gratiæ delectatio necessario exprimit consensum voluntatis in bonum, ita ut voluntas eum cohibere non possit; ita delectatio superior concupiscentiæ in malum. Denique, sicut sub motione gratiæ victoris voluntas ad hoc, vel illud bonum in particulari necessario determinatur; ita sub motione ardenter concupiscentiæ, ad hoc, vel illud malum. Adeoque nulla in eo systemate vera indifferentia specificationis, & exercitii, nulla vera libertas a necessitate, ubi adest relativa necessitas invincibiliter, & indeclinabiliter ad unum determinans.

Porro docere Jansenium æqualem esse necessitatem delectationis, sive ad bonum, sive ad malum, ac parem utriusque celestis, ac terrenæ agendi vim, & efficaciam, res est apud ipsum explorata.

Lib. 6. de Gr. Chr. c. 35. Nunc, inquit, omnis omnino voluntas juxta naturam voluntatis ex aliqua delectatione proficiuntur, sine qua præunte esse non potest; ita quoque stabilitas voluntatis ex eadem delectatione nascitur. P. 303. col. 1. B.

Lib. 4. c. 7. Dico juxta S. Augustini mentem in ista cum temptationibus dimicazione, magnam, adeoque majorem, ac victricem delectationem cælestem esse necessariam, ut delectatio terrena supereretur: quia alioquin voluntas tam magnas volendi vires adhibere non potest, seu, ut Schola loquitur, tam intense, ac fortiter velle non potest, quantum necesse est, ut tentatio, seu delectatio opposite supereretur Et postea versus finem capituli: Voluntas sine delectatione velle aut moveri nullo pacto potest; quod sane respetu cuiuslibet operationis locum habet. Unde etiam in peccatis eadem necessitas delectationis ad volendum, & majoris delectationis ad superandam oppositionem delectationem reperitur. P. 179. col. 1. B.

Libro septimo capite tertio: Cum igitur vera causa cur arbitrium ad appetendum aliiquid moveatur, sit delectatio, qua intrinsecus in ipsa voluntate ib p. 310 mulcetur, hinc est, quod consequenter Augustinus tradit tam in appetendo, col. 1. B. quam in omittendo peccato voluntatem delectatione liberam fieri.

Et Lib. 8. c. 2. Delectatio victrix relativa est. Tunc enim est victrix, quan-

P. 334. quando alteram superat. Quod si contingat alteram ardentiorem esse, in solis
 cel. 2. C. inefficacibus desideriis habebit animus, nec efficaciter unquam volet, quod vol-
 lendum est. Ibidem docet eodem modo voluntatem moveri ad malum,
 quo ad bonum, delectatione scilicet Christi adjutorium, inquit, est actus
 verus, & vitalis, quo anima hanc secus afficitur, & movetur in Deum, ac
 D. quando simili delectatione terrenis rebus inheret.

Ex his omnibus perspicuum est, nullam esse in Systemate Jansenii acti-
 vam in praesenti statu indifferentiam tum specificationis, tum exercitii.

Sensus Catholicus errori tertiae Propositionis Jansenii oppositus.

Cum error tertiae Propositionis Jansenii in eo sit, omne scilicet per-
 fecte voluntarium, tametsi necessarium, eo ipso in praesenti statu libe-
 rum esse ad bonum, & malum; nec ad merendum, vel demerendum
 in statu naturae lapsae requiri libertatem a necessitate simplici voluntar-
 ia, mutabili, ac transiente, sed sufficere libertatem a coactione; con-
 sequenter veritas Catholicus huic errori opposita haec est: voluntarium
 perfectum, si sit necessarium necessitate simplici, quamvis mutabili, ac
 transiente, non esse liberum ea libertate, quae sufficiat ad meritum,
 vel demeritum praesentis vitae, sed prater immunitatem a coactione;
 necessarium esse immunitatem ab omni necessitate simplici, seu ab in-
 superabili, & invincibili voluntatis per delectationem relative superio-
 rem ad unum determinatione, & applicatione.

Ut igitur penitus excludatur error tertiae Propositionis, & a viris suspe-
 ctæ fidei omnis legitima Jansenismi suspicio amoveatur, non satis est, si di-
 xerint libertatem hujus status necessariam ad merendum, vel demerendum
 excludere necessitatem; aut liberum idem non esse, quod voluntarium:
 ista enim oretenus fateri non recusant, vel apertissimi Jansenii defensores,
 qui confidenter affirmant necessitatis nomine omnem plane excludi poten-
 tiam ad oppositum, talèmque necessitatem cadere non posse in eas actiones,
 quæ in praesenti statu fiant ex delectatione, cui voluntas sponte obse-
 quitur (quia nempe in eorum sensu remanet semper potentia quedam abso-
 luta, & abstracta.). Et re ipsa cum sic illi loquuntur, nomine necessitatis in-
 telligunt dumtaxat, vel coactionem, vel necessitatem naturalem, vel eam,
 quæ cæco impetu sine advertentia, & pleno judicio rationis abriperet; vel
 illam, quam in deliberata sua, quodam sensu, operatione voluntas patere-
 tur, si per motionem quamdam quasi fatalem sic in unam partem præcipita-
 retur, ut imperio suo se ipsam moveare non sineretur, qualem Manichæis,
 Astrologis, Stoicis, & Calvinianis placuisse singit Vincentius Lenis in The-
 riaca; vel simplicem, & immutabilem. Non excludunt vero necessitatem
 C. 391. simplicem, voluntariam, transiensem, ac mutabilem, eam scilicet, quæ
 oritur ex invincibili, & ineluctabili motione superioris ac relativæ dele-
 ctationis: quam necessitatem fucato infallibilitatis nomine appellant,
 quamque suaviorem ac molliorem vocat Vincentius Lenis, ut eam di-
 stinguat ab alia, nempe rigida, & fatali Stoicorum ac Manichæorum.

Pariter cum ajunt liberum idem non esse ac voluntarium, a Jansenio
 plane non recedunt, qui hoc ipsum asseruit L. 6. de Gratia Christi c. 36.
 per voluntarium enim subdole intelligunt, ut ipse Jansenius ait, id quod
 est in voluntate. Quo sensu verum est, etiam in sensu Jansenii, liberum
 idem.

idem non esse ac voluntarium: quia datur voluntarium indeliberatum; (quales sunt motus primo primi) quod tamen propterea liberum non est, ipso fatente Jansenio. Non satis igitur est nude excludere quamdam in genere tantum necessitatem, sed addi debet, simplicem ac voluntariam, & transiuntem. Pariter satis non est rejicere necessitatem, quae tollat omnem ad oppositum advertentiam, qualis est in beatis; sed etiam illam, sub quia ita apparet ratio aliqua boni, seu motivi in objecto, quod voluntas refugit, & adversatur, ut non remaneat indifferentia activa voluntatis; talem quippe ad oppositum advertentiam Jansenius, ejusque discipuli cum delectatione superiori ineluctabili conciliant: neque eam tantum, quae sit vel absoluta, vel antecedens, vel physica illorum sensu superius exposito; sed eam, quae sit relativa ad praesentes subjecti dispositiones, easque comitetur, moralisque a quibusdam ex Jansenii discipulis vocatur.

Denique satis non est asserere voluntatem sub motione superioris delectationis, non tantum in sensu diviso, id est absente, sed etiam in sensu composito, id est praesente illa motione, retinere potentiam proximam, & expeditam ad oppositum; dolus quippe est, ac consueta fallacia: potentiam quippe illam proximam, & expeditam, non aliam volunt esse, quam absolutam, & abstractam, non autem relativam, & comparatam ad praesentes subjecti circumstantias seu dispositiones, sicut dictum est saepius.

Ad omnem igitur fraudem, & equivocationem fugiendam, necesse est nitide sensu contradictorio affirmare, ad merendum, vel demerendum in statu naturæ lapsæ necessariam esse libertatem, quae excludat illam voluntatis ad unum determinationem, (quocumque tandem nomine eam appellaverint) quae a delectationis relative superioris ineluctabiliter prævenientis, & invincibiliter fletentis virtute proficiuntur.

Q U R A T A P R O P O S I T I O.

Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

Propositio ex Jansenio legitime excerpta.

Hujus quartæ Propositionis duæ partes sunt. Prima est facti: utrum scilicet Semipelagiani admiserint gratiam necessariam ad initium fidei; qua de re fuse disputavimus hujus Tractatus initio. Secunda, utrum hæreticum sit dicere gratiam actualem Christi talem esse, cui possit humana voluntas resistere, vel obtemperare.

Utramque Propositionis partem docet Jansenius Lib.8. de hæresi Pelagiana cap.6. his verbis: *Itaque Massiliensem opinionibus, & Augustini doctrina quam diligentissime ponderata certum esse, & indubitatum esse debere sentio, quod Massilienses præter prædicationem atque naturam, verum etiam & interioram, & actualem gratiam ac ipsam etiam fidem, quam humanae libertatis, & voluntatis adscribunt viribus, necessariam esse fateantur.* Et postea: *In hoc igitur propter Massiliensem error situs est, quod aliquid primævæ liberatis reliquum putant, quo sicut Adam, si voluisse, poterat perseveranter operari bonum, ita lapsus homo saltē credere posset si vellet: neuter tamen absque interioris gratiæ adju-*

T. I. pag.

185. col.

2. B.

Ib. p. 183

col. 1. B.

Ib. col. 2. B.

Ibid. col.

2. B.

adjutorio, cuius usus, vel abusus relictus esset in uniuscujusque arbitrio, & potestate. Et paullo post rursus. Ex quo, inquit, relinquitur, quandocumque Massilienses naturalem illam libertatem, & possibilitatem ex Adami integritate reliquam praedicant, & ei saltem fidem tribuunt, nunquam eos illam Adami gratiam excludere.

T.3.p.62
col.1.G. Libro 2. de Gratia Christi cap.15. Prior, inquit, (Massilienium) error erat, quod initium fidei, orationem, gemitus ac desideria, & hujusmodi ex nobis, hoc est, ex libero arbitrio profilire censerent. Et tamen gratiam etiam actualem in eorum opinione fuisse ad istos actus necessariam, cuius influxus in eorum libero relinquetur arbitrio, & hoc eos apertissime docuisse, jam supra late patescimus. Ad marginem indicat Cap.12. ejusdem Lib. & Lib.8. de heresi Pelagiana c.6. 7.8. &c.

Hanc esse constantem Jansenii doctrinam patet manifeste ex lato illo discriminine, quod reponit inter gratiam sanitatis, & medicinalem, quod cum ignoraverint Semipelagiani, in errorem lapsi sunt. Ex isto, inquit initio capititis 4. Libri 2. de Gratia Christi, libera, servaque voluntatis discriminine utriusque gratiae sanitatis, & medicinalis differentia incipit sese ostendere. In eo quippe sita est, quod illius primae integritatis adjutorium sic adjuvabat voluntatem, ut cum eo operaretur ipsa si vellet; nunc autem ipsum adjutorium facit, ut velit. Hoc est, adjutorium ante ruinam erat tale, ut influxus adjutorii proinde atque voluntatis in opus, ab ipso liberæ voluntatis nutu penderet, adeoque salva maneret illa libertatis in utramque partem flexibilis indifferentia: nunc vero post ruinam tale est, ut faciat annuere, & influere, & velle voluntatem ... hoc ipso enim, quo datur, simul usus ejus, & influxus potestatis datur. Est enim

Tag.41.
col.1.A. hoc ipsum, quod suapte efficacia facit influere facultatem, nec facultatis ipsius libero arbitratui subjebeat, sed invictè facit, ut hoc, vel istud arbitrium arbitretur, & velit. Talis est influxus omnis causæ formalis, hoc ipso quippe, quo adest justitia, sit justus animus, & sine illa justus esse nunquam potest ... Quod clarissimus, pergit Irenensis, ita dici posset, quod gratia sanæ voluntatis in ejus libero arbitrio relinqueretur, ut eam si vellet desereret, aut si vellet uteretur; gratia vero lapsæ agrotaque voluntatis nullo modo in ejus relinquatur arbitrio, ut eam deserat aut arripiat si voluerit, sed ipsa sit potius illa postrema gratia, quæ invictissime facit, ut velit, & a voluntate non deseratur. Et postea: Tantæ necessitatis est,

Ibid. col.2.C. ut sine illa non possit effectus fieri, tantæque efficacia, ut hoc ipso, quo datur, continuo fiat. Dat enim simul, & posse, & operari.

Hac Jansenius; qui, ut mox dicemus, Semipelagianos in eo potissimum errasse contendit, quod repudiato illo efficaci adjutorio, quo datur invictissime velle, & operari, aliud admitterent quod, ut falso putat, proprium fuit naturæ sanæ, & innocentis, subditum nempe libero voluntatis arbitrio, cui resistere illa posset, vel obtemperare.

Quarta Propositio cum delectatione superiori, ac relativa connexa, unde a Jansenio eruitur.

Diar. p. cipium: Supposita enim aliarum falsitate, ait Hallerius in Scripto sepius laudato, necessario debet falso judicari. Nam si impossibilia nunquam sunt Dei precepta justis defectu gratiae sufficientis, cui actu resistunt, sequitur posse gratiae restitutio ab actu ad posse valet consequentia. Secundo, si certum sit ad meritum requiri indifferentiam, cum actio, qua gratiae Dei consentimus, sit meritoria, sequitur consensum ei præberi cum indifferentia, ac proinde cum potentia dissentendi.

Hanc

Hanc vero Propositionem velut conclusionem sequi ex principio delestationis relative victricis, per se manifestum est. Si enim voluntas eo semper ac necessario trahitur, quo major voluptas dicit; si fieri non possit, ut minor delectatio superiore vincat, omnino consequens est, ut superior motione insuperabili, & indeclinabili ad unum determinet, nec possit voluntas eo in statu tali determinationi non consentire.

Et revera non alia ex parte Semipelagianos errasse vult Jansenius, quam quod rejecto auxilio efficaci invincibiliter, ac insuperabiliter determinante ad bonum, aliud admitterent, cui voluntas pro nutu suo consentire, vel dissentire posset. Auxilium porro illud quo, seu efficax Jansenii sensu, ut antea probavimus, est delectatio victrix relativa.

Lib. 8. de hæresi Pelagiana c. 8. in fine: *In hoc ergo, inquit, proprio Massiliensem, & Augustini error situs fuit, quod Angelorum sanctorum, & stantis hominis adjutorium; in quo intelligendo, & admittendo nulla penitus ipsius difficultas fuit, etiam lapsis hominibus hactenus sufficere voluerint.*

Et c. 10. ostendit totum disputationis argumentum inter Augustinum, & Semipelagianos fuisse circa veram Christi gratiam; quam quidem Jansenius 1.4. de Gratia Christi capitibus undecim, & l. 8. c. 3. probat esse delectationem superiorem seu relative victricem, non vero gratiam illam sine qua non. *Non enim ipsa, (ut loquitur c. 10. l. 8. de hæresi Pelagiana) pulsa concupiscentiae infirmitate robustam fecit, sed robustam, & a concupiscentia libera- tam esse supponit; sicut lux, quantumvis magna, non sanat oculum, sed satura- tum postulat, ut ejus aliquis possit esse usus: nam sine luce quidem non cerni- tur, non tamen ipsa facit cernere, si quis noluerit intueri.*

Semipelagiani, ait Jansenius l. 2. de Gratia Christi c. 12. admittebant *T. 1. p. libentissime adjutorium Dei, cum quo possent credere, & orare vellent, ita ut, & adjutorium, & ipsum velle, & nolle, quemadmodum homini primo, in eorum libero relinquetur arbitrio; horrebant vero illud capitaliter quo secundum Augustinum fiebat, ut vellent. Et l. 7. c. 6. ait, totam molem disputati- T. 3. p. onis de Christi gratia cum Pelagianis . . . huic veluti cardini innixam esse, nempe necessitati gratiae victricis, quæ dat invincibiliter & insuperabi- Ibid. p. liter agere. Et l. 4. c. 10. probaverat nullam jam dari gratiam pure suf- 317. col. f. fientem, quia nulla est gratia operandi præter istam suavitatem Dei quæ nisi tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum cesserint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur.*

Verus, ac germanus quartæ Propositionis sensus.

Non hic attingitur quæstio de gratia efficaci a se, aut cum consensu, inquietabat Hallerius, quia utrinque opinionis assertores fatentur; quod gratiam Dei possumus abdicere, juxta Conc. Tridentinum ses. 6. cap. 5. Ergo singularis ac proprius Jansenii sensus distinctus est a sensu gratiae efficacis ex se, vel a consensu. Quis ille sit statim indicat Hallerius: *Quæritur, inquit, utrum gratia in statu naturæ corruptæ talis sit, ut necessitatem inferat voluntati, adeo ut ei non possit dissentire, quod nullus Catholicus unquam admisi.*

Quartæ igitur Propositionis Jansenii verus ac germanus sensus iste est: Semipelagiani admiserunt necessitatem gratiae interioris etiam ad initium fidei; & in hoc erant heretici, quod rejecta Christi gratia efficaci, hoc est delectatione cœlesti superiori voluntatem necessitate insuperabili ac in-

indeclinabili determinante, solum admitterent gratiam, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

Hunc Magistri sensum discipuli aperiunt, ac defendunt in laudato saepius Scripto, *In nomine Domini. Cum, inquit, in eam tam vehementi inter Catholicos, & Semipelagianos concertatione, hanc unam gratiam Catholicorum propagnarent, quæ insuperabilem prædestinationem, & promissionem Dei, virtute pariter insuperabili in effectum demandaret, clarum est illam unam inflexibilem, & indeclinabilem gratiam Semipelagianos Catholicis eripere voluisse.* Et postea: *Quis quæso dubitet Semipelagianos hereticos habitos fuisse materialiter saltem, quod ad fidei initium gratiam admitterent, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare proxime, & immediate?*

Auctor Libri cui titulus: *Saint Augustin victorius. Verum est, inquit, liberum arbitrium non posse non consentire gratia in iis circumstantiis in quibus ei conceditur, posse tamen ei non consentire ex conditione status in quo est; id est mutabilitatis, & flexibilitatis; seu non posse non consentire relative, ac suppositis circumstantiis; posse tamen absolute, iis circumstantiis mutatis.*

Plura in rem eamdem referre omittimus: quia tam intima connexione cohæret sensus ille Jansenii cum delectatione superiori ac relativa, ut ab ea divelli nullatenus possit. Quapropter fictitii plane sunt, & alieni alii sensus, qui dictæ Propositioni possent affingi.

Sensus alieni, & extranei, qui quartæ Propositioni Jansenii maligne affingi possent, quos tamen legitime sumpta apud Jansenium habet.

I. In Scripto trium Columnarum, Janseniani velut Calvinianum ac Lutheranum excludunt sensum istum, *Gratia Christi præveniens talis est, ut liberum arbitrium hominis ab ea motum, & excitatum non possit dissentire si velit. Alterum dicere, Semipelagianum est.* Janseniani captiosis verbis hic profecto illudunt. Cum enim affirmant dogma Catholicum esse Lutherano, & Calviniano adversum, quod liberum arbitrium, si vellet, gratia dissentiret; simul tamen fatentur illud relative ad superiorem delectationem non posse velle dissentire: quia necessitate insuperabili, & ineluctabili movetur ac determinatur ad consentiendum, qui certe ipse est Lutheri, & Calvini error. Adeoque hærent illi semper in solita, & communia sua, æquivocatione, liberum scilicet arbitrium gratia viætrici dissentire posse absolute ac præcisissimis circumstantiis, non vero relative ad illas.

II. Non minus profecto absurdus iste foret, qui diceret, errorem quartæ Propositione contentum ac proscriptum, esse quod omnis gratia sit invincibilis, insuperabilis, & irresistibilis: qui sensus nec Semipelagianis, nec Jansenio potest accommodari. Non Semipelagianis, quos exploratum est adeo capitaliter abhorruisse a gratia invincibiliter, ac insuperabiliter determinante, ut non alia de causa doctrinam S. Augustini infamaverint tamquam novam, & erroneam, quam quod hujusmodi gratiam in ea deprehendisse sibi visi fuissent: Non Jansenio, nemo quippe ignorat, admisam ab illo gratiam inefficacem non viætricem, quia non superiore opposita cupiditate, cum qua animis in solis hæret inefficacibus desideriis.

III. Neque sensus est gratiam efficacem, qualis a Catholicis defenditur, talem esse ex natura sua, ut in sensu diviso non possit suo effectu fru-

strari: Id nusquam docuit Jansenius, imo plane contrarium. In ejus quippe Systemate gratia non absolute, sed relative est victrix; ergo cuicunque gratiae in se, & absolute spectatae dissentiri semper potest, quia opposita concupiscentia semper augeri potest, ac magis inflammari. In eo dumtaxat error ipsius est, quod pertendat gratiae relative superiori voluntatem non posse dissentire, quia necesse est, ut secundum majorem indeliberatam delectationem operetur.

IV. Inde sequitur, quartae Propositionis sensum esse non posse, quod nempe gratia victrix Janseniana omnem oppositam actualem, vel habitualem destruat concupiscentiam: nusquam tale figmentum venit in mente Jansenii; imo docet gratiam quantumcumque victricem semper hac in mortali vita oppugnari adversante cupiditate: quo sensu Janseniani, ut fallant, asserunt, non tantum gratiae parvæ resili, sed etiam effici, quia isti semper reluctatur ex adverso concupiscentia.

V. A mente quoque Jansenii prorsus alienum est dicere, per gratiam efficacem seu victricem sic totam hominis rationem absorberi, ut nullam amplius mali speciem deprehendere possit, aut apprehendat in eo bono, quod amplectitur. Nihil unquam tale cogitavit Jansenius, qui constanter admissit non esse eam in hac vita delectationis victricis abundantiam, & magnitudinem, qua gaudent beati: eius proinde error in eo est, quod negaverit veram, & activam, sub motione delectationis superioris, voluntatis indifferentiam: unamque fere flexibilitatem voluntatis ad bonum, & malum habeat pro vera indifferentia.

VI. Neque hic pariter affungi merito potest quartæ Propositioni sensus, voluntatem sub motione superioris delectationis non retinere physicam, aut etiam moralem potentiam tendendi ad id, quo superior delectatio inclinat, & rapit; quasi haec passive se habeat, & nihil de suo in actum influat. Procul absunt ab illo sensu Jansenius ac Janseniani omnes, qui fingunt (quamquam falso) suam a Lutherana, & Calviniana doctrinam circa libertatem in eo maxime distare, quod Lutherus & Calvinus doceant voluntatem velut inanime quoddam passive se habere sub motione gratiae victricis; se vero contendere, voluntatem active seu vitaliter (tametsi necessario) in actionem influere.

VII. Unde etiam sequitur, sensum dictæ Propositionis esse non posse, quod voluntas nullam omnino partem habeat in bono opere, quod per gratiam exercet; siquidem active sese movet ac determinat: at sensus est, quod nullam eo sensu in eo bono opere partem habeat, quia necessitate insuperabili, & invincibili ita ad bonum determinatur, ut non possit non sequi determinationem illam.

VIII. Denique, sensus Propositionis esse non potest, per gratiam victricem tantam voluntati necessitatem inferri, quanta sequitur ex influxu omnis causæ formalis. Namque necessitas hæc causæ formalis tota est ac prorsus metaphysica, ac a voluntate independens: fieri quippe non potest, metaphysice loquendo, ut justus v. g. ille non sit, in quo est justitia; beatus, in quo est beatitudo: at talis profecto non est necessitas, quæ secundum Jansenium sequitur ex motione delectationis superioris. Quapropter quando lib. 2. de Gratia Christi cap. 4. exemplo influxus causæ formalis utitur, hanc dubie ultra propositum suum abripi-

ripitur, nec vult parem in omnibus esse necessitatis modum; sed hoc unum tantum; effectum scilicet æque certum esse ac infallibilem sub motione gratiæ victricis, ac sub causa formali: seposito modo necessitatis, quo ad rem suam conficiendam Jansenius non indiget.

Sensus Catholicus errori quartæ Propositionis Jansenii oppositus.

Sensus Catholicus debet esse contradictorius erroneo sensui quartæ Propositionis, pro utraque ipsius parte. Nempe: Semipelagiani non admittebant prænientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc non fuerunt hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare. Ergo doctrina Catholica est, supposita gratia quantumvis efficaci, quam Semipelagiani rejiciebant, humanam voluntatem, etiam relative ad hanc gratiam, posse huic resistere, vel obtemperare.

Inde facile est colligere, ad excludendum penitus erroneum quartæ Propositionis sensum satis non esse dicere:

I. Semipelagianos in eo hæreticos non fuisse, quod rejecerint gratiam necessitantem, quæ omnem penitus removeat potentiam ad oppositum: subintelligi quippe potest, ut revera fraudulenter subintelligunt Janseniani, tum necessitas, tum potentia absoluta; non vero relativa, de qua tamen una hic est quæstio.

II. Non in eo fuisse hæreticos, quod admirerint gratiam, cui homo resistere posset, si vellet: per hæc enim verba unam illi intelligunt resistentiam voluntariam, vel conditionatam, quæ cum pendeat a conditione plane impossibili, omnino ficta, & illusoria est; quippe cum fieri nusquam possit, ut voluntas velit dissentire motioni superioris delegationis.

III. Nec sufficit asserere in præsenti statu indifferentiam voluntatis minime destrui per gratiam: namque per indifferentiam, ut vidimus, Janseniani intelligunt flexibilitatem voluntatis, & absolutam, quam habet potentiam faciendi actum oppositum ei, ad quem necessario determinatur.

IV. Neque sufficit affirmare, non omnem sub motione gratiæ victricis tolli potentiam ad non agendum, sed eam tantum, quæ aliquando in actum reducatur: nam in phrasí Janseniana, potentia, quæ in actum non reducitur, dumtaxat absoluta est; non autem relativa, quæ semper est efficax.

Antequam finem huic quartæ Propositioni imponamus, prætermittere non possumus quin ad laudem, & commendationem Goneti, insignis e Schola Thomistica Theologi, observemus, quod cum Tomo 4. Clypei Theologiae Thomisticae disputatione 2. quæ est de hæresi Semipelagianorum art. 3. asseruit in prioribus Operis sui editionibus, quosdam fuisse Semipelagianos, qui naturæ viribus gratiam ad initium fidei adjungentes, tandem in editione Lugdunensi an. 1681. mutasse sententiam circa primam quartæ Propositionis partem. Sic enim habet Tomo 6. in Appendix ad Tractatum de Gratia, ubi de Semipelagianis: *Hæc sententia alias mibi placuit, re tamen attentius, & maturius considerata, dico breviter*

Viter Semipelagianos omnes gratiae prævenientis interioris necessitatem ad initium fidei constantissime negavisse. (1)

Optandum certe foret, ut parem humilitatis, & obedientiae viam iniisset Franciscus Macedo Franciscanus Lusitanus. Hic enim in Libello Londini excuso an. 1653. qui inscriptus est: *Mens diuinus inspirata Santissimo Patri nostro Innoc. X. super quinque Propositiones Jansenii &c.* art. 5. expendens quartam Propositionem idem profitetur, quod Gonetus in primis suis editionibus. Ut autem suam a Janseniana sententiam discernat Macedo, contendit Jansenium 1. 8. de hæresi Pelag. putasse omnes omnino Semipelagianos in eamdem de necessitate gratiae interioris prevenientis ad initium fidei consenserisse opinionem; & eo titulo, assertionem hanc Jansenii quarta Propositione expressam, merito ut falsam, & temerariam damnatam fuisse. Monet insuper idem Macedo, priorem quartæ Propositionis partem quæstionem esse facti, quæ certe fidem proprie non spectat, cum ex humano judicio per se incerto discutienda, & dirimenda sit. Unde addit censuram hæreseos, quia quarta Propositione afficitur, in eam cadere, ut complexa est, & ex duabus partibus constans: porro ad propositionis complexæ hæreticitatem sufficere, ut alterutrum membrum a fide sit alienum, quod de posteriore membro hujus quartæ propositionis dumtaxat verum est.

Respondet Gonetus, citato Tomo 3. quod licet prior pars hujus Propositionis sit quæstio facti, quæ proprie fidem non spectet; quia tamen altera pars ejusdem Propositionis, quæ juris est, cum priore ita connexa est, ut eam necessario presupponat, potuerit, ac debuerit Pontifex primam ut falsam proscribere, ut subinde alteram damnaret tamquam hæreticam.

ADDITIO.

(*)

Contensonii, atque adeo Jansenii de Semipelagianis sententiam a Goneto retractatam instaurarunt Massouliaus T. II. diss. 4. quæst. 3. art. 3. & qui eum laudat, P. Serry T. I. Prælect. Theolog. pag. 458. Sed utriusque præter Gonetum opponimus Natalem Alexandrum in Hist. Eccles. ad Sac. V. cap. 3. art. 8. eos repellentem, qui, inquit, nulla habita ratione propositionis quartæ in Constit. Innocentii X. damnata TEMERE asserunt, Semipelagianos gratiam aliquam internam ad initium fidei admississe.

At potest, inquit P. Berti Apolog. pag. 193. utraque nota hæreseos, Tournely de Gratia. Tom. II. Pars I. V. & fal-

(1) At inquit Augustiniani de Gratia systematis defensor adversus Jansenismi redivivis accusatorem, Gonetus in sua Theologia, cui titulus *Clypeus &c.* impresa item Lugduni eodem anno, nihil ex iis quæ in aliis editionibus dixerat, correxit. Quid tum? Goneti rati retractatio nimis nota & explorata est, ut ea possit in dubium revocari. Quod si post ejus obitum, qui eodem anno 1681. contigit, retractatio ista prætermissa est tam in nova *Clypei* editione, quam in *Manualis*, sive *Venetiis* an. 1691. sive *Patavii* anno 1704. editione; nihil inde inferri potest ad retractationis ejusdem veritatem compertissimam labefactandam; ecquis enim, inquit Viennensis Archiepiscopus in documento *Pastorali* adversus commentitiam apologeticam pag. 82. sibi persuadeat, P. Gonet imprimendum mandasse novum opus Lugduni, in quo expresse fatetur, re attentius & maturius considerata, se a priore sua sententia discedere, eodemque tempore voluisse, ut Lugduni vel alibi idem opus imprimeretur, in quo veterem retractatamque sententiam propugnaret, nulla facta retractationis hujusmodi mentionem?

& falsitatis convenire uni eidemque parti. *Resp. negando assumptum.* 1. *Quia Summus Pontifex aliis propositionibus, quas ut hæreticas damnavit, nunquam notam falsitatis addidit, utpote iniuriam futuram, cum in hæreses nota falsitatis quoque nota includatur.* 2. *Quia propositione quinta uno sensu accepta ut falsa confixa est; alio vero ut hæretica: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut Sanguinem fudisse; falsam, temerariam, & scandalosam: ecce primum sensum; ecce nunc secundum: & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit... hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.* *Ex hac autem quinta propositionis censura constat, quem sensum Summus Pontifex hæreticum statuit, eundem falsum esse non declarasse, ne actum ageret.* Si ergo in quarta propositione hæreses notæ notam falsitatis adjunxit, illud profecto intendit, ut in eamdem partem utraque non caderet, sed falsitatis nota in primam, hæreses in secundam propositionis partem.

(*)

Porro distantiam sententiæ Macedo a sententia Jansenii nullam esse compertum ait, si observes quod licet Jans. l. 8. de hæresi Pelag. non distinguat duplē Semipelagianorum ordinem, non unam tamen eorum fuisse omnium mentem profiteatur l. 7. c. 2. quorum alii ad initium fidei nihil præter naturam exigerent. Quod autem afferit Macedo, primam partem quartæ Propositionis damnatam esse, quod de omnibus Semipelagianis indefinite loquatur, leve est; nam fatetur ipse, damnatam fuisse in sensu Jansenii; at prout est in Jansenio non intelligitur indefinite, sed de aliquibus tantum.

Gonetus candide fatetur Contensonium l. 8. dissert. 3. historica circa errores Semipelagianorum, idem sentire quod Jansenius. Neque vero id mirum videri debet, cum idem eodem Lib. Dissert. 5. afferat quinque Propositiones in Libro Jansenii, (si totius operis seu contextus ratio habeatur) unum dumtaxat spirare per gratiæ per se efficacis sensum, nihilominus ab Alex. VII. merito damnatas fuisse in sensu Jansenii, quia prudenter arbitratæ est S. P. illum fuisse Jansenii sensum, quem verba ipsa in suo naturali sensu indicant. Neque enim tenebatur, inquit, inquirere, an in Operis prolixo decursu solius gratiæ per se efficacis sensum auctor intenderit, quia quemcumque sensum alibi prætenderit, satis est, ut damnetur, quod ea simpliciter affirmet, quæ in connaturali, & aperto sensu inveniuntur a fide aliena. Hæc Contensonius, quibus aperte significat quinque Propositiones damnatas fuisse in sensu obvio, & naturali, quem verba in se ipsis præseferunt, non vero in sensu proprio Jansenii; adeoque errore facti hic lapsum esse Pontificem, cum in hujusmodi facti questionibus, ut ille statim addit, Ecclesia possit errare. Quæ a Jansenii defensoribus statim proferuntur, ut Jansenium absolvant a propugnata quarta Propositione, a nobis jam superius occupata, solutaque sunt, & inferius prolata occasione iterum solventur.

QUINTA PROPOSITIO.

Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut Sanguinem fudisse.

Propositio ex Jansenio legitime excerpta.

Propositio hæc responsonem continet Jansenii ad objectionem petitam ex communi Theologorum doctrina, omnibus scilicet dari gratias sufficientes ad salutem comparandam, quia pro omnium salute Christus mortuus est. Aliud argumentum, ait Jansenius 1. 3. de Grat. Chr. c. 21. pro gratia sufficienti omnium proferri solet, quia Christus est redemptor omnium, juxta illud primæ ad Timoth. 2. Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. Nec enim redemptio omnium ullo modo videtur esse posse, nisi gratiam saltem sufficientem omnibus præparaverit. En objectio, cui sic respondet Jansenius. Respondetur, & hoc argumentum, sicut omnia precedentia, jam olim ad nauseam usque a Pelagianis, presertimque Massiliensibus inculcatum fuit, ut mirum sit recentiores tanto studio trita hereticorum arma colligere, & absoleta recudere.

Jansenius hic illud ipsum adversariis exprobat, quod sibi ab illis jure ac merito objiciendum præsentit; nihil enim prorsus in hac disputatione producit, quod olim ad nauseam usque a Calvinianis inculcatum non fuerit. Nec enim, pergit Jansenius, juxta doctrinam Antiquorum, pro omnibus omnino Christus passus aut mortuus est, aut pro omnibus omnino tam generaliter Sanguinem fudit; cum hoc potius tamquam errorem a fide Catholica abhorrentem doceant esse repandum. Et in fine ejusdem capituli: Illa extensio, inquit, tam vaga modernorum Scriptorum non alio ex capite, quam ex ista generali, & indifferenti voluntate Dei erga salutem omnium, & ex illa sufficientis gratia omnibus conseruanda preparatione fluxit, quorum utrumque Augustinus, Prosper, Fulgentius, & antiqua Ecclesia volut machinam a Semipelagianis introductam repudiavit.

Rursus ibidem. Quæ sane cum in Augustini doctrina perspicua certaque sint, nullo modo principiis ejus consentaneum est, ut Christus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro iustorum non perseverantium æterna salute mortuum esse, Sanguinem fudisse, semetipsum redemptionem dedisse, Patrem orasse, sentiatur. Scivit enim quo quisque jam ab æterno prædestinatus erat ... Ex quo factum est, ut juxta Sanctissimum Doctorem, non magis Patrem pro æterna liberatione ipsorum, quam pro diaboli deprecatus fuerit.

In his testimoniosis manifestum est, docere Jansenium errorem esse Semipelagianum dicere, quod Christus pro omnibus omnino hominibus mortuus sit, aut Sanguinem fuderit.

*Quinta Propositio cum delectatione superiori ac relativa connexa,
unde a Jansenio eruitur.*

Vel ipsa disputationis Jansenii series fontem aperit unde doctrinam hujus suæ quintæ Propositionis hauserit. De gratia scilicet vere sufficiente, sensu aliquorum recentiorum, loquitur, que nempe se sola ex solo nutu liberi arbitrii sine novo Dei auxilio sufficiat ad bene operandum; ac negat ullam in præsenti statu dari huicmodi sufficientem gratiam. Ad probationem vero in contrarium ex eo ductam, quod Christus sit pro omnibus mortuus, ac velit omnes salvos fieri, respondet, utrumque istud esse falsum; adeoque gratiam

- P. 164. vere sufficientem non omnibus concedi. Omnibus vero illis, inquit citato capite 21. l. 3. de Gratia Christi, pro quibus Sanguinem fudit, & quatenus pro eis fudit, etiam sufficiens auxilium donat, quo non solum possint, sed etiam re ipsa velint, & faciant id, quod ab eis volendum, & faciendum esse decreverit. Sufficiens autem illud auxilium, quod Deus aliquibus (pro quibus mortuus est) donat; aliis vero pro quibus mortuus non est, denegat, est delectatio superior, ut patet ex novem primis capitibus l. 4. de Gratia Christi. Se ipsum clare interpretatur Jansenius hoc ipso l. 4. c. 10. in fine. Hinc claret, inquit, eur Augustinus omnem omnino gratiam pure sufficientem . . . auferat. Ratio enim perspicua est, quia cum ei nulla sit gratia operandi praeter istam suavitatem Dei, nisi ista tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum cesserint, vel peccabitur, vel alterante delectationum fluetu, in medio remanebitur; si autem ista superaverit, jam sine dubio bene voluntas operabitur . . . sed utrumlibet fiat, non erit sufficiens gratia, sed vel efficax, vel ita inefficax, ex qua operatio nequidem possit sequi, nisi ejus inefficacia per aliam suppleatur. Hinc perspicis, quam intimo nexu cohæret hæc quinta Jansenii Propositionis cum Systemate duplii delectationis, cuius que inferior est, alteri necessario cedere debet.

Verus, ac germanus quintæ Propositionis Jansenii sensus.

Diar. p. 283. co 1. & 2. Quid de ea sentiendum, quatenus notam hæresis affingit communi Catholicon Theologorum sententia, que afferit Christum pro omnibus omnino mortuum esse: quam Propositionis partem, Ecclesia declarat esse falsam, temerariam, scandalosam.

II. Quatenus ex mente Jansenii Christus non pro omnibus, sed pro prædestinatiorum salute tantum mortuus est; ita ut omnibus reprobis negata sint auxilia sufficientia, quibus possint salvari. Cujus Propositionis partem intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatiorum mortuus sit, Ecclesia declarat impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam.

Verus igitur, ac germanus Jansenii sensus pro utraque hujus Propositionis parte iste est.

Semipelagianum est dicere. Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum fuisse, omnibusque gratias vere sufficientes, quibus salvari possint, præparasse: quia præter delectationem superiorem, ac victricem gratiæ cælestis, non dantur gratia vere sufficientes: ac Christus pro salute dumtaxat prædestinatiorum mortuus est, ita ut omnibus reprobis negata sint auxilia sufficientia, quibus possint salvari. Adeo clare, ac nitide sensum hunc Jansenii representant, tum verba ipsius hic descripta, tum series, ac scopus totius controversiae ab eo institutæ, ut fusiori expositione opus esse non videatur.

Sensus alieni, & extranei, qui quintæ Propositioni Jansenii maligne affingi possent, quos tamen legitime sumpta non habet.

Diar. p. 472. I. Alienus profecto est sensus Lutheri, & Calvinii, quem Janseniani in suo trium Columnarum Scripto rejiciunt his verbis conceptum: *Christus mortuus est tantummodo pro prædestinatis, ita ut ii soli per meritum mortis Christi veram fidem, ac iustitiam accipiant.* Que Propositione, inquiunt,

est heretica, Calviniana, aut Lutherana, a Concilio Tridentino damnata.

II. Dici non potest sensum Jansenii esse, quod nulla legitima ratione possit affirmari Christum pro omnibus mortuum fuisse, quandoquidem id expresse asserit S. Paulus, & Jansenius ipse citato c. 21. l. 3. de Gratia Christi fatetur, *mortuum pro universa Ecclesia toto orbe dispersa, & consequenter pro omnibus hominum generibus, regibus, privatis, nobilibus, ignobilibus &c.* At sensus ejus est. Christum non esse ea intentione mortuum pro omnibus, ut gratias mereretur, quibus omnes possent aeternam salutem consequi: quia nempe non omnibus, sed solis praedestinatis confert gratias illas sufficientes, seu delectationem illam celestem superiorem, ac victricem, quae sola potest ad salutem perducere; & in qua Jansenius virtutem, sufficientiam, & efficaciam gratiae reponit.

III. Nec minus a Jansenii mente alienum est dicere, Christum nullatenus mortuum dici posse pro salute aliquorum reproborum. Namque juxta ipsum in citato c. 21. l. 3. mortuus est pro illis temporalibus gratiae auxiliis, quibus nonnulli reprobi hac in vita donantur; quae cum propria sua natura ad salutem aeternam tendant, ac destinata sint, hoc sensu Christus dici potest mortuus pro salute illorum reproborum. Verum abusive omnino: quia in mente Jansenii non eo animo mortuus est Christus, ut ipsis meretur gratias pares ac sufficientes debellanda majori actuali eorum concupiscentiae, & aeterna saluti procuranda. *Illis enim, ait citato c. 21. charitatem sine perseverantia, aut fidem sine charitate concedit ... Ac pro ibid. p. 164. col. 2. B. C. in tantum (Christus) mortuus est ... & in tantum rogavit Patrem, in quantum temporalibus quibusdam divinae gratiae effectibus exornandi sunt ... Et postea: Cui nullo modo prodest mors Christi, (nempe ad salutem assequendam) pro illo nec Sanguinem fudit; nec mortuus fuit . . . nec magis pro aeterna liberatione ejus, quam pro diabolo Patrem deprecatus fuit.*

Quapropter diligenter hic observanda, & præcaenda Jansenianorum æquivocatio ac fallacia. Ulro negant illi Propositionem his verbis conceputam, *Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus est*, referendo particulam istam *dumtaxat*, ad salutem; quia nempe fatentur mortuum etiam pro temporalibus illis gratiae donis, quibus nonnulli reprobi hac in vita exornantur: at si particulam, *dumtaxat*, referas, ut referri debet, ad vocem praedestinatorum, ut sensus sit, *Christus pro salute praedestinatorum dumtaxat*, seu pro salute solorum praedestinatorum mortuus est, non negabunt; quia iis solis concedi a Christo volunt gratiam vere sufficientem, qua salus potest obtineri.

IV. Neque etiam Jansenii sensus est, Christum pro omnibus mortuum non fuisse quantum ad sufficientiam pretii; sed sensus est, non esse mortuum quantum ad intentionem offerentis illud pretium, & applicationem illius per media, quae vere sufficient omibus redimendis. Ulro quippe Jansenius agnoscit ibidem, *phrasim istam, qua quis dicitur se pro aliquo redemtionem dare, præferre redemtionem ex redimentis animo, in usum ac liberationem captivorum offerri ac dirigi: alias dici posset Christus etiam pro 2. B. demonibus se dedisse redemtionem, quibus redimendis sine dubie pretium Sanguinis ejus fuit sufficiens.*

V. Nec etiam Jansenio sensus iste potest affingi, nullam in Christo pro salute reproborum velleitatem fuisse, aut eam omnino sterilem, & otiosam fuisse, quasi ex se ipso eo non inclinasset, ut vel innocentia nature gratiam, quam acce-

perat, conservaret, vel lapsę sufficientem conferret, nisi eam prorsus invilem ac sufficientem redderet depravata hominis voluntas: At sensus est, velleitatem illam tam tenuem, & infirmam esse, ut Christum non adducat ad conferenda reprobis auxilia, quę satis virium habeant ad oppositam maiorem superrandam cupiditatem, & consequenter ad procurandam ipsis salutem aeternam.

VI. Denique, Propositionis Jansenii sensus non est Deum noluisse omnes homines salvos fieri, eos in se ipsis considerando, quatenus creaturæ sunt ad imaginem suam conditæ, facta peccati eorum præcisione; neque enim id unquam docuit Jansenius: At doctrina ipsis est, Deum considerando hominem in statu peccati, & ardenter cupiditatis, non velle amplius ipsi conferre gratiam vere sufficientem, qua possit, & concupiscentiæ superioris ardorem temperare ac vincere, & salutem aeternam adipisci.

Sensus Catholicus errori quintæ Propositionis Jansenii oppositus.

Cum duplex in quinta Propositione sit Jansenii lapsus, 1. quod communem Theologorum sententiam de morte Christi pro omnibus, velut errorem Semipelagianorum traducat: 2. quod asserat Christum pro salute dumtaxat prædestinorum mortuum fuisse, duplex hic est opposita Ecclesiæ veritas. 1. *Falsum esse, temerarium ac scandalosum dicere, Semipelagianum esse affirmare, quod Christus pro omnibus mortuus fuerit.* 2. *Impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, & hereticam esse illorum sententiam, qui asserunt Christum pro salute dumtaxat prædestinorum mortuum fuisse, ita ut omnibus reprobis negata sint auxilia sufficientia, quibus possint salvari.*

Diar. p.
285. col.
2.

Atque hoc sensu examinata Propositione, ajebat Hallerius in famoso Scripto toties citato, *intacta relinquuntur difficultates, quæ occurruunt aut circa infantes sine Baptismo decedentes, aut infideles, aut obdurateos.* Nam, qui dicit Christum non pro solis prædestinatis esse mortuum, non dicit consequenter pro quolibet reprobo in particulari mortuum esse, sed sufficit, quod pro aliquibus saltē reprobis mortuus sit. Quod aut pro iustis saltē non perseverantibus mortuus sit, patet ex Conc. Trid. ubi definit iustis mandata Dei non esse impossibilia, quia Deus iis gratiam necessariam suppeditat. Si enim possunt observare mandata, possunt salvari, ac nonnisi ex meritis Christi: *Idem sessione 6. c. 3. Veruntamen et si ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt; at illi non alii sunt, quam reprobis.* Sic Hallerius eum præcise sensum errori quintæ Propositionis contrarium assignat, qui ad fidem Catholicam pertinet.

Ut igitur perfecte, ac presele removeatur error quintæ Propositionis Jansenii, non satis est dicere, vel Christum pro salute tantum prædestinorum mortuum non fuisse; vel pretium Sanguinis ejus sufficientissimum fuisse omnibus redimendis, vel aliquam pro salute omnium velleitatem eum habere; imo voluntatem antecedentem quandam, vi cuius præparet auxilia, vel gratias conferat, quę ex se se propriaque natura absolute, ac præcisus subjecti presentibus dispositionibus possint ad salutem perducere: sed necesse est aperte profiteri, præter delectationem superiorem seu vietricem gratiam electis concessam, alias a Deo vi voluntatis antecedentis, aut præparari, aut dari vere sufficientes, quibus saltē quidam reprobi, etiam relative ad quamlibet suam actualem concupiscentiam, possunt saltē mediate, sensu superius exposito, & mandatum urgens observare, & salutem assequi, & hoc sensu, Christum pro salute dumtaxat prædestinorum mortuum non fuisse.

Di.

Discrimen gratiae vicitricis per delectationem superiorem relativam sensu Jansenii, tum a promotione physica Thomistarum, tum a gratia efficaci per delectationem simpliciter vicitricem sensu quorundam aliorum Theologorum.

Solent Jansenii defensores, ut omnem a se suspicionem erroris amovent, Augustinianæ, ut vocant, aut Thomisticæ Scholæ discipulos se profiteri ac duo constanter affirmare.

Primum; efficacem a se gratiam, quam tuentur, eumdem habere operandi modum, neque plus nocere libertati voluntatis, quam physicam Thomistatum præmotionem. Ita profitetur Jansenius lib. 8. de Gratia Christi c. 4. *Istud auxilium, inquit, eumdem habet operandi modum, qui physicae prædeterminationi tribui solet ... eodemque modo libertas voluntatis sub illo Christi auxilio incolumis manet, quo sub physicae prædeterminatione salvatur. Quapropter quidquid physicæ prædeterminationis defensores pro sua sententia protulerunt, ut liberum arbitrium sub ea salvum esse persuadeant; quidquid etiam ad dissolvenda oppugnantium argumenta, telaque repercutienda moliti sunt, pro hac sententia dictum puta.*

Secundum, plures doctrina, & pietate illustres Theologos docuisse, ac *Ibid.* etiamnum innoxie, & sine ulla reprehensione docere, vim gratiae efficacem oriri ex interna ipsius suavitate seu delectatione vicitrice, quam unam propugnandam sibi Jansenius proposuit.

Econtra contendimus inter has duas opiniones, & doctrinam Jansenii, latissimum esse discrimen.

Magnum est discrimen inter modum explicandi efficaciam gratiae per physicam Thomistarum præmotionem, & per delectationem relative superiorem Jansenii.

Dico igitur r. Inter sententiam Jansenii de gratia efficaci per delectationem relative, ac per gradus vicitricem; & prædeterminationem physicam sensu Thomistico, multum esse discriminis.

Hoc indicat vel ipsum capit secundum l. 8. de Gratia Christi, quod Jansenius sic inscribit: *Varia discrimina proferuntur inter adjutorium Dei medicinale & prædeterminationem physicam*, prout a defensoribus ejus traditur.

Duobus præsertim modis prædeterminationem seu præmotionem physicam exponunt ejus defensores. Nonnulli præter voluntatem divinam, quæ liberam hominis voluntatem ipsa etiam in justis habituali gratia instruetam ad opus applicat, requiri volunt, vel qualitatem quamdam transiuntem, vel saltem motionem quamdam virtuosam, quæ sit instrumentum Dei ad producendum in libero arbitrio pium voluntatis motum. Alii autem medium illam, vel qualitatem, vel motionem virtuosam omnino repudiant, & ipsam gratiam efficacem nihil aliud esse statuunt, quam gratuitum Dei favorem, misericordiam, ac ipsam Dei operationem, quæ simul cum libero arbitrio, prius tamen ordine causalitatis, quam liberum arbitrium, bona voluntatis in nobis producit. Hic postremus modus explicandi physicam præmotionem, alio longe communior videtur, ac vulgatior inter Thomistas; quoconque autem modo explicetur, plurimum distat, judice Jansenio, illa physica prædeterminatione, a gratia sensu Jansenii efficaci, per delectationem scilicet relative vicitricem. Varia discrimina refert ipse Jansenius citato capite 2. l. 8. de Gratia Christi.

Ibid. C. I. Quia, inquit, juxta sententiam istorum recentiorum, prædeterminatio physica est motio nescio quæ virtuosa, quæ habet esse quoddam incompletum, & sit in voluntate per modum, quo colores sunt in aere, & impetus in re, quæ impellitur . . . Gratia vero Christi Augustino est verissimus motus voluntatis.

II. Prædeterminatio physica non est eis actus vitalis animi, sed alius, cui voluntas tantum passive subjacet. Christi autem adjutorium est actus verus, & vitalis, qua anima haud secus afficitur, & movetur in Deum, ac quando simili delectatione terrenis rebus inhæret.

Ibid. col. 2. B. III. Prædeterminatio physica talis esse dicitur, ut in quibuscumque circumstantiis voluntas collocetur, semper faciat facere, & operetur effectum suum, omnemque supereret resistentiam: Christi adjutorium nullo modo. Nam delectatio victrix, quæ Augustino est efficax adjutorium, relativa est. Tunc enim est victrix, quando alteram supererat. Quod si contingat altera ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis barebit animus, nec efficaciter unquam volet, quod volendum est.

Ibid. C. IV. Quod Prædeterminatio physica sit instar concursus cuiusdam generalis Dei in ordine supernaturali: adjutorium Christi nullo pacto. Nihil enim ei respondet in agentibus naturalibus.

Ibid. D. V. Prædeterminatio physica necessaria statuitur omnibus agentibus ex vi causæ secundæ, quæ essentialiter tam in operari, quam in esse suo subordinatur primæ, a qua ad agendum præmoteri debet: Christi adjutorium nequaquam, sed lœsa voluntati propter solum vulnus necessarium est, quod ei inflxit peccantibus voluntatis audacia . . . Nam inde gratia Christi medicina, & adjutorium medicinale dicitur.

VI. Prædeterminatio physica in agentibus liberis insuper exigitur, propter naturalem indifferentiam voluntatis, quam, ut aliquid agere possit, prædeterminare debet: Christi adjutorium nequaquam. Nam nisi concupiscentiis voluntas vulnerata, sicut in quadam corporis membra, ita etiam in appetitus suos proprium perdidisset imperium, nulla Christi gratia eam determinare debuisset; quemadmodum in sanctis Angelis plane, & Adamo nonnihil patuit, qui diu absque Christi adjutorio in sanctitate manserunt.

Ibid. p. 145. col. A. VII. Prædeterminatio physica expresse dicitur statui innocentiae tam Angelorum, quam hominum fuisse necessaria: Christi adjutorium ei repugnat capitaliter, sicut Augustinus ex professo docet . . . Itaque Christi adjutorium non propter indifferentiam voluntatis determinandum; non propter generalem causæ secundæ a prima dependentiam; non propter actuum bonorum supernaturalitatem; sed propter solum liberi arbitrii impotentiam, & fractas voluntatis vires, quæ ex libidinum terrenarum dominatione prostratae sunt, hominibus lapsis . . . præparatum est . . . Quapropter, qui medicinalem Christi Salvatoris gratiam sic defendere conantur, ut eam in talem prædeterminationem physicam transforment, omni statui hominum lapsorum, & innocentium ex vi causæ primæ, & indifferentiæ voluntatis necessariam, magis profecto Aristotelici, quam Augustiniani sunt. Nam talis prædeterminatio sic asserta . . . universam doctrinam ejus inexplicabili confusione perturbat. Haec tenus Jansenius.

Inter illas vero causas discriminis a Jansenio mox assignatas, due maxime sunt; quibus evidenter patet delectationem victricem ac relativam Jansenii maxime nocere libertati voluntatis.

Prima est, præmotionem physicam esse instar concursus cuiusdam generalis in ordine supernaturali: adjutorium, vero Christi, hoc est, victricem gratiarum dele-

stationem, *nullo pacto*. Si autem præmotio physica est instar concursus; sequitur 1. eam dari ad exigentiam causæ secundæ. 2. eam esse actionem ipsam liberam creaturæ, quatenus a Deo procedit. 3. eam ad actum secundum pertinere, non ad primum: adeoque facultatem seu potentiam, accedente illa præmotione, in eo ipso remanere statu infirmitatis vel roboris, in quo erat ante præmotionem; ita ut tantum ab actu primo exeat in secundum, nullo novo ex parte actus primi roborata præsidio, seu nulla facta ex parte potentiae reali mutatione. Non ita est victrix Jansenii delectatio: namque 1. non datur ad exigentiam causæ secundæ, quandoquidem, ut vidimus, justis quibusdam volentibus, conantibus secundum præsentes quas habent vires, non conceditur. 2. non est actio ipsa creaturæ libera, quia delectatio est actus indeliberatus. 3. ad actum primum necessaria est; hac enim præsente, ut toties ex Jansenio vidi-
mus, potentia est expedita ad agendum; absente, actus non est in ejus potestate: ergo confert actum primum. 4. Inde fit, quod ea accedente, realis fiat in facultate ipsa mutatio, nec sit tantum applicatio ipsius ad actu secundum. Ex his omnibus perspicuum est, quam merito delectationem victricem a motione prævia supernaturali Thomistica seu a gratia prædeterminante distinguendam esse prædicet Jansenius.

Ex qua discriminis ratione explicatur non incommodo, quomodo sub physica præmotione libera, & expedita dici possit potentia seu facultas, non vero sub delectatione superiori ac relative victrice. Namque cum præmotio illa physica unice se teneat ex parte actus secundi, ea absente, facultas, per gratiam sufficientem Thomistico sensu, libera, & expedita est ad bonum, atque satis virium habet, ut actualem concupiscentiam, tametsi ardentissimam vincere possit. Atque proportione servata, idem de præmotione ad actu supernaturalem judicandum, quod de præmotione ad actu naturalem. Ista porro prius, quam accedat, potentia seu facultas apta, & expedita supponitur in actu primo: v. g. antequam homo actu intelligat, & velit &c. Supponitur habere naturalē facultatē expeditam ad intelligendū, volendū &c.

Econtra, cum victrix Jansenii delectatio ad potentiam ipsam seu actum primum pertineat, voluntas tali delectatione destituta nihil boni plene ac perfecte velle potest, atque impossibile omnino ipsi est per parvam, seu inferiorem gratiam, vincere superiorem concupiscentiae delectationem: unde necessario sequitur, facultatem his in circumstantiis hac relative ligatam esse, seu nec liberam, nec expeditam ad bonum.

Altera capitalis discriminis ratio ex Jansenio hæc est, quod prædeterminationis physica in agentibus liberis exigitur propter naturalem indifferentiam voluntatis; hoc est, ad illam indifferentiam, indeterminationem, & suspensionem actus tollendam, necesse est voluntatem ex se indeterminatam a prima caussa determinari: at superior delectatio eum in finem non datur, quia ex Jansenio, nulla in præsenti statu talis est activa voluntatis indifferentia. Tantum abest, juxta S. Augustinum, ait cit. cap. 2. L. 8. gratiam Christi propter ^{Ib. p. 345} col. 2. Eo. indifferentiam esse necessariam: ut potius propter amissam indifferentiam ejus, & propter servitutem ac depressionem ejus sub libidinibus necessaria sit.

Præmotio igitur physica supponit prælentem voluntatis indifferentiam; delectatio vero Jansenii eam jam perditam, & amissam supponit: unde sequitur per præmotionem illam non conferri potentiam ipsam agendi, quæ sine

sine ipsa perfecta, & completa supponitur, sed dumtaxat tolli indifferentiam ac suspensionem actus; econtra per delectationem Jansenii, non tolli actus indifferentiam, cum nulla jam sit; sed conferri expeditam, & completam ad agendum potentiam seu facultatem: adeoque ea absente, facultatem ligatam esse, seu nec liberam, nec expeditam, nec completam relative ad oppositam delectationem. Notandum porro indifferentiam illam, quam hic rejicit Jansenius, non esse Molinisticam, sed Thomisticam: ea enim ipsa est, quam quidem fatetur Thomistas admittere, sed admissem ab ipsis ingemit.

Dices 1. Jansenius eodem plane modo afferit, & explicat remanere sub motione victoris delectationis facultatem liberam, & expeditam ad oppositum, quo Thomista sub physica prædeterminatione: non ergo erroris incusanda magis est illius sententia, quam Thomistarum. Sic ille loquitur L. 8. de Gr. Chr. c. 20. *Dicimus liberum arbitrium, quantumcumque*

*vehementi atque efficaci gratiae delectatione preventum atque determinatum ad faciendum bonum, adhuc tamen posse bonum non tantum non facere, sed etiam male-
lum. Verum est enim istud non quidem in sensu composito, ut vulgo dici solet, sed in sensu diviso. Nam mirum quia eodem tempore, quo voluntatis arbitrium sub gratia delectatione efficaciter eam movente positum est, imo quo etiam actum voluntatis bonum facit, est in eadem voluntate potestas illud non faciendi, imo peccandi; non quod cessatio ab actu, quem tunc elicit, aut actuale peccatum cum gratiae delectantis influxu confistere possit, (quod sensus compositus postularer) sed quia cessandi, & peccandi potestas cum eadem gratia simul in eodem voluntatis arbitrio conjungi potest. Nam quamvis duo actus contrarii sint oppositi, & in eadem voluntate simul esse non possint: potestes tamen ad opposita non sunt opposita, nec sibi invicem, nec actibus oppositis, & in eodem simul subjecto, sive agente, sive quiescente commorantur. Hec Jansenius omnino consona modo loquendi Thomistarum.*

Sic enim Alvarez disp. 115. n. 3; & 4. loquitur: *Potentia ad unum actum non repugnat potentia ad actum contrarium, nec etiam repugnat actui contrario: actus autem contrarii repugnant inter se in eodem subjecto.* Et infra: *Notandum 2. in-*

quit, quod, cum dicitur potentiam liberam esse, quæ, positis omnibus requisitis ad operandum, potest operari, & non operari, etiam in sensu composito, hoc dupliciter intelligi potest: primo, ita ut compositio fiat inter prærequisita ad operandum, & potentiam operandi, & non operandi: & tunc sensus est, quod potentia ad operandum, & non operandum stat simul in eodem subjecto cum antecedenter prærequisitis ad talēm operationem; & hic sensus verissimus est. Secundo modo potest intelligi, ita ut compositio fiat inter antecedenter prærequisita ad operandum talēm actum, & carentiam talis actus, seu actum ipsum contrarium; & tunc sensus est, quod omnia prærequisita, etiam ex parte Dei, ad operandum talēm actum particularem, & carentia ejusdem actus, seu actus contrarius, possint esse, aut aliquando sint simul in eodem subjecto. In hoc sensu intendimus prædictam definitionem impugnare. Ita Alvarez insignis inter Thomistas.

Resp. revera Jansenium, ut sicut faciat, consuetas Thomistarum loquendi rationes aliquando usurpare. Sed quæ apud istos immoxix sunt, ac omni carent suspicioae, apud illum errorem involuntac continent, & eo quidem periculosius, quod sub verbis in speciem Catholicis delitescat. Cum Thomista afferunt, stante præmotione physica ad unum; remanere liberam & expeditam facultatem ad oppositum; facultatem seu

potentiam intelligunt, non absolute, sed relative ad præsentes subjecti dispositiones. Absente v. g. efficaci præmotione ad bonum, agnoscunt adhuc in iustis gratiam sufficientem per quam relative ad quilibet actuali eorum concupiscentiam, possint bonum operari, saltem impetrando auxilium efficax ac physice præmovens. Econtra cum Jansenius ait sub motione vietricis delectationis cælestis, stare potestatem ad oppositum, potestatem intelligit absolutam, spectata scilicet natura concupiscentia, quæ ad malum tendit, non vero potestatem relativam ad superiorem gratiæ cælestis delectationem: sub illo ctenim respectu, necesse est inferiorem concupiscentia delectationem cedere superiori delectationi gratiæ. Similiter cum docet in iustis, dominante actuali concupiscentia, veram esse per gratiam parvam, ad bonum expeditam facultatem; intelligit absolute ac spectata in se natura gratiæ, quæ ad bonum perfectum tendit, non vero relative ad superiorem concupiscentiam: hoc enim respectu ligata est, seu non libera, nec expedita ad bonum facultas, quia fieri non potest, ut inferior delectatio vincat superiorem. *Iustitia vel peccati delectatio*, inquit Jansenius L. 7. de Gr. Chr. c. 5. est illud *vinculum*, quo liberum arbitrium in iustitia, vel peccato ita firmiter ligatur, & retinetur, ut quādiu isto stabiliter possidetur, ac constringitur, actus oppositus est extra ejus potestatem.

T. 7. p.
315. col.
1. D.

Hanc absolutam potestatem præ oculis habebat Jansenius, cum L. 8. c. 20. de Gr. Chr. scribebat esse in nobis perfectissimam peccandi potestatem, non tantum quia voluntas est de se ad malum flexibilis; non tantum quando gratiæ delectatione caret, sed etiam quando intima ejus suavitate efficaciter trahitur. Propter quam sane, inquit, liberum arbitrium qualicumque gratia ad agendum rapiatur, rectissime dici potest posse peccare; licet fieri nequeat, ut ipsum peccatum simul in sensu composito cum gratiæ operatione societur. Quomodo potest liberum arbitrium, in mente Jansenii, sub efficaci gratiæ motione peccare? An potentia relativa ad superiorem delectationem cælestis gratiæ? Minime: id quippe fieri neutquam potest. Sed potentia dumtaxat absoluta, spectata præcise natura concupiscentia, quæ sufficientem de se virtutem confert voluntati ad peccandum; seu quæ principium ex se sufficiens est ad voluntatem ad peccatum inclinandam.

Eadem æquivocatione potestatis absolutæ vel relativæ abutuntur Janseniani, cum ajunt iustis, absente gratia efficaci, per gratiam aliam parvam conferri ad bonum opus potentiam sufficientem, sufficientissimam, completam, *completissimam*, plenam, plenissimam, expeditam, expeditissimam. Non aliam his magnificis vocibus potentiam intelligunt, quam absolutam, & abstractam, spectata scilicet in se simpliciter, & absolute natura gratiæ, sicut sepius observavimus, non vero relativam ad actuali superiorem concupiscentiam.

Abutuntur pariter Janseniani ista loquendi ratione nonnullorum Thomistarum; nempe, Voluntas sub præmotione ad peccatum, non habet potentiam ad oppositum junctam cum actu, licet habeat potentiam ab actu sejunctam. Illi etenim Catholicæ, nomine potentia ab actu sejuncta, non modo absolutam, sed etiam relativam potentiam intelligunt: Janseniani vero solam absolutam, non relativam; quia potentia ab actu sejuncta, in ipsorum mente, est tantum absoluta. Namque non potest haberi potentia relativa, nisi Deus eam dari velit: atqui non vult eam dari, cum præbet tantum delectationem effectu ulteriori vacuam; ut enim eam poten-

Paulus Iren.
disp. 3.
n 22. p.
207. col.
2.

tentiam relativam velit dari, debet delectationem cælestem conferre ex voluntate, quæ commensuraret illam, paremque faciat cum gradu actuali concupiscentiæ vincendæ. Neque enim fieri potest, ut casu, & sine ulla ex parte Dei voluntate, ipsi proportionata gratia inveniatur; alioquin non Deo tunc tribuenda foret victoria concupiscentiæ. Jam vero cum Deus delectationem cælestem effectu ulteriori vacuam concedit, non commensurat eam cum gradu concupiscentiæ actuali vincendæ, quippe quæ conceditur tantum ex voluntate antecedenti, quæ præscindit a circumstantiis concupiscentiæ, & quæ sola inefficax est; ergo potentia, quam tunc habet voluntas, non est relativa: ergo potentia, quæ non est cum actu conjuncta, in systemate Jansenianorum est tantum absoluta. Adde, quod potentia ab actu sejuncta ideo talis est, quia fluit a delectatione inferiori concurrente cum delectatione superiori: unde potentia, quam potest conferre delectatio inferior, non potest esse relativa propter virium inæqualitatem ad debellandam oppositam majorem concupiscentiam: unde est tantum absoluta, in quantum est delectatio, quæ ex se, & natura sua nata apta est ad concupiscentiam in genere debellandam.

Dices 2. Paulus Irenæus Disq. 6. art. 6. declarat delectationem viætricem pertinere ad actum secundum, non vero ad primum. *Duplex est potestas, inquit, duplex posse: alia actus primi, alia actus secundi: alia, quæ interiore virtutem notat, alia, quæ etiam impulsionem, & applicationem ad agendum involvit.* Ex hoc postremo genere est viætrix delectatio: impellit illa ad agendum, movet, applicat, eo prorsus modo, quo Thomistæ de physica prædeterminatione sentiunt.

Resp. 1. Jansenium L. 8. de Gr. Chr. c. 2. mox citato, expresse distingue delectationem suam viætricem a præmotione Thomistarum, in coquod hæc se habeat instar concursus, non vero delectatio viætrix. Si autem non se habet instar concursus, necesse est ut ad actum secundum dumtaxat non pertineat, sed ad actum primum: qua ergo fide affirmat Paulus Irenæus, ad actum secundum dumtaxat requiri a Jansenio delectationem viætricem, eo plane modo, quo Thomistæ de physica prædeterminatione statuunt. Et certe cum juxta Jansenium L. 3. c. 15. *gratia Christi simul offerat posse, quod volumus, & velle, quod possimus:* cum juxta p. 4. col. 2. eumdem multis in locis, absente delectatione superiore gratiæ, voluntas C. non sit expedita relative ad oppositam delectationem superandam, delectatio superior ad ipsum actum primum necessario requiritur.

Resp. 2. Nec ab ipso Paulo Irenæo, nec a quovis defensore systematis delectationis utriusque, merito dici posse delectationem superiore non requiri ex parte actus primi: manifestum enim est ex dictis, delectationem superiore conferre potentiam; porro, quod confert potentiam, se tenet ex parte actus primi. Præterea Dionysius Raymundus 1. par. c. 1. ar. 6. inutilem asserit istam questionem, posseque asseri sine fidei dispensio, gratiam efficacem, seu viætricem delectationem tenere se ex parte actus primi. Neque vero Paulus Irenæus meliori fide exponit doctrinam Jansenii p. 198. Disquisitionum suarum, cum dicit ipsum admisisse gratiam sufficientem Thomisticam, sub nomine adjutorii possibilitatis, de quo agit L. 5. de hæresi Pelagiana c. 11. ibi enim Jansenius aperte rejicit ab hoc statu tale adjutorium possibile, & ad solos Pelagianos remittit.

Dices 3. In sententia eorum Thomistarum, quibus placet præmotionem phy-

physicam esse qualitatem quādam, quā prioritate temporis, aut saltem naturae, & causalitatis antevertit voluntatis actionem, præmotio ad potentiam ipsam, seu actum prium, non vero ad actum dumtaxat secundum pertinet. Idecirco etenim qualitas hujusmodi in potentia recipitur, ut eam perficiat, & compleat in actu primo: qui profecto modus explicandi physicā præmotionē, iis prorsus omnibus incommodis, ac difficultatibus subjet, quibus superior delectatio Jansenii; utraque enim tenet se ex parte potentiae, seu actus primi. Atqui tamen hanc nonnullorum Thomistarum opinionem Ecclesia non improbat; ergo nec improbanda etiam videtur superior Jansenii delectatio.

Resp. physicam præmotionem duobus modis dici posse qualitatem.

Primo, ut sit qualitas, seu forma quādam completa, quā prioritate temporis antecedat voluntatis actionem: quo sensu, ut verum est dicere eam ad potentiam ipsam, seu ad actum primum connaturalius pertinere, ita nec tuto defendi posse. Quapropter Thomistæ communī suffragio eam rejiciunt, in qua norunt se non posse confistere. Eam, Dei motionem, ait P. Massuolie in Pag. 66. Opere cui titulus est: S. Thom. sui interpres Dissert. 1. art. 16. *quam extranei nobis affingunt qualitatis, vel formæ completae, qua voluntatem hominis ad suos actus efficiendos veluti tradat, & adigat, nostræ diffimilimam esse dubitari non potest.*

Secundo, præmotio dici potest qualitas quādam fluxa, & transiens, seu motio quādam virtuosa, quā prioritate naturae, & causalitatis antecedit actionem creatam: *Quæ quidem motio nihil aliud est,* ait auctor mox citatus Ibid. art. 15. præter eam Dei rebus omnibus, ipsique voluntati inexistentis operatio- Pag. 62. *nem; eamque efficacem applicationem, & blandam inflexionem, qua Deus voluntatem stetit, eamque inclinat ad quocunque voluerit.* Quam quidem physicam motionem, ibid. ait esse quoddam ens incompletum, cuiusmodi est motus impressus instrumento ab artifice.

Sepposita jam veritate, aut falsitate hujus sententiae, de qua hic non est quæstio, certum est hanc præmotionem physicam ad actum dumtaxat secundum, non vero ad primum, seu ad potentiam ipsam, pertinere; cum sit ens incompletum, & intentionale, cuius ratio, & natura tota, pergit eodem c. 15. P. Pag. 62. Massoulie, *posita est in ipso fieri, in via, & transitu: cuiusmodi est color, ipsaque species coloris in aere, dum fertur ad visum.* Ergo ex hac maxime parte distat præmotio physica a delectatione superiori, & relativa Jansenii, quod hæc actum primum simul, & secundum conferat, illa dumtaxat secundum.

Neque refert, quod appelletur aliquando complementum actus primi. Cum enim actus primus ex se tendat ad secundum, præmotio physica, quā dat actum secundum, potest hoc sensu appellari complementum actus primi: non autem sensu, quod, ea absente, vera plane non sit potentia, seu actus primus. Adde Thomistas, de quibus loquimur, agnoscere esse in justis, absente gratia physice præmovente, gratiam sufficientem, per quam vere, ac proprie possunt, etiam relative ad quamlibet eorum actualem concupiscentiam, observare præcepta, & tentationem superare: quam relativam potestatem Jansenius non admittit, nec potest in suo systemate admittere.

Dices 4. Jansenii systema magis favet libertati hominis, quam Thomisticum, pro statu innocentiae, quandoquidem quantum ad illum statum, Molinianum est. Econtra, sistema Thomisticum idem est proutroque statu, ac proinde semper, & ubique rigidum, minusque favens libertati.

Resp.

Resp. 1. Controversiam hic non moveri de statu innocentiae, qui non existit amplius, sed de statu praesenti.

Resp. 2. In omni systemate etiam Moliniano, proindeque & Janseniano circa statum naturae innocentis, nonnihil mysterii, ac difficultatis intricatae latere, sicut observat auctor Libri cui titulus: *Système de M. Nicole sur la Grace*, in fine. Ubique Deus vere est absconditus: neque enim minus necesse est recurrere ad altitudinem, & profunditatem judiciorum Dei in illo systemate, quam in altero, dum queritur, cur Angelis, qui praesciti erant non perseveraturi, & ipsi Adamo, gratiam uberiorem, qua perseverarent, non concessit Deus; & illis solam eam conferre voluit, cum qua ipsos casueros noverat.

Resp. 3. In statu innocentiae datas fuisse in systemate Thomistico gratias vere sufficientes, quibus Angeli mali, & Adam perseverassent, si voluissent.

Urgebis 1. Eriam pro statu naturae lapsæ magis libertati favet systema Jansenii, quam Thomisticum: quia repugnat actum ulteriore conjungi cum gratia sufficiente Thomistica, non item cum delectatione parva Jansenii.

Resp. nego ant. ejusque probationem. Quod enim repugnat, nunquam contingere potest: atqui contingere potest actum conjungi cum gratia sufficiente Thomistica.

Probabis antecedens. In systemate Jansenii, inferior delectatio evadet superior, ac perfectum consensem voluntatis exprimet, si mutantur intrinsecæ dispositiones subjecti: at etiamsi, in systemate Thomistico, mutantur illæ dispositiones, gratia tamen sufficiens Thomistica effectum nusquam obtinebit, nisi accidente physica præmotione.

Resp. In systemate Jansenii dici non posse eamdem esse potentiam, quæ per delectationem inferiorem confertur, & quæ reducitur ad actum, cum mutantur intrinsecæ subjecti dispositiones. Namque tunc prorsus mutatur potentia, mutatis subjecti dispositionibus, quandoquidem potentia illa tota relativa est ad dispositiones subjecti. Econtra vero, cum accedit præmotio physica, eadem prorsus, quæ erat antea, permanet potentia; quia, ut Sæpius dictum est, præmotio tenet se dumtaxat ex parte actus secundi: nec magis sequitur in systemate Thomistico, mutari potentiam, quando accedit præmotio physica, quam mutetur in aliorum sententia, per concursum; quandoquidem præmovens gratia, teste Jansenio, est instar concursus generalis.

Urgebis 2. Saltem minus aliquid est mutari dispositiones intrinsecas subjecti, seu minui concupiscentiam, quam dari novum ex parte Dei auxilium, per modum principii activi essentialiter ad actum requisiti: sed primum sufficit in systemate Janseniano, secundum requiritur in systemate Thomistico.

Resp. 1. non posse minui concupiscentiam nisi per aliquod auxilium Dei saltem externum; alias sibi ipse homo tribueret efficaciam vietricem gratiae, quæ ex sola concupiscentiae imminutione repeteretur.

Resp. 2. dist. ant. Est quid minus in ordine ad actum secundum, concedo: est quid minus in ordine ad actum primum, de quo hic agitur, nego. Porro physica præmotio tenet se ex parte actus secundi.

Neque te moveat, quod in systemate Thomistico requiratur aliquid novum in ordine ad actum secundum: hoc ipsum enim etiam occurrit in systemate Jansenii, in quo præter imminutionem concupiscentiae, aliquid novum nec-

cessarium est, ut potentia reducatur in actum, gratia scilicet adjuvans, & cooperans. Nam minus quantum volueris concupiscentiam, non tamen propterea sine aliquo ex parte Dei, quantum ad actum secundum, auxilio, fortior voluntas producetur: Unde licet ex parte potentiae non requiratur nisi imminutio concupiscentiae, aut mutatio dispositionum subjecti; tamen ex parte actus secundi, requiritur in omni systemate, etiam Janseniano, ut potentia reducatur in actum, aliquid Dei auxilium, quod vices gerat concursus.

Urgebis iterum: Saltem non frequenter, in sententia Thomistica, gratiae sufficienti accedit physica præmotio, unde, & raro potentia illa Thomistica reducitur in actum: non ita vero in sententia Jansenii, nam sèpius per solam imminutionem concupiscentiae, & concursum supernaturalem homo agit.

Resp. Quidquid sit de systemate Janseniano, nam gratis fingitur potentiam sèpius ad actum non reduci in illo systemate per augmentum gratiae, seu delectationis, quam per imminutionem solam concupiscentiae: Respondeo, inquam, in systemate Thomistico accedente ad gratiam sufficientem præmotione physica, gratiam illam sufficientem merito dici posse in actum reduci, non quidem per se solam, sed virtute præmotionis physicae ad quam moraliter disponit: præfertim cum in sententia plurimorum Thomistarum, ordinarie non concedatur gratia efficax seu physice præmovens, quin præcesserit gratia sufficiens. Adde, quod cum gratia sufficiens Thomistica tota se teneat ex parte potentiae, gratia vero efficax ex parte actus secundi, vulnus autem per peccatum inflictum in ipsam cadat potentiam; gratia sufficiens, quæ sola potentiam illam afficit, in systemate Thomistico, continere in se debet quidquid medicinale habet Christi gratia.

Ceterum Thomistæ plura alia sui systematis a Janseniano discrimina profertur. Sufficiat hic nobis observasse, Thomistas doctrinam Jansenii concordi suffragio damnare. Sufficiat revocasse in memoriam, quæ in decursu Historiae Jansenismi, ac in systematis Janseniani expositione sparsa leguntur, tum de discrimine inter Jansenianum, & Thomisticum systema data occasione identidem a nobis prolato; tum de tentato sine fructu Jansenianorum cum Thomistis federe; tum de damnata ab ipsis Thomisticae Scholæ Theologis Jansenii doctrina. Fallitur ergo Jansenius; aut potius fallere vult, cum non semel asserit se circa libertatis cum gratia concordiam, & adjutorii divini agendi modum, ejusdem esse cum Thomistis opinionis. Certe si ita esset, non dixisset L.8. c. 5. nullum esse vestigium, & in Augustino, & in ejus discipulis, quod ad libertatem conciliandam cum gratia requisierint remanere debere potentiam ad oppositum, & voluntatem posse agere, vel non agere. Non asseruisset, ideo præcise voluntatem sub motione gratiae liberam esse, quia semper agit, quia ipsa vult, nec ab extrinseco rapitur; nec aliud a Concilio Trid. fuisse definitum. Non asseruisset, miram visuram fore Scholasticis suam de concordia gratiae cum libertate doctrinam: quanto minus suis in Epistolis ad San-Cyranum Abbatem aliisque, quarum excerpta quædam præmisimus, prædicasset, circa doctrinam suam non tantum incommodi, ac periculi exponi posse, quantum ipse vel ab initio subdoratus fuisse. Et alibi, fore ut in publicam incurreret offensionem, si forte sensa sua expromeret: itemque, sibi esse compertum, quod si utraque tum Jesuitarum, tum Thomistarum Schola ad extremum usque Iudicii diem disputatura sit, tantum a veritate utramque esse aberraturam. Tandem ali-

alibi a se deprehensa in Augustino, quæ doctis errorem incuterent, neque se illa præmature patefacere ausurum, ne quid infasti sibi e fulmine Vaticano accederet. Uno verbo, Jansenius doctrinam suam, ut inopinatam, & a quingentis saltem annis incognitam propalare se profitetur: quis inde a Thomistica multum eam differre non colligat?

Magnum est discrimen inter modum explicandi gratiam a se efficacem per delectationem simpliciter victricem sensu aliquorum Theologorum, & delectationem gradibus relative superiorum sensu Jansenii.

Dico 1. Dogma gratiæ ex se, seu propria, & interna virtute efficacis, sanum quidem esse, innoxium, & orthodoxum, sed differre plurimum a gratia efficaci sensu Jansenij. Namque, vel spectatur gratia illa ex se efficax, antequam in voluntate recipiatur; vel postquam in ea recepta est: utroque autem respectu, plurimum differt a delectatione superiori, in qua Jansenius vim, & efficaciam gratiæ collocat.

I. Ante receptam in voluntate gratiam ex se efficacem, nihil obstat, quin supponatur in voluntate gratia quædam actualis sufficiens, quæ fatus virium habeat ad vincendam quamlibet oppositam actualem concupiscentiam; ea enim inter se non pugnant; sive quia minima gratia plus valeat ad bonum, quam fortior concupiscentia ad malum; sive quia gratia hæc sufficiens proportionata est cum actuali concupiscentia: qua in suppositione, quæ profecto vera est, & Catholica, facultas, seu potentia supponitur vera, propria, & expedita esse ad opus bonum mediate, vel immediate producendum. At vero nihil tale occurrit in systemate Jansenii. In confitu enim duplice delectationis, cælestis, & terrenæ, minor necessario cedit majori, nec fieri unquam potest, ut major a minori vincatur: quomodo fieri non potest ut pondus sex librarum trahatur pondere minori trium librarum; ergo eo in statu voluntas necessario id agit, quo majori rapitur, ac trahitur delectatione; ergo non est ad actum oppositum tunc libera, & expedita, quandoquidem delectatio confert, ut ex Jansenio probavimus, ipsammet agendi potentiam; atque hinc necessario fluxu dimanan quinque famosæ Propositiones.

II. Cum gratia ex se efficax præsens supponitur in voluntate, recte adhuc concipitur posse voluntatem ipsi resistere; quia gratia efficax importat dumtaxat ex sese certam effectus futuritionem, quæ non excludit resistendi potestatem expeditam relative. Longe aliter se res habet in systemate Jansenii: superior quippe delectatio excludit veram resistendi potentiam relativam, quia in opposita delectatione, utpote inferiori, satis non est virium, ut possit superiori resistere.

Dico 2. Multum esse discriminis inter modum explicandi efficaciam gratiæ per delectationem simpliciter victricem sensu nonnullorum Theologorum, & per delectationem relative, seu per gradus superiorum, ac victricem sensu Jansenii.

Namque in priori sententia, victrix delectatio non per gradus nec relative victrix est, sed ex sese abolute, seu propria, & interna virtute; unde importat tantum certitudinem effectus, illæsa libertate, ac integra remanente potentia ad actum oppositum. Non ita relativa Jansenii delectatio, quæ ad inferiorem comparata, omnino tollit potentiam tum resistendi, tum eliciendi actum contrarium nempe ob virium inæqualitatem in delectatione inferiori. Inde est, quod defensores delectationis simpliciter,

citer, & non per gradus victoris, admittunt gratiam excitantem, ac sufficientem distinctam natura, & entitate ab efficaci delectatione, per quam, absente illa efficaci delectatione, voluntas vere, proprie, expedite, ac complete, etiam relative ad quamlibet actualem oppositam delectationem concupiscentiae possit aut bonum operari, aut saltem uberioris implorare gratiae auxilium, ut illud operetur. Quapropter in eorum sententia, delectatio ex se victrix, quantumcumque certo voluntatem ad agendum inflectat, semper liberam, & expeditam eam relinquit, & ad resistendum, & ad actum contrarium exercendum etiam relative, quia delectatio illa victrix non confert actum primum, seu potentiam, sed actum secundum: quandoquidem in ipsa gratia excitante sufficiente parres ac sufficietes agnoscunt vires ad quamlibet actualem concupiscentiam superandam, saltem per orationis adminiculum.

At vero in systemate Jansenii delectatio victrix relativa dat actum primum seu potentiam ipsam agendi: in eo systemate, nulla datur gratia excitans, ac vere sufficiens, praeter superiorum delectationem. Gratia enim, quam Jansenius parvam appellat, si absolute, & in se praecisis subjecti circumstantiis spectetur, de se efficax est, ad bonum perfectum ordinata, quod revera efficeret, si in concupiscentiam minus resistentem impingeret: si vero spectetur, ut a Jansenio spectatur, relative, ac comparate ad majorem actualem concupiscentiam, plane iniusticiensis est, & impar huic debellanda, cum ad hoc satis virium non habet: Ergo tunc vera est, ac propria in voluntate impotentia bene agendi; econtra, dominante delectatione celesti, vera est impotentia ad resistendum, & ad malum operandum: *Delectatio*, inquit Janse-
nius L. 7. c. 5. *vinculum est*, quo liberum arbitrium ita ligatur, ac constringitur...
ut actus oppositus sit extra ejus potestatem... Et c. 3. *Delectatio est id*, quod tantam po-
testatem in liberum arbitrium habet, ut ea praesente actus volendi sit reipsa in ejus po-
testate, absente non sit. Et L. 8. c. 3. *Delectatio facit ut velis*, & fine illa velle non
possit... facit denique ut neceesse sit animum illud sequi, &c. Quantum differt hæc
doctrina a sententia Theologorum, qui vim, & efficaciam gratiae repetunt
ex delectatione simpliciter victrice! Non enim illi cum Jansenio dicunt, ho-
minem, cum non frænat concupiscentiam, non accepisse a Deo gratiam suf-
ficientem, per quam etiam relative illam domare posse; imo gratiam hanc
conceptis verbis admittunt, & quidem viribus parem ad superandam actu-
alem quamlibet concupiscentiam. Non dicunt, victricem delectationem om-
nino necessariam esse, ut homo possit agere, sed tantum, ut actu agat. Non
dicunt, stante motione victoris delectationis, actum oppositum non esse in
potestate voluntatis: imo contrarium affirmant. Non dicunt, facultatem esse
relative ligatam, aut saltem impediatim; imo expeditam asserunt. Non dicunt,
gratiæ aliquando effectu ulteriori carere, ex eo quod gradibus, & virtute in-
ferior sit actuali concupiscentia; imo contendunt per sufficientem gratiam
ideo conferri completam ad bonum potentiam, quia viribus par est vincen-
da actuali cuiilibet concupiscentiae, & bono saltem mediate operando.

Uno verbo, tres præcipuas hic causas accipe discriminis delectationis superioris a systemate delectationis simpliciter victoris.

Prima est, quod in sententia delectationis relative superioris, tota vis de-
lectationis sive celestis, sive terrenæ, relativa sit: unde cum in illo sys-
temate nunquam contingat, ut utraque delectatio aequo certamine, seu vi-

ribus æqualibus luctetur actu, sit, ut una alteri vincenda par esse non valeat; si gradibus sit inferior. At vero in systemate opposito, cum vis gratiæ, & concupiscentiæ non sit relativa, neque gratia Christi sit efficax eo, quod sit superior delectationi terrena, supponi potest gratia sufficiens dare vires pares ad oppositam quamlibet actualem concupiscentiam vincendam.

Secunda ratio discriminis est, quod in sententia delectationis relative superioris non conferatur potentia expedita relative, seu ad bonum, seu ad malum nisi per delectationem superiorem. Ut enim conferatur potentia relative expedita ad bonum, debent saltem æquiparari vires voluntatis cum impedimento ex adverso retardantibus: at qui non possunt vires voluntatis ad bonum æquiparari impedimentis ex adverso retardantibus, nisi per delectationem superiorem, seu gratiam efficacem. Neque enim id potest fieri per delectationem æqualem, cum, ut jam diximus, in eo systemate non datur talis delectatio: aliunde, ut vidimus, non potest fieri per delectationem inferiorem: At vero in systemate delectationis simpliciter vietricis, per solam gratiam sufficientem confertur potentia relative expedita ad bonum.

Tertia ratio discriminis, est quod delectatio inferior, qualis est gratia sufficiens in systemate delectationis superioris, minuat tantum, non vero tollat necessitatem peccandi, quæ per peccatum originale, & per actualem concupiscentiam fortiorum inducitur. Quemadmodum enim h[ab]ajulo, qui ferendo ponderi mille librarum impar est, leye aliquod præbeas adjumentum, minuitur quidem impotentia ferendi, sed non tollitur: a pari; delectatio cœlestis inferior minuit quidem impotentiam bene agendi, & necessitatem peccandi, quæ per delectationem superiorem terrestrem inducitur, sed non tollit. At vero in systemate delectationis vietricis simpliciter, gratia sufficiens, cum non sit inferior concupiscentiæ actuali, nec ipsa debilior, non solum minuit, sed tollit omnino impotentiam bene agendi, aut necessitatem male agendi, quæ posset supponi inducta per peccatum.

Quæres 1. Quo signo dignosci possit, utrum quis constitutat efficaciam gratiæ in delectatione superiori, seu vietrici relative, non vero in delectatione simpliciter vietrici?

Resp. pluribus signis id dignosci posse: unum hic tantum indicabo. Scilicet in systemate delectationis superioris relative, gratia, quam ejus patrociini vocant efficacem, & illa, quam liberaliter appellant sufficientem, intrinsece, & entitative, seu natura non differunt, sed extrinsece tantum, & ut ita dicam, accidentaliter, scilicet propter majorem, vel minorem concupiscentiam, in quam impingunt; respectu cuius, dicitur vel invincibiliter efficax, vel invincibiliter inefficax, prout ipsam terrestrem delectationem, aut superat gradu, viribusque, aut ipsa inferior, debiliorque est.

Quæres 2. Quomodo datur intelligi potentiam bene agendi, quam confert gratia sufficiens in sententia delectationis simpliciter vietricis, esse expeditam, cum nunquam, si sola sit, actum eliciat.

Resp. Id non incommode explicari 1. ex eo quod potentia, quam confert gratia sufficiens in sententia delectationis simpliciter vietricis, nullum injecum per concupiscentiam supponatur vinculum per quod ligatur voluntas, seu facultas, aut saltem in exercitio suo impediatur. In sententia vero Jansenii, delectatio concupiscentiæ superior vinculum sit, quo constringitur vo-

luntas, & actus oppositus non est in ejus potestate. 2. ex eo, quod illa potentia reducatur in actum, & voluntas agat aliquando sine ulla facta ex parte potentiae immutatione, seu absque eo, quod virtus ejus augeatur, aut difficultas minuatur, idque sola accidente gratia efficaci, seu delectatione simpliciter vietrici, quæ voluntatem ad actum applicat; unde certe concluditur, potentiam fuisse expeditam, etiam ante gratiæ efficacis collationem.

Inde facile est inferre sententiam aliorum Recentiorum, qui propugnant systema duplicis delectationis relative vietricis, cuius quæ superior est, ineluctabiliter prævenit voluntatem, & invincibiliter determinat ad unum, 1. ipissimum esse Jansenii sistema; quod unum sufficere deberet, ut ab eo propugnando deterreantur Theologi, qui ab omni partium, & studiorum, novitatisque suspitione alieni videri volunt. 2. Ita sistema istud esse proprium Jansenii, ut illud tamquam inopinatam veritatem invehat; ejusque discipuli quotquot hactenus extitere, & sunt, licet in aliis plerisque varii, ac discordes, in eo tamen quasi Augustiniano, & oculorum pupilla cariore constanter retinendo unanimes fuerint, teste ipso Abate de Bourzeis, quem antea laudavimus. 3. Jansenium delectationem illam superiorem in systemate suo ita capitalem, ac fundamentalem habuisse, ut non aliter famosas quinque Propositiones, quasi totidem ex illo principio derivatas conclusiones defendere potuerit. 4. Cum Ecclesia quinque Propositiones damnaverit in sensu Jansenii, necesse est illas damnatas fuisse in ipso Jansenii systemate, delectationis scilicet superioris, ac relative vietricis, quæ totius systematis, ut antea probavimus, clavis, basis, ac fundamentum est. 5. Theologos, qui dictam superiorem delectationem propugnant, incommoda, absurdâ, & erronea, quæ ex tali systemate consequuntur, non posse declinare. Quod si prætendant Jansenium ex principio delectationis superioris perperam suas quinque Propositiones veluti totidem conclusiones intulisse, assignent, rogo, quæ ex parte conclusiones illæ male cohærent cum dicto principio; quidvis Jansenius discurrendo peccaverit, cum illas intulit? Quod si nullum in discursu ipsius vitium deprehenderint, necesse est, ut vel principium deserant; vel eo admisso, conclusiones inde necessario fluxu dimanantes pariter admittant. Eosdem Theologos in vanum dumtaxat, ac phantasticum erroris Janseniani simulacrum censuras Ecclesiæ, quibus roties attritus ille fuit, necessario detorquere: quod quidem facile demonstrare est, tum conferendo doctrinam Jansenii cum doctrina illorum Theologorum, unde certe manifestum erit, nihil dicere Jansenium, quod ipsi dicere pariter non teneantur; & nihil eos ad captandam Catholicorum benevolentiam mitioribus, ac mollioribus vocibus affirmare, quod ultiro non concedere possit Jansenius, imo, & revera non concedat: tum maxime expendendo sigillatim, quæ illi ipsi Theologi proferunt momenta discriminis inter suam, & Jansenii doctrinam.

Expenduntur causæ discriminis, quas nonnulli proferunt inter delectationem superiorem, ac relativam, quam tinentur, & Jansenii sententiam.

Sunt inter recentiores Theologos nonnulli, qui a Jansenio se longius recedere contestantur, quamquam vim, & efficaciam gratiæ pariter cum ipso exponent per delectationem relative, seu per gradus vietricem. De communi principio consentiunt illi quidem, at non easdem inde conclusiones inferre videntur: imo quas inde Jansenius deduxit quinque Propositiones, aperi-

Qua-
trime-
Confe-
rence,
chap. 30
pag. 211

te damnat, ac rejicit. Absit ut cuiusquam fidem, candorem, ac probitatem hic incusem: verum sic intellexi semper, delectationem illam superiorem, ac relativam centrum esse, ex quo quinque Jansenii Propositiones quasi totidem linea fluxu necessario derivantur; adeoque eo retento fundamento non aliud proferri posse a Janseniana doctrina discrimen, quam aliquorum dumtaxat verborum. Id vero ita esse patebit, expendendo quas illi proferunt causas, & rationes discriminis inter suam, & Jansenii sententiam. Nonnullae ex illis speciatim quinque spectant Propositiones: aliæ vero universim causam, & fortunam Jansenianæ doctrinæ; quas omnes sigillatim, qua fieri poterit, brevitate referemus, ac discutiemus.

Circa primam Propositionem.

Dicunt 1. Jansenium Lib. 3. de Gr. Chr. c. 13. conceptis verbis affirmare justis impossibilia esse quædam Dei mandata; a qua impia Propositione prorsus abhorrere se profitentur.

Verum si Recentiores illi sola nominis asperitate offenduntur, mollius T. 3. pag. non recusabit ipsem Irenensis: quam enim impossibilitatem appellat, 193. col. hoc ipso cit. cap. 13. loco, alibique passim, difficultatem dicere non gra- 1. A. 1b. p. 135. vatur: *Nec illam*, inquit, *implendi talia præcepta difficultatem inde profici*, col. 2. *&c.* Et antea, quam Aug. difficultatem dicit, Jansenius per NON POSSE, quod majusculis literis inscribere affectat, interpretatur. Adeo verum est, utramque vocem ab illo promiscue usurpari.

An vero de solo nomine controvertitur, & non potius de re ipsa per nomen significata? Porro in systemate Jansenii perinde est, vel impossibilia, vel difficultia dicere justis, absente gratia efficaci, aliqua Dei mandata; quia 1b. p. 183. nempe juxta ipsum, absente delectatione superiori, actio sequi non potest. Et vi- 1b. p. 315. gent delectatione carnali, impossibile est, ut virtutis, & honestatis consideratio pre- sol. 1. D. valeat. Et L. 7. c. 5. Delectatio est vinculum, quo liberum ... ita firmiter ligatur, & retinetur ... ut actus oppositus sit extra ejus potestatem.

At quæso nonne defensores delectationis superioris, ac relativæ hoc ipsum asserere tenentur: Nonne capitale istud est apud ipsos principium, majorem delectationem a minori yinci non posse? adeoque justum sola gratia parva instru- etum efficaci absente, non posse relativa potentia superare actualem maiorem cupiditatem; ac consequenter mandatum ipsi relative esse impossibile. Ver- tant se in quamcumque partem voluerint, nihil, ut se expediant, proferent quod ultiro non proferant, vel apertissimi Jansenii defensores. Dicant illum justum habere perfectissimam, ac completissimam ad observandum manda- tum potentiam, beneficium gratiae parvae: nonne idem asserunt Jansenistæ verbis expressis, & clarissimis, quæ initio laudavimus? Dicant se eam tan- tum rejicere potentiam, quæ sit cum actu conjuncta: hoc idem & ipsi conte- stantur. Dicant non veram esse impossibilitatem, sed tantum difficultatem: ne ipse quidem negat Jansenius. Verum in eo utrorumque errore est, quod illa perfectissima potentia sit revera tantum absoluta, & abstracta, non relativa, quod ita excludat actum, ut ipsum relative obtinere non possit: quod illa dif- ficultas similis sit ei, quam patitur justus, vitandi omnia peccata venialia col- lective sumpta sine speciali privilegio: vel illi, qui sanos oculos habens non potest videre sine lumine: vel ei, qui a morbo convalescens, non potest longum iter pedibus perficere. An non hujusmodi difficultatis genit us verum impor- tat.

tat impotentiam? Mutato igitur solo nomine, sensus idem retinetur.

At, inquiunt, Jansenius L. 2. de Gr. Chr. c. 1. contendit sine delectatione superiori, *iam impossibile esse voluntati ut bene velit, & operetur, quam homini cæco ut videat, vel surdo ut audiat, vel tibiis fracto ut recte gradatur, vel avi ut volet sine alis*, quo exemplo utitur L. 3. cap. 15. Quæ profecto comparationes eo tendunt, ut ab homine justo quacumque excludant bene agendi facultatem, absente gratia efficaci. Verum non ita profecto stupidus fuit Jansenius, ut excluderet omnem omnino bene agendi facultatem, absente gratia viætrice relative. Nonne in prima Propositione supponit justos, qui volunt ac conantur? Ergo agnoscit in illis, etiam absente gratia efficaci, aliquam bene agendi ex gratia parva potentiam, sicut L. 8. c. 20. sub motione delectationis cœlestis viætricis agnoscit peccandi potestatem perfectissimam. Neque unquam ostendent Theologi, de quibus loquitur, discipulos Jansenii negasse esse in parva illa gratia vim internam activam, seu principium boni operis effectivum, & quod re ipsa efficeret, nisi obfisteret ardenter concupiscentia. Illi igitur duiiores Jansenii loquendi modi ad substantiam systematis ipsius non pertinent, sed extranei sunt, quibus sepositis, sistema integrum adhuc perseverat. Quapropter ejus discipuli adductas comparationes in eo dumtaxat valere contendunt, quatenus excludunt actum secundum, non vero actum primum. Audiatur Paulus Irenæus Disq. 2. art. 5. In comparatione, inquit, non omnia similia sunt; sufficit, ut illa inter se convenient, que inter se comparantur. Nam vero cæcus cum justo gratia efficaci dupliciter potest comparari. Primo, si spectentur potentiae in actu primo; sic nulla inter utrosque similitudo, sed potius magna dissimilitudo. Cæcus enim caret interna videndi virtute: justus pollet interiori facultate bene agendi, etiam actuali si vult, & conatur. At si spectentur istæ potentiae in actu secundo, tunc in eo plane convenient, quod sicut cæcus videre actu & effective non potest; ita justus bene agere sine efficaci gratia actu & effective non potest. Igitur si Jansenius justum cum cæco comparavit, spectando potentiam in actu primo, inepte prorsus locutus est, & si velis, heretice; sin autem spectavit potentiam in actu secundo, recte, Catholice, Thomistice locutus est. Denique conatur ostendere ex Jansenio, Tom. 5. L. 5. cap. 11. gratiam efficacem esse adjutorium actus secundi.

Paulo Irenæo in omnibus suffragatur Dionysius Raymundus 1. p. c. 1. ar. 6.

Quid ad hanc explicationem Recentiores nostri? An sanam judicabunt, an non sanam? Si sanam; manifestis Jansenianis aperte consentiunt, neque habent amplius, quo se ab illis adeo remotos, & alienos prædissent. Si non sanam: rogo assignent illis vitium, ac errorem? Non aliud profecto reprehendent, quam qui a nobis sepius assignatus est; potentiam nempe illam, quam sufficientiam, perfectissimam, ac completissimam dicere placet Jansenianis, absolutam esse dumtaxat, & abstractam, quæ nihil ad usum, & exercitium boni operis conferre possit, non vero relativam; ac proinde perinde esse, ac si penitus negaretur. Inde est, quod multi ex nostris dum Jansenium refellunt, eum accusant quasi omnem penitus negaverit in justo absente gratia efficaci, potentiam ad observandum mandatum, non quidem verbo tenus, hanc enim verbo agnoscit, sed in rei veritate; quia, ut dixi, perinde est, ac si eam penitus rejiceret. Porro necesse est Recentiores in suo systemate delectationis superioris ac relativæ, agnoscere potentiam in ejusmodi justis, abso-

lutam esse dumtaxat non relativam; quia parva illorum gratia satis virium non habet, ut possit actualem majorem, & oppositam superare cupiditatem.

Dicunt 2. Se non omnem gratiam sufficientem, sed solam Molinianam; Jansenium vero omnem omnino respuere, quam L. 3. de Gr. Chr. c. 3. revocat ad gratiam Pelagii. Verum profitetur quoque Jansenius cap. I. ejusdem Libri, se solam Molinianam, ut vocant, seu versatilem ac libero voluntatis arbitrio permisam rejicere gratiam sufficientem: nolle vero se impugnare gratiam sensu Thomistico sufficientem, qualem Alvarez, Cumel, Navarreta &c. admittunt; eam scilicet, praeter quam aliud ex parte Dei auxilium per modum principii necessarium est, ut homo velit, *Ib. pag. & operetur: Imo addit ibidem quod Aug. fortasse talem gratiam non diffi-*
102. col culter admitteret. Et c. 3. cum ait, gratiam, quæ ab initio lapsus humani ge-
2. C. neri usque ad Judicij diem nullum in humana voluntate effectum habuit, aut ha-
ib. p. 106. col. 1. E. bitura est, monstro similem esse, Molinianam solam aut incongruam Suare-
sianam directe, & expresse expludit; neque diffitendum est in textu Jan-
senii, qui objicitur ex c. 3. Lib. 3. de Gr. Chr. eum solam Molinisticam oppugnare gratiam. Cum tamen ab ipso Thomisticam sufficientem gratiam pariter rejici affirmamus, ad principia, quæ ubique statuit Jansenius, & quæ cum tali gratia conciliari non possunt, attendimus magis, quam ad ejus verba: neque enim expresse ac nominatim unquam insurrexit aduersus illorum Theologorum sufficientem gratiam. Jam vero cum principia Jansenii circa delectationem eadem sint, quæ a Recentioribus nonnullis propugnantur, ab utrisque non solum Molinianam, sed & Thomisticam sufficientem gratiam convelli merito contendimus.

II. Negari certe non potest quin paryam aliquam gratiam admiserit, quæ de se principium est boni operis, ac semper efficax alicujus parvi, & imperfecti effectus, quam Deus voluntate sua antecedente, quæ a circumstantiis abstrahit, ordinat ad bonum opus; ad quod nihilominus per voluntatem consequentem non tendit, propter majorem cupiditatis resistentiam, cui superanda impar est. Illud, ait Paulus Irenæus Disq. 6. ex *Jansenio concedi potest, gratiam nonnunquam carere eo effectu ad quem destinatur*
Pag. 254. col. 2. voluntate Dei antecedente. Cum enim ea voluntas semper feratur in bonum absolute spectatum, consentire autem gratiae habeat rationem boni, utique semper illa voluntate Deus velle censendus est homines suæ gratiae non resistere, sed illi plene consentire. En gratia parya, seu sufficiens (de nomine nulla quæstio) quam Jansenius cum suis constanter agnoscit. An propterea immunis ab errore circa hujusmodi gratiam? Minime. Quare? Quia gratia hæc relative ac comparate ad superiores actualis concupiscentia vires non potest eam superare; ac proinde nomine tenus sufficientem gratiam Janseniani admittunt, re ipsa vero negant. Quantum enim ad usum, & exercitium boni operis, perinde omnino est, ac si nullam agnoscerent; quod quidem nostris locum dedit certe legitimum, accusandi Jansenianos omnis prorsus denegatae gratiae sufficientis. Dieant porro Recentiores an re ipsa aliam agnoscant gratiam sufficientem, quam istam Jansenianam? Quid enim ipsis est gratia sufficiens? Nisi delectatio inferior ac debilior, quæ non satis habet virium ut oppositam concupiscentiam superare posse; seu quæ necessitatem peccandi non tollit, sed minuit tantum. Cedo si vel unum apicem discriminis invenias: nisi forte quod talem gratiam apte non

minus, quam vere Jansenius insufficientem appellat; Recentiores vero abusive, & ad fucum faciendum, sufficientem.

At, dices, Jansenius nullum admittit in praesenti statu adjutorium *sine quo*, sed unum dumtaxat adjutorium *quo*: Recentiores autem utrumque admittere.

Resp. Jansenium equidem non admittere in praesenti statu *adjutorium sine quo non*, quale datum fuit natura innocentis: aliquo tamen sensu, qui revera discipulorum ipsius sensus est, admittere adjutorium *sine quo*, idest parvam quamdam gratiam non victricem, quae revera est adjutorium *quo* seu efficax alicujus effectus imperfecti, non autem effectus pleni ac perfecti, propter inferiores ejus vires plane insufficientes ad debellandam oppositam maiorem cupiditatem. Mera autem est quæstio de nomine, utrum tale adjutorium dicendum sit *quo*, vel *sine quo*, modo de re convenienter. Ut ut sit, gratia sufficiens seu adjutorium *sine quo*, in systemate delectationis superioris, nullatenus distat a gratia illa parva Janseniana; adeoque Recentiores illi sub aliis verbis in eumdem recidunt sensum Jansenii, quem Ecclesia merito prescripsit.

Dicunt 3. Jansenium Lib. 8. de Gr. Chr. c. 20. docere sub dominante concupiscentia veram esse in voluntate impotentiam operandi bonum. *Firmitas*, inquit, *ardorque voluntatis malæ vehementi delectatione concupiscentiarum adjuta, & incitata, parit bene faciendi potentiam*. Sed qui inter Recentiores Systema delectationis superioris tueratur, longe absunt a tali admittenda potentia; imo veram, & proximam confitentur, ope gratiae sufficientis, ad bonum opus potentiam.

P. 181.
col. 1. D.

Resp. si de verbis hic tantum agatur, Jansenium ipsum verbo tenus impotentiam illam ita saepius mitigare, ac temperare, ut a Catholicis recedere non videatur, a quibus tamen quoad sensum, & rei veritatem plurimum remotus est; quemadmodum, & ipsi Recentiores nonnullis verbis a Jansenio dissident, cum quo sensu concordant. Jansenius v. gr. dixit tum L. 8. de Gr. Chr. c. 20. tum L. 4. de statu naturæ lapsæ c. 25. impotentiam illam esse tantum impropriam, consequentem, & ex hypothesi: non negavit per talenm impotentiam voluntariam, remanere (physicam) ad bonum facultatem, neque etiam illam oriri ex defectu virtutis activæ in gratia tametsi parva, sed ex una cupiditatis resistentia, quæ si minor esset, gratia illa parva plenum ac perfectum effectum consequeretur.

Dixit L. 3. de Gr. Chr. c. 33: L. 4. c. 10. impotentiam illam non excludere quamecumque gratiam. Denique saepius ita loquitur, ut non excludat omnem ad bonum potentiam defectu gratiae victricis, sed tantum eam neget, quæ cum actu conjuncta est: has porro mitigatas, & in speciem Catholicas Jansenii locutiones summo studio colligunt, ac jaetantius prædicant ejus defensores, ut ejus doctrinam tamquam orthodoxam censuris Ecclesiæ subducant. Verum inani probris ac vano conatu; & ut Clerus Gallicanus in sua ad Alexandrum VII. scripta anno 1661. Epist. loquitur: *Verba Jansenii ad aliquem sensum Catholicum futiliter detorquent; euindem enim plane sensum erroris exprimit, tum durioribus, tum mollioribus verbis.*

Recueil
des Bul-
les, pag.
154.

Dixit equidem Jansenius, impotentiam bene agendi sub dominio ardenteris concupiscentiæ, & male agendi sub motione gratiae victricis esse impropriam, consequentem, & ex hypothesi, non vero antecedentem; quia non alia ipsi est propria, & antecedens impotentia, quam, quæ rationis, & deliberationis seu voluntarii usum antecedit, qualis profecto non est impotentia.

Pag. 146. de qua loquitur, quam L. 3. de Gr. Chr. c. 15. appellat voluntariam impotentiā, & consequenter juxta ipsum liberam. Quia, ut ait ibidem, nihil est aliud voluntatem esse liberam, quam actum suum habere in sua potestate; & habere in potestate nihil aliud, quam eum facere si voluerit. Sic autem impotentia hæc juxta Jansenium est voluntaria, & hoc sensu consequens, ut tamen voluntas eam declinare nullo pacto valeat, non quidem absolute, sed relative: cum tunc, ut

Pag. 399. ipse loquitur L. 8. de Gr. Ch. c. 20. facultas impedita ligataque permaneat; vinculo col. 1. D. scilicet majoris delectationis, quo sit ut voluntas non tantum actum oppositū non velit, sed nec velle possit. Firmitas ardorque voluntatis malæ, inquit loco cit. ex c. 10. L. 8. de Gr. Ch. vehementer delectatione concupiscentiarum adjuta, & in col. 1. D. citata, parit bene faciendi potentiam, quam sola voluntas superare non potest, quia velle non potest, idque ideo, quia fortiter stabiliterque non vult.

Quapropter illam bene agendi potentiam, quam Jansenius admittit semper, & in omnibus, absente gratia efficaci, vel male agendi sub illius motione, non aliam fere docet esse præter naturalem liberi arbitrii flexibilitatem ad bonum, Pag. 368. & malum. Hoc modo sentit Aug. & Prosper, ait ibidem, sub gratia manere peccandi potest, quia præter naturalem flexibilitatem ad malum, manet etiam concupiscentia, per cuius tentationes animus mutari potest: quod quia in cælo accidere non potest, consequenter etiam beatus amplius peccare non potest.

Non negat pariter cum illa voluntaria impotentia remanere physicam ad bonum facultatem; nec eam impotentiam dicit oriri ex defectu virtutis activæ in gratia parva, sed ex resistentia cupiditatis. Verum mera sunt verba, ad errorem potius involvendum, quam excludendum accommodata. Namque facultas illa physica vel est nudum arbitrium voluntatis, vel quædam gratia tametsi parva: nudum liberum arbitrium est quidem physica facultas capax recipiendi gratiam, sed si solum fuerit, physice incapax est actionis bonæ supernaturalis: gratia vero illa parva, tametsi in se absolute considerata sit principium effectivum boni operis, relative tamen ad majores cupiditatis vires, non tantum opus illud bonum nunquam elicit, sed nec elicere potest: atque hæc est vera impotentia, quam Jansenius admittit, & a systemate delectationis superioris inseparabilis est. Nec juvat, quod ait Jansenius, impotentiam illam oriri ex resistentia cupiditatis: fateor, sed voluntas in illis circumstantiis non potest non resistere minori gratiæ; nimis propter delectationem terrenam iudicata superiorem, qua tunc rapitur, & determinatur ad malum. Ex indeliberata enim illa motione, necessario consequitur deliberaatus voluntatis motus, a quo voluntas seipsum cohibere non potest; necesse enim est, ut agat secundum id, quod magis delectat.

Dixit etiam, integro errore subsistente, hac impotentia non excludi quamlibet gratiam. Ita quidem: sed talis gratia relative ad majorem concupiscentiam satis virium non habet, ut eam superare possit.

Innuit denique Lib. 8. de Gr. Chr. c. 20. solam excludi potentiam cum actu conjunctam. At verbo ludit, & fallit. Non tantum enim potentia illa non jungitur cum actu, sed nec potest jungi in his circumstantiis, seu relative ad opositam majorem delectationem: atque in hoc positus est error Jansenii. Dicant porro defensores systematis duplicis delectationis relative victricis, an absente gratia efficaci, cum sola parva seu inferiori gratia justus habeat relativam potentiam ad superandam actualem majorem cupiditatem? Si negant, Jansenio plane consentiunt: aut saltem rogo, ut affi-

assignent sūx a Janseniana doctrinæ discrimen; assignent in quo præcise collocandus hic sit error Jansenii. Si concedunt, explicit quo sensu: ut nempe clare intelligatur, in quo a systemate Jansenii recedant; ne forte syllabarum, & vocum discrimen sit, illudque etiam non sincerum.

Dicunt 4. se gratiam sufficientem sensu Thomistico plenis manibus amplecti.

Pag. 5.

Resp. & ipsum Abbatem de Bourzeis in Scripto, quod dicitur: *In nomine Domini, quod an. 1649. editum est, sic habere: Quod identidem advertendum censeo, ne qua hic Thomistarum gratia sufficienti, quam admitto lubens, fiat injuria.* Arnaldumque, qui in Libro inscripto: *Apologie pour les SS. Peres*, l. 7. punct. 4. c. 1. assertuerat Augustinianos, quos vocant Theologos, in eo a Thomistis circa gratiam sufficientem differre, quod hi gratiam faltem nomine tenuis sufficientem admittere consentirent, illi vero nullam gratiam vocandam esse sufficientem contendenter: præter eam, quæ vere & proprie gratia Christi efficax est: Arnaldum, inquam, qui hac protulerat annis superioribus, tandem in Scripto suo, cui titulus: *Dissertatio de Gratia efficaci*, non semel, aut bis, terve, sed sapientissime professum se gratiam sufficientem sensu Thomistico admittere.

Dicunt 5. Jansenium, & Jansenii discipulos impotentiam proprie dicam admittere; se vero impropiæ dictam.

Resp. Jansenium l. 3. de Grat. Chr. c. 15. & l. 8. c. 20. alibique: Arnaldum vero in Dissertatione jam citata, parte 3. art. 17. expresse assertere, se proprie dictam impotentiam non admittere. Tota illorum hominum, qui a gratia plena deserti sunt, impotentia, nihil aliud est, quam mala voluntas malaque cupiditas. Et paullo inferius: *Non hec impotentia est, sed pravitas . . . non ideo innoxia, quia aliquomodo necessaria; sed ideo culpanda, quia voluntaria.*

Caus.

Arnald.

p. 370.

col. 1.

Col. 2.

p. 371.

col. 2.

Dicunt 6. censere se abstinentem omnino a voce, impossibili, dum agitur de præceptis adimplendis.

R. 1. non ita sincere eos abstinere, quin eam aliquando usurpent, licet rarissime, v.g. auctor L. cui titulus: *Tradition de l'Eglise Romaine*, t. 3. & alii pauci.

Resp. 2. mutata tantum vocis hujus significatione, sed non mutata sententia, Recentiores statuisse abstinentem vulgo ab usurpanda ea vocula impossibilitatis, ut patet ex Arnaldo, Dissertationis Parte 3. art. 17. qui sic habet: *Ea, quæ voluntate constant, nunquam impossibilia dici possunt: sunt enim semper, cum ibid. p. volumus.* Unde licet Recentiores nostri sub illo pretextu aut alio simili abstineant ab usurpanda voce ista, impossibili, non tamen a Jansenii, & discipulorum ejus sententia recessisse ullo modo propterea censendi sunt.

370. s. 5.

Circa secundam Propositionem.

Dicunt 1. Jansenium l. 2. de Gratia Christi cap. 24. assertere gratiam tollere omnem voluntatis resistentiam, eaque loquendi ratione, errorem secundæ Propositionis manifeste exprimere: Recentiores porro nihil tale affirmare, imo plane contrarium.

Verum duriorem hunc loquendi modum Jansenius ipse aliis in locis emolivit, errore non repudiato. L. 2. de Gratia Christi c. 27. conceptis verbis assert, *multos divinitus collustrari, imo vero, & in ipsa voluntate motibus divinae gratiae percelli, qui tamen ab ejus interna sua fatione, & inclinacione dissentunt.* An putas verba hec quoad sensum pugnare cum prioribus? Minime profecto. Potest Jansenius sine ulla pugna, eodemque sensu erroneo dicere, quod voluntas resistat, & non resistat gratiæ respetive

Pag. 86.

col. 2. E.

Etive ad varium ipsius effectum. Non resistit quantum ad effectum proximum, & imperfectum, quem gratia etiam parva illorum sensu semper exprimit: resistit autem quantum ad effectum ejusdem remotum ac perfectum, ad quem ex natura sua, & voluntate Dei antecedente tendit, & ordinatur, sed quem non habet, imo nec habere unquam potest, quando concupiscentiae opposita delectatio superior est.

Ibid. Ita se ipsum exponit Jansenius in citato c. 27. Libri 2: de Gratia Christi. Considerandum est, inquit, multiplices esse divinae gratiae effectus, quemadmodum & voluntatis. Est enim velle perfectum, quod Augustinus posse vocat; est & imperfectum, quod velleitatem appellare solent... Hac ergo primus est calles istius roris effectus, quem ut minimum in omnibus operatur, quibus eum infundit Deus... Non enim quævis gratia ad quosvis effectus inferendos sufficit, ut quidam imaginati sunt, sed potestates operationum difficultati attemperandæ sunt.

Eodem plane modo discipuli Magistrum interpretantur. Paulus Irenæus: disp. 6. & Dionysius Raymundus 1. p. c. 3. art. 5. (pag. 130.) Prioris verba: P. 251. retulisse sufficiet. Possunt, inquit, allata Jansenii locutiones ad illam revo- col. 2. cari doctrinam toti Thomistarum Scholæ probatam: omnem gratiam tam efficacem, quam sufficientem esse efficacem respectu proximi istius effectus, ad quem ordinatur voluntate Dei absoluta. Sic enim explicari possunt omnes superius al- latæ Jansenii locutiones: Gratia tollit omnem resistentiam, nempe qua impediret proximum effectum, non qua remotum. Item: Nulla gratia effectu careat, ni- mirum proximo illo ad quem destinatur voluntate absoluta, non remoto, ad quem excitat: Gratia omnis agit, & peragit effectum proximum, non remotum. Item: Gratia est convertibilis cum effectu; distinguo, proximo, non remoto, sive eo, propter quem datur voluntate absoluta, non eo ad quem natura sua tendit, & refertur voluntate Dei antecedente. Item: Omnis gratia est efficax, nempe proximi effectus ad quem ordinatur voluntate absoluta, non ejus ad quem ex natura sua tendit. Pariter, Nulla datur gratia sufficiens, nisi sit efficax, distinguo, sufficiens omnibus modis, & ad agendum actu, sive Moliniane, verum est; suf- ficiens Thomistice, cui semper dissentiat, nisi adsit efficax, falsum. Hinc claret, concludit Paulus Iræneus, omnes istas locutiones boni sensus capaces esse.

Qui Jansenianorum equivocationibus parum assueti sunt, adduci facile pos- sunt, ut credant his speciosis Pauli Irenæi verbis excludi errorem secundè Propositionis; at non ita est. Error enim ille in eo consistit, quod gratia eum omniem semper effectum obtineat, quem permittit opposita concupiscentiae de- lectatio. Si hæc superior fuerit, gratia debilem, & imperfectum effectum assequetur: si inferior, plenum ac perfectum; adeoque ei nusquam vere ac proprie resistetur: non ratione effectus proximi, & imperfecti, quem semper habet; non ratione effectus ulterioris ac perfecti, quem, supposita majori cu- piditate, habere non potest. Non enim quævis gratia, ait Jan. l. 2. de Grat. 87. col. c. 27. ad quosvis effectus inferendos sufficit, sed potestates operationum difficultati at- temperandæ sunt. Hunc porro tensum defendere tenentur, qui systemati dele- ctationis superioris ac relativæ patrocinantur. Dicant num re ipsa non do- ceant, gratiam, quam vocant sufficientem, semper debiles aliquos ad pie- tatem motus excitare in voluntate, eoque respectu vere efficacem esse; nec ipsi unquam resisti? Dicant; an non agnoscant eamdem gratiam in concor- su ardenteris cupiditatis ac relative ad ipsam, non habere satis virium ut eam superari possit; adeoque ipsi sub eo respetu seu relative non resisti? Non enim,

enim, ut diximus s̄ep̄is, proprio loquendo gratiae resistitur, nisi quando privature o effectu, quem habere potest in iis circumstantiis, in quibus datur. Dicant, an non existimat, saltem cum gratia sufficienti remanere ac semper conjunctam esse ad praeceptum adimplendum eamdem impotentiam, quam patitur homo justus sine speciali privilegio ad vitanda omnia peccata venialia, quæ vitari non posse certe fides docet; unde profecto sequitur eum, qui peccat, gratiae debili, si quam habeat, non resistere, cum eam non priuat eo effectu, quem habere possit. Ergo vel nullus est in secunda Jansenii Propositione error, quod isti affirmare non audent; vel totus perseverat in systemate, quod tueruntur, delectationis relative vietricis.

Dicunt 2. in mente ac doctrina Jansenii gratiam hujus status semper esse vietricem, quæ ut loquitur l. 2. de Gratia Christi c. 24. omnes operitos obices voluntatum, & affectuum invicta potestate perrumpit. Et c. 25. Gratia, & opus bonum ita reciprocantur, ut quemadmodum ex gratia data mox effectum operis consecrum inferre solet (Augustinus) ita vice versa, ex defectu operis gratiam non esse datam. Ab ista porro doctrina se alienos plurimum profitentur Recentiores delectationis superioris patroni.

Verum non de quacumque gratia id scripsit Jansenius, sed de illa dumtaxat, quam antonomastice vietricem appellat. Aliam enim esse inefficacem seu non vietricem diserte agnoscit l. 4. de Gratia Christi c. 10. in fine, ubi ait esse quamdam gratiam ita inefficacem, ut ex illa operatio nequidem possit sequi, nisi ejus inefficacia per aliam suppleatur. Idem docet l. 8. c. 2. Quod si contingat, inquit, alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis hæredit animus. Et l. 2. c. 27. l. 3. c. 13. gratias illas inefficaces veras dicit esse Christi gratias. Nihilominus in his ab errore suę secundę Propositionis non recedit; quia nempe juxta ipsum, omnis gratia, etiam illa, quam inefficacem, & non vietricem vocat, semper eum effectum obtinet, quem potest obtainere habitatione oppositæ concupiscentiæ. Cum nulla sit ei (Augustino) gratia operandi, inquit l. 4. c. 10. præter istam suavitatem Dei, nisi ista tantafuerit, ut ei delectationes rerum creatarum cesserint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu in medio remanebitur: sin autem ista superaverit, jam sine dubio bene voluntas operabitur. Suam hic doctrinam recognoscant, quotquot efficaciam gratiae repetunt ex delectatione ipsius superiori ac relativa.

Dicunt 3. in mente Jansenii l. 2. de Gratia Christi c. 27. gratiam omnem semper liberam ad minimum quamdam complacentiam boni in voluntate operari: atqui Recentiores ab hac doctrina longissime recedunt. Quamvis enim asserant gratiam mere sufficientem, ut vocant, & ordinarie, & vulgo sortiri effectum deliberatum & liberum imperfectum, tamen aliquando, licet rarissime v.g. in perditissimis hominibus, contingere, ut gratia in motu indeliberato sisstat, qui a prepollentiori contraria delectatione in ortu suo veluti prefocatur.

Respondet Dionysius Raymundus 1. p. c. 2. de secunda Propositione art. 4. tam parvi referre ad systema Jansenii: an aliquem actum liberum deliberatumve, an tantum indeliberatum semper producere dicatur delectatio inferior celestis Jansenii, ut nunquam illud primum pro dogmate habuerit Irenensis, sed semel tantum, & ipsi quasi aliud agenti, seu per transensem exciderit. Imo verba Jansenii, pergit idem auctor, de plerisque, non de singulis exponi posset gratiis, quasi id vulgo non semper continget: Unde nunquam hanc, quæ Jansenio excidit, Propositionem, tanquam

Pag. 82.
col. 2. A.

Pag. 83.
col. 2. D.

P. 187.
col. 2. D.

P. 334.
col. 2. C.

Ibid. p.
184. col.
2. C.

P. 122.

quam dogma ipsius propugnare Jansenii discipuli, ac defensores. Quosdam consilui, addit citatus auctor, nullusque haec tenus occurrit, qui ad hanc subtiliorem, ut vocant, questionem, attenderit. Dionysio Raymundo concinit auctor recens Libri inscripti: *Chimere du Jansenisme*. Ex his

- P. 198. duorum, aliorumque, quos appellare possem, Jansenii discipulorum testimoniis manifestum est, nullo modo a dogmatibus Jansenii recedere, qui in eo tantum ab eo differunt, quod afferant, rarissime seu in perditissimis hominibus aliquando indeliberatum tantum effectum, & non liberum seu deliberatum gratiae mere, ut vocant, sufficientis comitem esse. Et certe non ita raro resistitur gratiae actuali interiori voluntatis, nec ad dogma Jansenii multum interest, utrum liber, vel indeliberatus tantum actus ex gratia pure sufficiente, ut vocant, producatur, modo eum omnem semper fortiri dicatur effectum, quem ipsi fortiri permittit delectatio actualis opposita.

Dicunt 4. Jansenius negat inferiorem delectationem cælestem tendere ex natura sua ad ulteriorem effectum, quem non producat, ullaque voluntate Deum intendere, ut illum operetur. Unde cum econtra admittant gratiam, quæ ex natura sua nata, & apta est ad illum producendum, Deumque voluntate antecedente beneplaciti id intendere, toto cælo a Jansenio differunt.

Resp. Jansenium non potuisse admittere gratias illas leves, quæ ad effectum ulteriorem provocant, & a quarum interna suasione multos dissentire constare ait c. 27. l. 2. quin simul sentiat ipsas saltem ex natura sua ordinari ad illum fortendum effectum, & aliqua potentia posse hunc fortiri, Deumque quadam voluntate velle, ut illum fortiantur, quem tamen nunquam obtinebunt. Iniquum enim est, imo impossibile, gratiam exitare, ant potius ejus beneficio Deum ad opus quodpiam provocare, ad quod nec ex natura sua ordinetur, quod nec possit habere, nec Deus aliqua voluntate velit, ut unquam habeat. Unde certe a Jansenio non recedunt patroni delectationis superioris relativæ, si nihil aliud velint. Neque mirari satis possum P. Massocliè, qui Tom. 2. diss. 4. q. 3. art. 4. & alibi, afferit constanter Jansenium negare talem gratiæ suæ levis ordinationem ad ulteriorem effectum.

Circa tertiam Propositionem.

Dicunt 1. necessitatem agendi sub delectatione superiori, apud Jansenium antecedentem esse ineluctabilem & physicam; se vero non nisi consequentem, & infallibilitatis ac moralem agnosceré.

Verum pro certo istud affirmamus, nullum ex Jansenio locum proferri posse, quo necessitatem illam vocent antecedentem aut physicam. Et certe discipuli ipsius raro, ut antea observavimus, necessitatis voce, quæ odiosa est, utuntur. Ipse vero Jansenius l. 6. de Grat. Ch. c. 6. & l. 4. de statu naturæ lapsæ c. 21. & alibi passim contendit, necessitatis vocem delectationi ad unum determinati adaptari non posse. Cap. vero 24. ejusdem l. 4. de statu naturæ lapsæ, & c. 35. & 37. l. 6. de Gratia Christi, necessitatem illam consequentem appellat. Lib. vero 2. de Gratia c. 25. & l. 8. c. 21. & l. 9. c. 15. vim seu efficaciam gratiæ infallibilem dumtaxat appellat; suamque a Calviniana sententiam in eo differre probat citato c. 21. l. 8. adductis Calvini testimoniis, quod Calvino necessitans, sibi vero infallibilis sit gratiæ viætricis operatio.

T. 3. p.
305. col.
1. E.

Quæ

Quæ quidem non ea mente commemoro, ut Jansenium velim excusatum ab errore tertiae Propositionis; sed ut manifestum sit, eum sub aliis vocibus temperatis ac mitioribus, eumdem plane errorem semper obtrudere.

Necessitatis quidem delectationis nomine non utitur, at eumdem omnino sensum reddit, cum ait, per superiorem delectationem tamquam per vinculum ita voluntatem ligari ac constringi, ut impedita & ligata sit respectu actus oppositi.

Necessitatem illam euidem antecedentem non appellat Jansenius: nomini parcit, sed rem admittit. Vere quippe antecedens est ea necessitas, quæ oritur ex motione prævia, & indeliberata, cui voluntas in iis, in quibus versatur, circumstantiis plane resistere non potest: at talis est motio delectationis viæ tricis relative. Verum Jansenio antecedens necessitas ea est, quæ plane est involuntaria, ac rationis, & deliberationis usum antecedit.

Pariter necessitatem illam nullibi physicam appellat, quamquam in ejus principiis vere sit physica, ut superius ostendimus. Parum vero interest, an physica, an moralis dicatur, modo talis sit, cui voluntas ob inæqualitatem virium resistere non possit; seu ad unam contradictionis partem fortius liget potentiam, quam compedibus, & catenis ferreis ligari concipiatur vis hominis motrix: quod certe in systemate delectationis iuperioris locum habet.

Denique frustra Jansenius contenderet necessitatem illam esse dumtaxat consequentem. Namque consequentem ille necessitatem intelligit, quæ voluntaria est, seu quæ sequitur aut saltem comitatur voluntatis determinacionem tametsi necessarium; namque, juxta Jansenium, omne voluntarium deliberatum eo ipso liberum est, tametsi necessarium: quippe solam ille coactionem, non vero simplicem, ac voluntariam necessitatem a libertate excludit, in quo positus est error tertiae Propositionis. Nec alia profecto fuit Lutheri ac Calvini sententia, quam ut coactionem, non simplicem necessitatem a libertate removerent. *Homo*, inquit Lutherus in Libro de servo arbitrio, *cum vacat Spiritu Dei, non quidem violentia, velut obtorto collo, nolens facit malum, sed sponte, & libenti voluntate facit...* Et rursus: *Si Dens, inquit, in nobis operatur, mutata, & blande assibilata per Spiritum Dei voluntas, iterum mera lubentia, & pronitatem, ac sponte sua vult, & facit, non coactus, pro natura voluntatis, quæ si cogeretur, voluntas non esset.* Calvinus Lib. 2. Institutionis c. 2. n. 7. *Liberi ergo, inquit, arbitrii hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni æque ac mali electionem; sed quia male voluntate agit, non coactione.* Et c. 3. n. 5. Porro, inquit, *quod libertate abdicata voluntatem dico necessitate in malum trahi vel duci, mirum est, si cui videtur aspera locutio...* Offendit eos, qui inter necessitatem, *Inter Op. & coactionem distinguere nesciunt.* Denique L. 2. de libero arb. contra Pighium, *Si coactio, inquit, opponatur libertati, liberum arbitrium esse, & fateor, & constanter assevero.* Hanc Novatorum circa libertatem doctrinam, suam plane fecit Jansenius, quidquid tandem ille, ut hanc a se labem depellat, cit. c. 21. L. 8. de Gr. Chr. moliatur.

Frustra pariter diceret Jansenius, necessitatem illam esse dumtaxat infallibilitatis. Nomen enim infallibilitatis necessitatem non excludit, cum nihil sit magis infallibile, quam quod est necessarium. Placuit Luthero, Lib. cit. de servo arbitrio, appellare necessitatem *infallibilitatis*, quod idem est ac si dixisset, necessitatem *infallibilitatis*, ut nempe exprimat infallibilem certitudinem seu necessitatem actionis. *Vocamus*, inquit Lutherus, *necessitatem & immu-*

Pag. 84.

Pag. 95.

Inter Op.

Pag. 251.

P. 706.

P. 707.

immutabilitatis, quod voluntas sese mutare, & vertere alio non possit. Et Syndodus ipsa Dordracena, editionis Hannonianæ an. 1620. necessitatem Calvinianam appellat necessitatem *infallibilitatis*. Et certe necessitas infallibilitatis, quæ oritur ex delectatione superiori prævia, & indeliberata voluntate insuperabiliter, & invincibiliter ad unum determinante, & applicante, nonne vera est: ac propria necessitas, cui voluntas relative ad minorem, quam habet delectationem oppositam, non tantum nusquam resistit, sed nec potest resistere, propter, ut saepius diximus, inæqualitatem virium? Porro excrucient se quantum voluerint delectationis relative viætricis patroni, nusquam necessitatem illam excutient, quocumque tandem nomine eam appellare voluerint.

Dicunt 2. Jansenium in eo maxime jura libertatis humanæ præsentis status violasse, quod voluerit eam stare posse cum immobili determinatione ad bonum vel malum; ea ipsa ratione, qua docet beatos in celis liberos esse ad bonum, & damnatos in inferis liberos esse ad malum. Sic colligunt ex lib. 4. de statu naturæ lapsæ c. 24.

Resp. Evidem Jansenium afferuisse libertatem in hocce statu cohærere posse cum determinatione immobili ad unum, qualis est in beatis, & damnatis: verum, in eo tantum præcise positum non esse errorem tertiaræ Propositionis. Erravit quippe Jansenius in eo, quod necessitatem etiam mutabilem cum libertate ad merendum vel demerendum in præsenti statu necessaria conciliari posse existimaverit; & hoc solum doctrinæ ipsius caput ab ejus defensoribus, & discipulis propugnatur. Unde si libertatem a necessitate tantum immutabili propugnant patroni delectationis relative viætricis, a Jansenio non omnino recedunt, & cum ejus discipulis penitus consentiunt. Hominem porro liberum esse hac in vita libertate, & indifferentia exercitii, & contradictionis, tum capite 24. citato, tum 25. sequente saltem verbo tenus profitetur.

Dicunt 3. Jansenium libertatem, & indifferentiam hujus status repudnere in sola flexibilitate liberi arbitrii ad bonum, & malum; se autem veram agnoscere activam indifferentiam voluntatis.

Verum si proprius inspiciatur illa indifferentia activa, nullatenus a flexibilitate Janseniana differe videbitur. Namque in systemate delectationis relative viætricis, voluntas sub motione illius non potest actum suspendere; non potest ei delectationi resistere; non est expedita ad actum oppositum. ubi ergo activa ipsius indifferentia? An in eo, quod voluntas active seu vitaliter agat? At Jansenius, imo & Calvinus id nunquam negavit. An in eo quod actus quamquam necessarius, voluntarius sit? Verum hoc ipsum est dogma Jansenii, quod fidei adversari, & ab Ecclesia proscriptum fuisse contendimus. An denique eo quod voluntas se movet, ac determinat? At non solum id non negavit Jansenius, verum & l. 8. c. 3. & l. 6. c. 35. aperte de ipsis beatis id ipsum affirmat, ut alibi notavimus.

Circa quartam Propositionem.

Ut gratiæ necessitantis Jansenianæ invidiam a se removeant delectationis superioris ac relativæ patroni, quædam congerunt, quibus sub dominante delectatione sive cœlesti, sive terrena, ad oppositum potentiam admittere se videri volunt, & Janseniano errore recedere.

Dicunt 1. Jansenium plane rejecisse indifferentiam sub motione delectationis superioris, & potentiam ad oppositum; se vero non ita.

Ve-

Verum indifferentia, quam negasse Jansenium affirmant, aut est indifferentia æquilibrii, aut illa facilitas ad bonum, qua primus homo fruebatur, aut ea indifferentia, qua quis non solum potest non agere, sed etiam in iisdem circumstantiis positus aliquando non agit, aut vis physica sece determinandi, movendique vitaliter, modo ad bonum, modo ad malum, aut tandem potestas resistendi delectationi superiori.

I. Non est certe sola indifferentia æquilibrii, & facilitas illa ad bonum, qua Adamus innocens fruebatur: nihil enim diceret Jansenius, quod Catholici omnes cum Augustino libenter non fateantur.

II. Non est etiam indifferentia, ut vocant Moliniana, quia Thomistæ pariter cum Jansenio ipsam rejiciunt, & quidem noxie.

III. Non est vis physica sece determinandi movendique vitaliter: agnoscit enim Jansenius voluntatem agere, habere dominium in suos actus, & sece determinare. *Se ipsum agere, & movere*, ait 1.6. de Gratia Christi c. 35. dominium quoddam super actum indicat, ut pro arbitrio sece moveat T. 3. p. vel compescat: alioquin enim quantumvis internum sui motus principium habeat, 303 col. agi, & moveri potius, quam se ipsum movere dicitur. Rursus ibidem: *Necessitas, quæ in actu apparet, ab ipsa libertate, & dominii ac libertatis ejus perfectione profiscitur, quia sibi necessitatem facit, non per modum naturæ, sed perfectissimæ libertatis movendo, & determinando se.*

Restat ergo, ut ea indifferentia, quam negasse Jansenium affirmant Recentiores, sit potentia dissentendi delectationi, quæ in voluntate dominatur: sed eamdem indifferentiam, si non verbis, saltem re ipsa negare co-guntur Recentiores illi; cum major delectatio necessario vincat minorem, potentior debiliorē, superior inferiorem, præsertim ubi virtus agendi ex delectatione repetitur. Quomodo enim si in bilance duo fuerint pondera in aequalia, necesse prorsus est eam bilancis partem deprimi, in qua majus est pondus; nec fieri potest, ut majus a minori inclinetur, quandoquidem nulla est inter ea duo proportio: sic si major fuerit vis gratiæ, quam concupiscentiæ, necesse erit voluntatem bene operari; econtra vero male, si viribus prævaluerit concupiscentia: major est enim tunc resistentia concupiscentiæ, quam virtus gratiæ parvæ, dicebat D. de Sainte Beuve delectationis superioris patronus; seu, ut ipsum appellat Paulus Irenæus, *vir si quis unquam Augustinianus*. Neque vero in eo systemate negari potest minorem a majori necessario vinci delectationem: quandoquidem ne aequali quidem delectationem ab alia opposita æuali superari unquam posse, potentia etiam ab actu se juncta, apud hujus systematis patronos pro certo habeatur. Unde in hoc potissimum Semipelagianos errasse contendunt; aut saltem Theologos, quos vocant Congruistas, gratiam Christi penitus vacuare, infirmitatemque inflictæ per peccatum originis voluntatis ignorare prorsus prædicant, quod hi Theologi dicant in aequalitate virium gratiæ, & concupiscentiæ voluntatem superare posse concupiscentiam, & ad bene agendum se ipsam determinare: licet iidem Theologi profiteantur, voluntatem id posse tantum potentia nunquam ad actum reducenda.

Nec est, quod vim faciant Recentiores, in quibusdam durioribus loquendi formulis, quæ occurrunt in Libro Jansenii, a quibus dum abstinent, se ab ejus pariter doctrina penitus alienos esse habendos contendunt. Namque non desunt apud eumdem Jansenium plura, quibus suos duros loquendi

modos ita emollire videatur, ut nisi ad mentem ejus ac fundamentale principium delectationis superioris, ex quo ad pravum sensum necessario determinantur, proprius attendatur, in errorem inducere facile possint.

Sic 1. non aliam indifferentiam removisse videri vult, quam eam, quæ dicitur æquilibrii, quæque est, ut ait ipse l. 7. de Gratia Christi c. 14. *in statu bilancis, quæ facillimo motu in alterutram partem impelli potest*; qualem in 1. D. differentiam Pelagianam, & Semipelagianam sèpius appellat: neque in presenti statu periisse contendit hanc æquilibrii libertatem, quam, inquit loco mox citato, *minimus motus gratiæ tollit, major minuit, maximus penitus adimit*.

Ibid. II. Indifferentiam exercitii ad hoc, vel illud malum sub delectatione terrestri superiori, ad hoc vel illud bonum sub dominante cœlesti delectatione diserte profitetur se agnoscere, idque passim v. g. de statu naturæ lapsæ l. 2. c. 3. l. 4. c. 19. 20. 21. 24. &c.

III. L. 8. de Gratia Christi c. 4. & 20. asserit se eamdem sub motione gratiæ viætricis libertatem admittere, quam Thomistæ sub præmotione physica; omniaque, quæ ad tuendam arbitrii libertatem isti proferunt, se pariter proferre posse; ea omnia hic dicta pro se vult.

IV. Lib. 4. de statu naturæ lapsæ c. 21. & l. 6. de Gratia cap. 34. affirmat indifferentiam omnes hujus vitæ actiones comitari. Id ipsum quoque legere est l. 8. c. 20.

V. Sèpius affirmat se libertate generice, & essentialiter tantum sumpta, non vero de libertate hujus status habere sermonem, cum ad hanc contendit indifferentiam requiri.

Postem, & alia bene multa hic proferre, quibus Jansenius doctrinam suam emollire, ac asperitatem verborum, quæ ipsi aliquando, dum æstu disputationis abripitur, excidunt, benigne temperare conatur: sed hæc sufficiunt cum iis, quæ superius ex ipso retulimus.

Ea porro omnia ad fraudem, & fucum faciendum a Jansenio prolata sunt; & quo sensu sint intelligenda, maxime ex ipsius principiis circa delectationem supra exposuimus. Verum, quidni suspicari licet, a defensoribus ejusdem systematis eadem mente, eodem consilio, quæ a Jansenio, eosdem aut similes emollitos loquendi modos usurpari?

Fatendum nihilominus est, Jansenium non propter solum minus accuratum, & extraneum systemati suo loquendi modum, fuisse damnum; sed præcipue propter capitale ac fundamentale systematis sui principium: unde cum ab eo principio non recedant, sed tantum in voculis ac syllabis a Jansenio discrepare satagant Recentiores, nullum est inter hujus, & illorum doctrinam verum, & apertum discrimen.

Dicunt 2. Se tantum gratiam efficacem velle astruere, ac conari ut systemata Molinianum non latius diffundatur; unde se omnem differentiam, omnemque potentiam ad oppositum, præter Molinianam, admittere. Addunt sibi exploratum esse, quod soli Moliniani illud systema rejiciant, idque ut suum obtrudant.

Resp. Si unum in votis habent Molinianum systema rejicere, cur inter tota systemata, quæ illud pariter rejiciunt, unum feligunt ac pro aris, & focus propugnant systema delectationis superioris? Cum systema Thomisticum, vel gratiæ per se efficacis, vel delectationis simpliciter viætricis non amplectuntur? Certe Moliniana hæc non sunt. Cur tandem uni systemati

Janseniano, novo, & ante Jansenium in Scholis inaudito addicti videri volunt?

Resp. 2. Veterem esse Jansenii discipulorum cantilenam, nempe se unice velle gratiam efficacem propugnare, ac Molinianam excludere. Id ipsum contestabantur olim Jansenianorum Romæ Deputati, sicut exposuimus in Synopsi nostra historica.

Resp. 3. A. 60. & amplius annis vel aperti ac fervidiores Janseniani id ipsum profitentur, etiam cum Jansenianum errorem pressus ac significantius exponunt. Ita Abbas de Bourzeis c. 28. 1. Collationis, in L. qui inscriptus est: *Saint Augustin victorieux de Calvin, & de Molina*. P. 126. *Quamlibet*, inquit, *indifferentiam agendi vel non agendi, quam libero arbitrio sub influxu gratiae tribuant, banc non negamus, modo vis interior invisibilisque gratiae incolunis maneat*. Et c. 26. 1. Collationis. *Hac voces, necessarium, neceſſe, aut necessitas, nobis sunt insuetæ, paratique magis sumus ab his omnino abſtinere ob pratum fensum, quem multi iphiſ affingunt, quam eas usurpare ob bonum, cuius sunt capaces. Quod si quandoque discipuli quidam Augustini bis uſi fuerint, id eo unice consilio, ac mente fecerunt, ut libertatem Molinianam, Pag. 55. quæ gratiam Dei voluntati hominis submittit, excludant*. In Libello inscri- col. 2. pto: *Manifeste des Theologiens disciples de S. Augustin*, inter Collectanea Pag. 56. de S. Amour. *Solum Molinæ indifferentiam, utpote gratia per se efficaciam con- col. 1. trariam, nec ad libertatem nec ad meritum in hoc naturæ lapsæ statu requiri: S. Augustini discipuli contendunt. Et postea: Ex quibus patet, indifferentiam quamlibet in hoc lapsæ naturæ statu ab Augustini indiscipulis in his, quæ ad salutem, & ad finem supernaturalem pertinent, admitti, prater Molinistam, quæ gratia ad singulos pios actus necessaria efficaciam, & vim propriam deſtruit. Paulus Iræneus disq. 1. art. 6. Hac una (Moliniana) indifferentia dempta, ceteras omnes, quæ gratia efficac non aduersantur, semper reperi- ibid. p. ri in hoc statu naturæ lapsæ nobis videtur sentire Jansenius*.

Dicunt 3. Jansenii discipulos ipsumque Jansenium, si aliquam potentiam ad oppositum sub delectatione superiori admittant, eam tam debilem ac levem admittere, ut pro nulla haberi debeat; se vero perfectiorem admittere.

Resp. Jansenium ejusque discipulos eam admittere, saltem si verbis fides ha- T. 3. p. beatur, quæ perfectissima sit. Ita Jansenius 1. 8. c. 20. sub gratia delectatio- 367. col. ne viætrici affirmat remanere peccandi potestatem perfectissimam. D. de Bourzeis 2. D. c. 30. 4. Collationis sic afferit. *Quamlibet potentiam, quam Congruitæ imaginari possent ad oppositum, quam eam, quæ reducitur ad actum in iisdem circumstantiis, banc admittimus, libertissimeque amplectimur*. Paulus Iræneus disq. 3. art. 22. *Quamlibet bene agendi potentiam, & quibuslibet nominibus ornatam largire, nihil omnino sententiæ nostræ adverſaberis*. Et disq. 2. *De gradibus illius bene agendi po- P. 206. tentiæ... operose disputare, otiosum hominum esse videtur*. *Quamobrem ne quis mi- col. 2. bi unquam de illa negotium facessat; profiteor me illam locare in summo gradu. De- Ibid. p. nique in L. cui titulus: Defense des Propositiones de la seconde Colonne. art. 16. 1. Admittimus liberam potentiam resistendi omni gradu possibili Thomistico*. Pag. 87.

Dicunt 4. Jansenium, & Jansenistas textum S. Augustini: Secundum id quod magis delectat, operemur neceſſe est, de necessitate proprie dicta intelligere; se vero de necessitate improprie dicta.

Respondet D. de Lalane in L. inscripto: *Conformité des Thomistes avec Pag. 19. Jansenius, seconde partie. Hæc necessitas impropria tantum est, quæ significat tan- tum certitudinem effectus, quæque nullo modo excludit potentiam ad oppositum,*

Tournely de Gratia. Tom. III. Pars I.

ut demonstrari potest ex iis, quæ S. Augustinus in Epistola ad Galatas circa hoc placitum suum, Secundum id quod magis delectat, operemur nec fieri, exponit.
Dicunt 5. Jansenii discipulos negare indifferentiam judicii, se vero admittere.

Verum Paulus Irenæus Disq. 6. art. 4. Speciali hujus status, & via conditione fit, ait, ut nihil ipsi (homini) proponatur ad merendum, & demerendum nisi per judicium indifferentis; ut ajunt Thomista.

Dicunt 6. Se hoc unum velle, ut voluntas nunquam agat oppositum delectationis superioris; plura vero Jansenium, ejusque discipulos exigere.

Respondet D. de Bourzeis 4. Collatione c. 29. *Quando dicimus non posse dissentiri gratiae efficaci, tantum volumus intelligi per eum impotentiam, quod nunquam contingat huic dissentiri. Quid in hoc mirandum magis aut incredibile, quam quod afferunt præmotionis physicæ aut gratiæ congruæ patroni?* Id ipsum cap. 26. dixerat iisdem pene verbis. Paulus Irenæus Disq. 6. art. 3. sic ait; *Instructa infirmioribus illis gratiæ voluntas, etiæ nunquam iis piene consentiat, tamen vere potest consentire, nec defectu physicæ potestatis iis P. 195. non consentit, sed quia matulit alii objecto, quo magis delectatur, consentire... Ille status animæ creaturam magis, quam Deum amantis, recte properea vocatur infirmitas, imbecillitas, & impotentia, quia nunquam contingit, ut in eo statu fine ampliori auxilio recte agat.*

P. 254. col. 1. Dicunt 7. Tantum absuimus a gratia necessitate Janseniana admittenda, ut efficaciam gratiæ in quadam congruitate, & contemporatione cum dispositionibus subjecti constituamus; ita ut necesse sit, ut divinæ gratiæ victricis collatio præscientiam, & explorationem Dei circa dispositiones subjecti presupponat, ne v. g. quem vellet Deus efficaciter convertere, quinque puta sex gradus concupiscentiæ haberet, huic conferret gratiam, quæ quatuor tantum gradus cœlestis delectationis communicaret: Jansenium vero omnem præscientiam ac cognitionem, ut quid Semipelagianum, a victrici sua gratia excludere.

Resp. congruitatem & explorationem de qua in objectione, minime potuisse a Jansenio rejici; quin imo cum ejus systemate necessitatio connexam. Verum mirari satis non possum fraudem ac fallaciam quorumdam hujusc sententiæ patronorum, qui eo pretextu sub Congruistarum pallio aliquando volunt se tegere. Triplex enim inter utramque sententiam discrimen apertum. 1. In sententia Recentiorum, est connexio infallibilis, & necessaria inter superioritatem delectationis gratiæ, & consensum voluntatis, ex vi, & superioritate ipsius gratiæ: nihil simile in sententia Congruistarum reperitur; nulla enim connexio infallibilis in illa sententia, nisi dependenter a scientia media. 2. Deus videt necessitatem connexionis inter delectationem, & consensum per scientiam simplicis intelligentiæ: in sententia Congruistarum, in scientia media videt futuritionem conditionatam consensus. 3. Scientia exploratrix, qua Deus explorat disquisitiones subjecti, seu gradus futuros concupiscentiæ, est scientia visiæ: scientia vero exploratrix in sententia Congruistarum, est scientia media. Fuse hoc prosequitur P. Massouliè T. 2. Dissert. 3. de divina gratia q. 6. art. 2.

P. 213. & seq. Dicunt 8. se negare prorsus voluntarium idem esse ac liberum: non solum eo sensu, quo Jansenius illud negavit, nempe quia motus primo primi, licet aliquo sensu voluntarii, non sunt tamen liberi juxta illum auctorem; sed etiam ex eo quod liberum sit id, quod ita volumus, ut simul stet cum actu volendi potentia ad oppositum.

Resp.

Resp. Arnaldum in Libello inscripto: *Humanæ libertatis notio delineata.*
Causæ Arnaldinæ p. 100. & 106. pariter distinguere voluntarium a li-
bero; ita tamen, ut per potentiam ad oppositum, intelligat dumtaxat
exclusionem necessitatis ad unum a natura.

Dicunt 9. Systema Jansenii in eo differre a delectatione superiori, qualem
Recentiores agnoscunt, quod juxta Jansenium, voluntas æque certo, &
infallibiliter determinatur ad malum per superiorem delectationem ter-
renam, quam ad bonum per cælestem: at istud locum non habet in sy-
stemate Recentiorum, qui asserunt hominem, etiam sub dominio arden-
tioris cupiditatis, aliquod opus moraliter bonum interdum exercere.

Verum, fictum plane est discrimen istud. In utroque enim systemate, supe-
rior delectatio terrena tam certo, & infallibiliter ad malum, quam cœlestis ad
bonum determinat. Nisi ita foret, qui fieri posset, ut Deus certitudine plane in-
fallibili ac metaphysica, ut ajunt, nosse hominem cum sola gratia sufficien-
te, absente efficaci, nusquam observaturum mandatum? Id quippe certo nosse
non potest, nisi quia certissime contingat, ut superior delectatio minorem su-
peret, ac voluntatem ad agendum seu bene, seu male determinet 2. Possibile
non est possibilitate ad actum reducibili, ut dominante delectatione terrena,
homo cum sola inferiore gratia sufficiente aliquod opus bonum morale exer-
ceat: quandoquidem voluntas maxima tunc difficultate premitur, ac vera la-
borat impotentia morali operandi bonum, que juxta ipsos nunquam ad actum
reducitur. Imo nequidem possibile est ea possilitate, que nusquam ad actum
reducatur, ut voluntas ardenter cupiditate abrepta, se ipsam ad aliquod bo-
num opus morale efficaciter flectat ac determinet. Absente enim gratia efficaci
ac dominante concupiscentia, isti resistere non potest nec bonum operari, ex
vera, propria, & physica impotentia, nempe propter virium depressionem, ac
infirmitatem ortam ex peccato: qua sit, ut non magis possit eo in statu operari
bonum, quam ex morbo convalescens exhaustusque viribus, possit longum iter
pedibus perficere. An non iste vera, & physica laborat impotentia? Ergo & ille.

Circa quintam Propositionem.

Dicunt Recentiores agnoscere se veram, & sinceram in Deo esse vo-
luntatem pro salute omnium, ac Christum pro omni bus omnino homi-
nibus mortuum fuisse; quod utrumque in suo systemate Jansenius rej-
icit. Postquam, inquit, Lib. 3. de Gratia Christi cap. 20. peccata jam T. 3. p.
ab hominibus inducta considerantur, antecedens voluntas in sola præcisione men-
tis, adeoque nuda quadam velleitate nihil omnino gratie caussante, consi-
dere potest. Quod ex eo manifestissime patet, quia talem antecedentem volun-
tatem etiam erga damnatas creaturas sive hominum, sive Angelorum Deus ha-
bet. Et cap. 21. Illa, inquit, extensio (mortis Christi pro omnibus) ibid. p.
tam vagam modernorum Scriptorum, non alio ex capite, quam ex ista genera-
li, & indifferenti voluntate Dei erga salutem omnium, & ex illa sufficientis 166. col.
gratiæ omnibus conferendæ præparatione fluxit, quorum utrumque Augustinus,
Prosper, Fulgentius, & antiqua Ecclesia velut machinam a Semipelagianis
introductam repudiavit.

Verum 1. Systemati Janseniano nullatenus essentiale ac necessarium est ne-
gare aliquam esse in Deo antecedentem pro salute omnium voluntatem; ac
salvum, & integrum stat illud sistema, sive negetur, sive admittatur hec Dei
voluntas. Hoc unum cum illo necessario connexum est, gratias scilicet par-

vas, quas Deus omnibus reprobis largitur, viribus impares ac sufficiens esse relative ad eorum concupiscentiam superandam, adeo ut nullus reprobus salvare possit. Sive autem dicatur voluntas illa Dei antecedens pro salute omnium, beneplaciti, realis, & non puræ complacentia; sive tantum signi, metaphorica, & omnino sterilis, perinde est in systemate Jansenii.

II. Aliis in locis videtur Jansenius temperare quod durius citato in loco scripsit, & agnoscere voluntatem illam Dei antecedentem non esse plane sterilem, & otiosam. Eodem quippe L. 3. de Gr. Chr. c. 17. docet per illum voluntatem Deum paratum esse dare omnibus eam gratiam, quam ante peccatum homini innocentio dederat. Non sufficit, inquit, prior gratia, quam ante peccatum Deus homini conferebat, & etiam omnibus conferre paratus est, si voluntatem ejus usui sufficientem reperiret. Porro nonne sufficit, ut voluntas antecedens dicatur activa, quod parata sit omnibus aliqua divisa auxilia impertiri? Ibidem paullo post. Non est, inquit, illusoria Dei vocatio, & admonitio, & increpatio, & correctio... tribuit enim quidquid creaturæ rationali a se conditæ ad audiendam sequendumque vocem suam necessarium fuit. Cap. vero 27. L. 2. de Gr. Chr. ait, multos divinæ gratiæ motibus in voluntate percilli, qui tamen ab ejus interna suatione, & inclinatione difficiuntur. Porro Deus haud dubie intendit aliqua voluntate illud opus bonum, ad quod provocat interna gratiæ suæ suatione. Illa autem voluntas est tantum antecedens, neque tamen omnino sterilis.

Dicere igitur quis posset Jansenium non omnino negasse omnem in Deo pro salute omnium voluntatem aliquo sensu activam? Et certe cum citatis cap. 20. & 21. Lib. 3. dixit eam antecedentem voluntatem in mera præcisione mentis, & nuda velleitate, nihil omnino gratiæ causante tam in hominibus, quam in damnatis Angelis, consistere, intelligi potest de gratia, quæ cum effectu conjungatur; seu quantum ad efficacem, & absolutam salutis aseptionem: quia re ipsa virtute voluntatis hujus antecedentis, non magis salutem asequentur reprobis in via adhuc constituti, quam damnati in inferis reclusi. Neque enim quantum ad concessionem, seu dispensationem, aut præparationem gratiæ alicuius, (ut Dionysius Raymundus observat, simulque Paulus Irenæus) voluntas illa eodem plane sensu iners dici potest erga dæmones aut homines in inferno jam positos, ac erga reprobos in terris adhuc degentes, quibus gratias aliquas temporales, imo & aliquibus etiam sanctificantem gratiam largitur, quæ (pergit cit. auctor) cum ex se sit gloriæ semen, recte, in mente Irenensis, ortum habere dicitur ex voluntate Dei antecedente salutis illorum reproborum; quod utrumque dici non potest de damnatis, qui non solum nullam omnino gratiam recipiunt, sed nec capaces sunt ipsius accipiendæ.

III. Sic re ipsa discipuli Magistrum interpretantur, ac disertis verbis profitentur esse in Deo veram, non otiosam ac sterilem, sed actuosam pro salute omnium voluntatem.

Paulus Irenæus Disq. 6. art. 8. rem totam his verbis dilucide exponit. Ita voluntas antecedens non eo solum pertinet, ut Deus abstrahendo ab hominibus lapsu, salutem omnium, quatenus homines sunt, optare dicatur: sed generaliter antecedens Dei voluntas fertur in id, quod rectum, quod justum, quod bonum secundum se est. Ita quia rectum est hominem converti, penitentiam agere, bonitatem Dei non contemnere, gratias ejus non respuerere, ad sacramenta

menta accedere; hæc omnia antecedente voluntate censetur Deus velle, licet spētatis singulis circumstantiis, non decreverit singulis efficaces gratias conferre, quibus ad salutem certo perveniunt, sine quibus certo absolute excidunt. Ergo non eo solum nomine antecedenti voluntate Deus omnium hominum salutem optat, quia omnes creature rationales ad beatitudinem fecit; sed etiam, quia cum permultas gratias vel externas, vel internas in reprobos diffundit, quibus injustum est eos abuti, iisdemque aditum ad Ecclesiam suam patere velit, antecedente voluntate velle censetur omnes ad salutem pervenire, quia vellet ipsos obstinatos in malitia non manere. Lege & Dionysium Raymund. I. p. c. 6. art. 6.

Auctores quinque Articulorum art. 5. *Veritati consentaneum est dicere, in-*
P. 231.
seq.
quiunt, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, ac Sanguinem fudisse; tum quia antecedenti voluntate salutem omnium voluit; *tum quia sufficiens pro omnibus pretium obtulit. Falsum autem est, & hereticum dicere, Christum pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuum esse; cum multis reprobis, omnibusque adeo justificatis gratias, tradita a Thomistis notione, sufficientes meruerit, quibus ad salutem pervenire possent; quamvis nemo illis bene utatur, & in accepta justitia perseveret, nisi uberioribus illis, & efficacibus auxiliis adjuvetur.*

Non immerito igitur diximus Jansenianum systema id necessario non postulare, ut excludatur omnino Dei antecedens voluntas pro salute omnium: ut enim hæc cum ipso systemate defendi potest, ita etiam & negari. Quapropter, nostro quidem judicio, non satis eluitur Jansenisti nota, & suspicio, ex eo præcise, quod quis admittat dictam illam in Deo voluntatem antecedentem; quandoquidem apertissimi Jansenii fautores eam quoque agnoscere se profitentur. Nolim tamen Jansenium ea in parte vindicare; imo eo ipso quod docuit parvas illas gratias, quæ reprobis conceduntur, absolute dumtaxat seu abstracte consideratas, tendere ad eorum salutem, non vero relative ad præsentes eorum dispositiones, id est, majorem concupiscentiam, cui superandæ plane impares, & sufficientes sunt, omnem illam prætensam Dei sinceram voluntatem evertit; ac perinde est ad salutem illorum reproborum, ac si nullatenus Deus vellet eos salvos fieri, nullasque ipsis omnino gratias concederet; quia nullum ex illis, utpote non proportionatis oppositæ cupiditatis gradibus superandis, fructum, ac commodum ad salutem referre possunt. Cum enim, juxta Jansenium, voluntas illa Dei antecedens abstrahat ab omnibus particularibus circumstantiis subjecti, consequenter abstrahit a gradibus majoris concupiscentiæ illorum hominum: unde fit, quod gratiæ, quas Deus illis decernit, licet ex natura sua, & Dei voluntate antecedente, quæ abstrahit a circumstantiis, possint salutem procurare, relative tamen non possunt, quia sunt invalidæ, & debiliores, ac gradibus cupiditatis, in quam impingunt, inferiores.

Atque in eo potissimum positus est error quintæ Propositionis, ac Jansenius a doctrina S. Thomæ longius recedit in I. distin. 41. q. 1. art. 1. ubi docet, voluntatem antecedentem abstrahere dumtaxat a distensu personæ, cui gratia conceditur, non vero, ut Jansenio placet, a gradibus vehementioris ipsius concupiscentiæ. *Minima enim gratia, in principiis S. Thomæ, superare potest quamcumque concupiscentiam, & vitare quodcumque peccatum mortale.*

Expenduntur alia nonnulla generalia momenta.

Opponunt I. Doctrinæ alicujus systema rejici, ac damnari propterea non
Tournely de Gratia. Tom. III. Pars I.

debere, quod ab eis emulism nonnullæ inferantur conclusiones minus sanæ, & orthodoxæ; maxime cum systematis hujus defensores conclusiones illas rejiciunt, ac damnant; alias, clamatae forent omnes fere Scholarum Catholicarum opiniones, v. g. Thomistarum, ex quibus earum adversarii, absurdæ, falsæ, & erroneæ sequi arguendo contendunt.

Respondet 1. Recentiores ipsos in hoc ipso peccare, quod nobis objiciunt, cum sententias fere omnes Catholicas circa gratiam explodant, imo & sapientius acerbiori censura notent, propter consequentias dumtaxat, quas earum patronis falso tribunt, quasque ipsi expresse rejiciunt.

II. Quando conclusiones nexu plane necessario ex suo principio sequuntur, vel deferendum est principium, vel admittendæ conclusiones; & qui priori retento istas negat, similis est illi, qui truncum, & radicem arboris servaret, & ramos inde pullulare nollet. Porro ita necessario fluxu ex principio delectationis superioris consequitur doctrina quinque Propositionum, ut non solum Jansenius illius systematis parens, post indefessam per viginti, & duos annos hujus principii cum conclusionibus collationem, has Propositiones tamquam consequentias ex illo principio deducendas admiserit; verum etiam ipsius discipuli Libris pluribus, imo & Memorialibus Innoc. X. Pontifici oblatis diserte probaverint earum cum principio delectationis superioris necessariam, & individuam connexionem. Unde, vel ex hoc ipso longum, & apertum discrimen est inter conclusiones, quas emuli præmotionis physicæ contra hoc sistema inferunt, & conclusiones illas, quas ex principio delectationis superioris inferimus.

III. Nec rejiciuntur conclusiones illæ a Recentioribus, nisi quantum ad verba quædam duriora, quæ aures offendunt; verum, quando ad legitimum sensum Jansenii, hoc est, delectationis superioris, aliis extraneis semotis, clare, ac nitide revocantur, profecto admittuntur.

IV. Nulla comparatio inter sistema prædeterminationis physicæ, & sistema delectationis superioris instituenda. Sistema præmotionis physicæ non omnino recens est, Scholam, ac discipulos in Ecclesia obtinet, ac Summi Pontifices prohibuerunt, ne ulla censura notaretur; tale non est sistema delectationis superioris; nullam Scholam obtinet, recens ex cogitatum a Jansenio, nec usquam probatum, imo cum parentis sui damnatione implicite saltem involutum.

Opponunt 2. Non alia magis ratione oppugnatur physica præmotio, quam quod necessitatem imponere videatur; quia nempe illud omne censetur necessitatem imponere, quod est causa certissima; & infallibilis actionis creatæ: at hoc ipsum est, quod aduersus superiorem delectationem potissimum contorquetur.

Præterea ratio, propter quam multi gratiam Thomistico sensu sufficienter repudiant, hæc est, quia non continet quidquid necessarium est ad agendum; unde fit ut cum ea sola homo nusquam agat: atqui nonne hoc ipsum est, quod aduersus gratiam sufficientem Jansenianam opponitur?

Denique fidei dogma est, nullam voluntati necessitatem inferri per gratiam summe victricem, & efficacem: quare igitur id criminis datur delectationis superioris systemati?

Resp. ad 1. Non ex eo præcise redargui superiorem delectationem, quod cum ea infallibili nexu conjuncta sit voluntatis actio; sed quod talis sit ea infallibilitas, ut ei resisti non possit, ac veram ad actum oppositum tollat relativam

pote-

potestatem: unde hęc infallibilitas veram necessitatis naturam, & rationem induit.

Ad 2. Äquivocatio est nominis, de qua toties diximus. Gratia scilicet sufficiens Janseniana in se absolute spectata, & præcisissimis circumstantiis subjecti, continet quidquid est absolute necessarium ad agendum: at illa gratia sufficiens Janseniana, relatiye ad majorem oppositam concupiscentiae delectationem, non continet quidquid est necessarium ad agendum, ob eam quam sapienter diximus rationem; quia major delectatio nusquam potest a minori superari. Non ita est de gratia sufficienti Thomistica, quę tametsi minima, superare potest quamcumque actualem concurren-tem concupiscentiam, & quodlibet peccatum declinare.

Ad 3. Est quidem dogma fidei, per gratiam efficacem, sensu Catholico expositam, nullam inferri ad agendum necessitatem: at talis non est gratia efficax Calviniana, vel Janseniana.

Opponunt 3. Patrem Massouliè Dominicanum inter recentiores Thomistas clarissimum, in Opere quod inscripsit: *Divus Thomas sui interpres*, systema superioris, ac relativę delectationis approbare, ac totis viribus defendere: nec tamen illum in suspicionem Jansenismi venire posse, quem data opera refellit T. 2. Dissertatione 4. q. 3. cui titulus est: *Virum cum erroribus Jansenii sententia Schola Divi Thomas conveniat*. Ergo sistema delectationis superioris distat ab errore Jansenii. Adde, quod dictum Opus P. Massouliè Romæ typis mandatum fuerit sub oculis, & cum licentia S. Pontificis: an vero tolerasset Pontifex sistema Jansenianum eo in Opere propugnari?

Respondet 1. Patrem Massouliè hac sua sententia tantum distare a Thomistica Schola, quantum hęc distat a Janseniana. Vel ipsem Jansenius l. 8. de Gratia Christi c. 2. Thomisticam explicandę gratię vi-tricis rationem explodit, ac rejicit.

II. Thomistæ, qua veteres, qua recentiores, a Jansenii systemate omnino alienos se profitentur; & si quando Janseniani ad eos, ut delitescerent, se recipere voluerunt, repulsi sunt. *Dominicani res suas gerunt*, *Augustini suas*, inquietebat de S. Amour. Atque in Congressu, qui habitus est an. 1651. die 2. Decembris, ut tentaretur unio, ac societas Thomistas inter, ac Jansenianos, nusquam convenire inter se potuerunt, tum circa verba, tum circa sensus. Auctor recentioris Operis, cui gallice titulus: *Justification du silence respectueux*, fatetur ingenue Tom. 3. cap. 43. p. 1348. num. 17. sistema Thomistarum alienum plane esse a superiori, & relativę delectatione gratię juxta Augustinianos, id est Jansenianos: atque P. Massouliè, deserta Schola Thomistica, ea in parte ad Augustinianos accessibile. (1)

(1) Gravesonius tamen *Epistol. Classe II. ep. 6. n 8.* pluribus ostendit, cælestem gratię delectationem, quam Massouliæ admisit, non esse indeliberatam, nec antecedentem, seu non antevertere determinationem & consensum voluntatis humanæ, sed illam cælestem gratię delectationem esse deliberatam, & consequenter voluntatis humanæ determinationem & consensum, adeo ut essentia, seu natura efficacie reponi minime debeat, in cælesti indeliberata delectatione, qua antecedat consensum, & determinationem voluntatis creatrice (sicut falso Jansenius, ejusque discipuli pertendunt,) sed efficacia Gratia repetenda sit ex promotione physica, quam cælestis deliberata delectatio, tamquam effectus, consequitur.

- III. Non est, quod Recentiores adeo venditent, & extollant auctoritatem dicti P. Massouliè. Quæ enim ille docet circa gratiam sufficientem, in qua dumtaxat abſolutam agnoscit ad superandam oppositam cupiditatem potentiam, non vero relativam, ac viribus proportionatam, plane consentiunt cum Janseniana, & a Thomistica doctrina plurimum discordant. T. 2. Dissertatione 3. q. 6. art. 1. postquam fuse demonstravit exemplo rerum naturalium, hanc esse in omni statu immobility divinæ providentia constitutam legem, ut actio ex proportione majoris inæqualitatis oriatur, qua agens sibi subjiciat passum, & major vis vincat minorem: Art. 2. de divina gratiae motione sic loquitur: Si fortior sit divina gratiae motio, & ea motione accensa charitas vincat superetque pravam cupiditatem, tunc motio divinae gratiae efficax est: Quod si econtra vehementer sit ipsa cupiditas, cassa, & inefficax redditur divina motio, aut ejus vis ita retardatur, ut licet effectum aliquem habeat, non habeat tamen perfectum, ad quem ex divina ordinatione refertur... Et postea: Palam est, inquit, sufficientem gratiam, quam Schola Divi Thomæ admittit, verissime, & propriissime sufficientem esse; cum re ipsa nihil ipsi desit, si vis ipsius agendi spectetur. Quod enim gratiae divinae motio, v. g. ut quatuor, interdum effectum non habeat, non oritur ex defectu ipsius motionis divinæ, quæ vim agendi non habeat. Est enim verissime sufficientis, imo & natura sua efficax, nec minorem suo in ordine vim habet agendi, quam habeat, v. g. calor in ordine physico, quem nemo negaverit vim habere sufficientem comburendi, ita ut si admotum lignum ignis non comburat, id non oriatur ex eo, quod ipsi igni desit sufficientis vis agendi, sed quod lignum oppletum humiditate, & aqua, impressioni, seu vi, & efficacia ignis obſtitat. Atque idem de voluntate sentiendum est. Nam si prava voluntas minori, v. g. obſtinatione obſfirmata eſſet, minusque intensus est pratus ipsius habitus, quo veluti pondere a virtute colenda retrahitur, & ad vitium impellitur, ipsa eadem divinae gratiae motio, ut quatuor, voluntatem ad virtutem impelleret, atque hujus consensum obtineret. Quod si ea gratiae divinae motio, ut quatuor, voluntatis consensum non obtineat, id non oritur ex defectu ipsius motionis gratiae divinae, sed ex prava dispositione voluntatis, quæ ob pravum habitum intensum v. g. ut quinque, ipsius actionis impressioni, & vi seu efficacia divinae motionis non subicitur. Hactenus Pater Massouliè. (1) Non poterat ille verbis significantioribus exprimere sententiam Sambovii, Pauli Irenæi, & aliorum, quorum testimonia retulimus, ubi de potestate absoluta, & relativa, quorum verba videtur exscriptisse: Gratiam nempe sufficientem absolute quidem in se, & præcisus subjecti dispositionibus sufficere, & ad opus perfectum ex divina voluntate antecedenti referri; nullibi vero significat P. Massouliè sufficere relative in his circumstantiis, seu quatenus ardenter est illa concupiscentia. (2)

Pa-

(1) P. Concina tamen negat T. VI. l. 1. diss. 1. c. 6. §. 5. n. 6. P. Massouliæum hic loquutum de Gratia sufficienti. Hec verba, inquit, opposita a Censore (Turnelio) gratiam EFFICACEM relativam, seu in quadam contemporatione sitam exprimunt. Recole queſo Massouliæi verba: Palam eſt, SUFFICIENTEM Gratiam &c.

(2) Sumit ergo Turnelius, loquutum hic eſe Massouliæum de Gratia sufficiente. P. vero Concina n. 8. fingit Turnelium in Massouliæo reprehendere, quod gratia sufficientis non meminerit. Tum Turnelium increpans ait: Finge non meminisse 131. An Gratiam sufficientem quatuor integris articulis in sensu Thomistico non exponit?... Quid quod in hac ipsa questione opposita a moſoſo terriboque Censore, non ſemel, ſed plures Gratia ſuf-

Parum juvat, quod ibidem art. 1. afferit, quod nempe si homo gratiae sufficienti non obsteret, Deus efficacem ipsi conferret. Namque in his circumstantiis voluntas non potest non resistere, juxta legem a divina providentia institutam, ut ait P. Massouliè, per quam actio ex proportione majoris inaequalitatis oritur, qua major vis vincat minorem. Quomodo enim fieri posset, ut voluntas majori concupiscentiae pondere ad malum depressa, erigeretur ad bonum, nisi mutata prorsus, & inversa ista divinae providentiae lege?

Nemo sane hic non recognoscatur Jansenianum systema, ac radicem ipsam, unde quinque Propositiones necessario fluxu diminantur. Neque vero potuit dictus P. Massouliè invidiosum istud doctrinæ sua cum Janseniana consortium declinare, nisi Censuram Apostolicam quinque Propositionum Jansenii derivando in sensum adeo absurdum, & a mente Jansenii alienum, ut Janseniana heresis figmentum, ac merum phantasma videri possit. Exemplo sit, quod ait Dissert. 4. de Gratia Adami qu. 3. art. 4. ubi ex professo demonstrare nititur, quam longe absit doctrina Thomistica a Janseniana. Inter cetera vero, de gratia sufficiente sensu Thomistico, & Janseniano verba faciens, contendit discrimen esse (sunt ejus verba) quod apud Jansenium hæc minor, ac invalidior gratia, quæ actum aliquem efficit, in ea dumtaxat efficientia sicut, neque ad alium perfectiorem actum ordinetur, aut ex ipsa rei natura, aut ex ipsa Dei ordinatione, intentione . . . Quod sane, quam parum rationi consentaneum sit, inde satis liquet, quod ex ipsa rei natura semper imperfectum ad perfectum ordinetur.

P. 355.
Reff. 3-

Verum hæc ipsa hujus sententiæ absurditas P. Massouliè movere debuisse, ne Jansenio totis viribus reluctantem eam affingeret. Tale profecto figmentum nusquam ille excogitavit; quin imo in illa parva gratia quotquot sunt Janseniani, agnoscunt perfectissimam, completissimam, expeditissimam quoad bonum opus potentiam, tum ex natura ipsius gratiarum, tum ex ordinatione Dei. At tota equivocatio in eo latet, quod completissimam dicant absolute, non vero relative; hoc vero ipsum est, quod tuerit, ac probat dictus P. Massouliè juxta eam legem, quam ait ab auctore naturæ institutam, ut actio ex proportione majoris inaequalitatis oriatur, qua major vis vincat minorem. Qua lege supposita, necesse est dictus Theologus affirmet, justis sola gratia parva, seu inferiori instructis, absente efficaci, impossibilia esse, quædam mandata, non quidem absolute, ac præciliis circumstantiis, sed relative: minor quippe ista gratia non potest majorem actualem vincere concupiscentiam. (1)

Nec

fientis meminit? At non erat, cur P. Concinna de colligendis locis in quibus Massoulius Gratia sufficientis meminit, tantopere laboraret. Non id in eo reprehendit Turnelius, quod Gratia sufficientis non meminerit, hoc carpit, Gratiam sufficientem, quam adstruit, absolute tantum sufficientem esse, non relative. Ut ergo Massoulium vindicaret, huc omnem debuerat P. Concinna suum conatum vertere, ut Gratia sufficientis Massoulii relative sufficiens ex sui auctoris mente ostenderetur; at maluit fingere sibi hostem quem feriret, ut Turnelium liberius veluti calumniatorem traduceret.

(1) Apertam cuique est, Massoulii verba a Turnelio hic adstringendam Thomistæ illi Jansenismi notam, sed ad explicandum ejus verbis Jansenii systema. Certe dum

Le Tel. Nec te moveat, quod dictum Opus Romæ sub oculis S. Pontificis ty-
lii Arch. pis mandatum fuerit. Nonne Liber Card. Sfrondati Romæ pariter editus
Rem. Defuit, & cum S. Pontificis Innocentii XII. commendatione, & Cardina-
Noalies lium plurimorum applausu? Non tamen religioni duxere nonnulli Ar-
Arch. chiepiscopi, & Episcopi Gallicani dictum Librum, velut plures errores
Par. Bof. fuit Ep. continentem, denuntiare S. Pontifici Innocentio, in sollemini Epistola.
Meld. Descripta septimo Calendas Martii an. 1697. Licensia ergo illa, quam P.
Seve Ep. Massoulie obtinuit Opus suum Roma typis excudendi, non importat
Atrib. approbationem doctrinæ ipsius, sed tollit dumtaxat prohibitionem a
DeBrou. Epist. Paulo V. latam, typis mandandi quemlibet Librum circa materiam de
Aub. Auxiliis absque speciali licentia. Ita de S. Amour pagin. 180. Diar.
& 200. & 201.

Opponunt 4. Eminentissimum Card. Laurea, & Illustrissimum Archie-
piscopum Rothomagensem D. Daubignè in suo Documento Pastorali an.
1708. approbare tamquam innoxium, systema delectationis per gradus sen-
relative victricis: non igitur existimarunt illud esse fundamentum to-
tius Jansenismi, ac fontem, unde quinque Propositiones scaturiunt.

Ad 1. Respondetur 1. Cardinalem Laurea hoc unum docere, ex gra-
tia scilicet delectationem quamdam, ac suavitatem profluere velut effe-
ctum ex causa, qua sit, ut voluntas tali suavitate delinita longe magis
sibi placeat in bono, quam in malo opere exercendo. Hæc porro dele-
ctatio motus est voluntatis omnino deliberatus, ortus ex ipsius libera
determinatione: qua ex parte plurimum differt a delectatione superiori
Janseniana, quæ indeliberata est, antecedit, non vero sequitur voluntatis
determinationem. Dici etiam potest quod doctissimus, & Eminentissimus Auctor, cum aliis inter Orthodoxos non paucis, vim, & efficaciam
gratia colligit ex delectatione ipsius interna, & simpliciter victrice,
qui profecto explicandi modus innoxius est, & ab omni erroris suspi-
cione longe alienus; non vero ex delectatione relativa seu per gradus
superiore, ac victrice, qui modus explicandi totus Jansenianus est, ba-
sis, ac fundamentum errorum quinque Propositionum.

Ad 2. Respondeatur, immerito prorsus opponi illustrissimum Archie-
piscopum Rothomagensem. In eo enim gravissimo, ac doctissimo Pa-
storali Documento cit. pag. 39. ait quidem, quod Theologia P. Juve-
nini nullam censuram, ac reprehensionem mereretur, si in hoc uno ha-
ceret, gratia scilicet vim, & efficaciam in victrice ejus delectatione po-
sitam esse, sicut plures opinantur Theologi orthodoxi. Verum, pergit
Illustriss. Archipræfut, talem ille cum Jansenio delectationem victricem
admittit, ut voluntas ei resistere non possit, sed necessario, quamquam
libe-

dum P. Fortunatus a Brixia in Cornelii Jansenii systemate P. 1. n. 52. Simonneti T. 11.
Inst. Theol: tract. 6. disp. 3. art. 6., & n. 53. Gravesonii Classe I. epistol. ep. 1. pag. n.
14. verbis utitur bilancis exemplo Jansenianum systema declarantium, nemini in mentem
veniat, Fortunatum Jansenistam notam inurere Simonneto, & Gravesonio voluisse. Id au-
tem monendum fuit, quia Auctor Theologia Christiana Dogmatico-Moralis Lib. 1. dis. 1.
cap. 6. §. v. nu. 4. Turnelio vehementer irascitur, quasi Massoulie gravissima calunnia
aggressus eset. Plures, inquit, legi innocentes Scriptores & emulorum calumnias gravatos;
at similem Massoulie noninam.

libere, consentit: quam quidem declarationem ad sensum auctoris, quem
damnat, adductis ejus propriis verbis, non simpliciter, sed relative dum-
taxat, ac per gradus vietricem esse ostendit ex T. 2. pag. 309. ubi ait:
*Eidem solutioni lux affulgebit maxima ex Tractatu de gratia, ubi ostendemus effi-
ciam gratiae esse relativam, ita ut idem auxilium pro majore, vel minore homi-
num, quibus confertur, cupiditate, in aliquibus sit efficax, hoc est, superet subje-
cti resistentiam, illudque ad pium actum determinet; in aliis vero sit inefficax,*
idest, licet excitet ad actum pium, ita tamen non superat hominis resistentiam,
qua ex majori illius cupiditate nascitur, ut illum ad eundem pietatis actum deter-
minet. Et T. 5. p. 515. hæc verba refert: *Gratia autem habet effectum ad quem
impellit, aut eo caret pro majori, vel minori cupiditate subjecti, cui confertur:*
unde eadem specie gratia non habet effectum in Petro habente tres gradus cupidita-
tis, effectum habuit in eodem Petro, cum duos tantum cupiditatis gradus haberet.
Cœcutiat oportet in meridiana luce, qui delectationem relative, ac per
gradus quasi mechanica lege vietricem, qualem Jansenius docet, hic non
recognoscit. Hanc porro unam in recentiore Theologo merito perstringit,
ac damnat doctissimus Archipræfus, non vero delectationem simpli-
citer vietricem, qualem Orthodoxi propugnant.

Opponunt 5. se palam, ac publice damnare quinque Propositiones
Jansenii, & quidem eo ipso sensu, quo ab Ecclesia damnatae sunt: agno-
scere se Propositiones illas esse in Libro Jansenii, unde fuerunt extra-
cta: se Formulæ Alexandri VII. sincero animo subscripsisse, ac etiam
num paratos, si opus foret, subscribere.

Respondetur 1. Hæc egregia quidem, ac maxime laudanda, quamdiu
nullo facto contrario evertuntur. Verum cum sub speciosa illa Formu-
larii subscriptione, ac damnatione Jansenii, integrum retinetur erroris
ejus principium, ac fundamentum; cum mutatis dumtaxat aliquibus Jan-
senii durioribus verbis, idem plane sensus aliis paullo mitioribus red-
ditur; cum denique variis flexibus eo demum totus Jansenismus addu-
citur, ut in sensum a mente Jansenii omnino alienum, fictum, ac plane
phantasticum resolvatur, nescio quis scrupulus statim menti occurrit,
aut fidei non satis sincerae, aut ignoracionis elenchi, idest, systematis
Janseniani. Quid quæsto Jansenio nocebit, si quis v.g. magno verborum
apparatu ostendat contra ipsum, admittendas esse hoc in statu gratias
sufficientes; at statim addat, *gratiæ sufficientem esse motionem voluntatis*,
qua non satis habet virium, ut concupiscentiam possit vincere: Vel cum ipsa
semper esse conjunctam impotentiam, qualem justus patitur vitandi om-
nia peccata venialia sine speciali Dei privilegio? Nonne talis gratia suf-
ficiens solo nomine distat a gratia parva Jansenii, quam Jansenius me-
liori fide, & aptiori vocabulo insufficientem appellavit? Nonne hac una
definitione reviviscit, & excitatur doctrina quinque Propositionum? Si
enim gratia illa satis virium non habet, ut vincere possit actualem op-
positam cupiditatem, ergo justis ea sola gratia instructis, & absente ef-
ficaci, relative impossibilia sunt quædam mandata, &c. ex qua una pro-
positione ceteras omnes pendere agnoscent Jansenii defensores.

II. Ad omnem Jansenistam legitimam suspicionem amoliendam, satis
esse non videtur, ut quis affirmet se Jansenium omnino deferere. Idem
profecto jam olim insidiose affirmaverant, qui Romæ deputati, suppresso

nomine Jansenii, caussam ejus agebant. Idem contestabatur aucto*r* Scri-
 Pag. 2. pti : *In nomine Domini . Non hic , ajebat , Theologie Jansenianæ rationem exi-
 stimo habendam esse . Idem legere est auctorem Tomi primi Traditionis Ec-
 clesiae Romanae , & auctorem Libelli inscripti : Seconde Lettre a M. l' Arche-
 veque de Cambrai , touchant le pretendu Jansenisme , aut sujet de sa Reponse a la
 Seconde Lettre de Monseigneur l'Eveque de S. Pons . Pag. 102. & 112.*

Frondem detexerunt Episcopi Gallicani in Epistola ad Alexandrum
*Recueil VII. data die 2. Sept. ann. 1656. Ut se damnationi subducant , ajunt ;
 des Bul- celeberrimum B. Augustini nomen obtendunt , ejus doctrinæ se profitentur esse
 les , pag. sectatores , repudiato etiam , si res eorum ferant , ipso Jansenio . Hujus tamen
 137. pravas , & detortas , quas ad Doctoris egregii locos adhibent , interpretationes
 amplectuntur .*

Ita , & Jansenius ipse profitetur se puram in omnibus sectari S. Aug.
 doctrinam ; an propterea illius adulteratae minus reus habendus ? Neque
 etiam satis est , quod quis asserat se quinque Propositiones ex animo
 rejicere , & formulæ fidei Alexandri VII. sincere subscriptissæ ; quasi non
 posset aliter in legitimam Jansenismi suspicionem venire , nisi aut re-
 cusando subscriptionem , aut aliquam ex damnatis Propositionibus ex-
 pressæ tuendo . Certe Apostolicis Constitutionibus detrahi potest , et si
 nulla ex damnatis Propositionibus aperte defendatur . Ipsis detrahunt ,
 qui vel exterius subscribunt mente dissentiente ; vel Ecclesiam in ea
 quæstione , quam falso ad merum factum revocant , definienda aberrasse ,
 unumque religiosum silentium sufficere arbitrantur . Ipsis detrahunt , qui
 eas , nec ordine Canonico latas , nec sufficienti Ecclesiarum acceptatione
 roboratas esse calumniantur . Ipsis detrahunt , qui Propositiones quinque
 quantum ad verborum dumentaxat corticem damnant , seu , ut ipsimet lo-
 quuntur , qui verba Propositionum in aliquo sensu non defendunt qui-
 dem , (quia iisdem verbis non utuntur) sed tamen damnatum non rejici-
 ent sensum Propositionum . Ipsis denique detrahunt , qui Propositiones
 quinque improbare videri volunt , quarum nihilominus radicem , ac prin-
 cipium , cum quo nexus indissolubili connectuntur , integrum servant ,
 ac retinent , sive Jansenismum ad merum phantasma , & inanes de
 syllabis controversias dejiciunt .

ADDITIO.

(*)

Opponunt 6. Si principium delectationum , quarum altera gradibus superior
 sit altera , basis esset , ac fons Janseniani systematis , non quinque sed sex
 in Jansenio damnari propositiones debuissent , quarum prima famosum illud prin-
 cipium exprimeret ; atqui sexta hæc propositio minime damnata fuit ; ergo .

Resp. nego majorem , neque enim necesse fuit sextam propositionem efformare ,
 quæ damnaretur , cum satis illud principium in ipsis quinque propositionibus , ac
 præsertim in tribus prioribus esset proscriptum . Igitur principium illud duarum
 delectationum jure ac merito , quemadmodum ait Gravesonius Epist. Classe 2.
 epist. 6. p. 126. a Catholica Ecclesia reprobatum ac proscriptum fuit impli-
 cite in quinque propositionum , quibuscum connexum est , damnatione ; altrimenti ,
 inquit Eminentiss. Besutius apud Berti P. II. Apolog. diss. 4. c. 2. §. 6. n. 2. ,

La Chiesa avrebbe recisi i rami (*quinq[ue] scilicet Jansenii propositiones*), e lasciata intatta la radice del male contro ogni regola di buon governo. *Nec erat cur de eo expresse damnando sollicita esset Apostolica Sedes ; damnatis enim necessariis consequentibus illarum principium per se intelligitur reprobatum : illud præterea dudum fuerat ab Ecclesia damnatum.* *Jansenius enim, ut ait celebris Diroyius Doctor Sorbonicus in Dissertatione pro justificanda condemnatione ec. cap. 5. n. 1., de indeliberatarum delectationum vi ad determinandam voluntatem, ut sequatur propensionem ab illis impres- sam, idem docet, quod olim docuerunt Astrologi de vi influentiarum, quod Physiognomici de temperamento corporis, quod tandem de ne- cessitatibus, quibus voluntatem subdebant, omnes illi docuerunt, qui libertatem impugnasse accusati sunt.* *Ceterum cum hoc argumentum falso nitatur supposito, quinq[ue] scilicet tantummodo propositiones censura dignas ex- stare in Jansenii Augustino, facili negotio demonstrari posset, verissime ab eo- dem Diroyso dictum, male intellexisse Jansenium statum naturæ puræ ; pejus statum naturæ innocentis ; pessime statum naturæ reparatae ; nihil neque de natura gratiæ Dei, neque de natura liberi arbitrii, neque de vi utriusque in omnibus statibus naturæ rationalis.* *Quamobrem Urbanus VIII. in sua Constitutione in Eminentia Jansenii Librum damnare se ait, quia continentem, & renovantem articulos, opiniones, & sententias (a S. Pio V. & Gregorio XIII.) in Bajo reprobatas, atque damnatas.* *Vide P. Fortunatum a Brixia tum in Libro inscripto : Observazioni critiche sopra certo articolo delle Novelle Letterarie di Firenze p. 89. secunda Brixiensis editionis an. 1759. tum in alio opere prænotato : Risposta all' au- tore di certo articolo stampato ne' fogli 26. 27. e 28. delle Novelle Letterarie di Firenze dell' anno 1753. pag. 103. seqq.*

Opponunt 7. Si ex principio duarum delectationum fluunt quinq[ue] Jansenii propositiones, ad iuste declinandam Jansenismi notam satis non esse proscribere veluti falsis quinq[ue] illas propositiones ; sed necessario requireretur, ut etiam famosum illud principium rejiceretur ; sed hoc pugnat cum Innocentii XII. de- creto injungentis, ne ulla ratione quisquam vaga ista accusatione, & in- vidioso nomine Jansenismi traducatur, aut nuncupetur, nisi prius si pene- dum esse constiterit, aliquam ex his propositionibus docuisse aut tenuisse.

Resp. nego minorem. Qui enim principium duarum delectationum non rejicit, suspectus merito jure est, aliquam ex Jansenii propositionibus tenere, imo om- nes, nam cum eo principio habent haec, ut loquitur Gravesonius, necessariam & individuam connexionem. Itaque ad mentem ipsius Innocentii nomine Jansenismi traduci is poterit.

Opponunt 8. cum P. Concina Tom. VI. Theol. Christ. Lib. I. Differ. I. cap. 6. §. 6. n. 7. Tot docti & sapientes Viri tum in universa Gallia, tum Romæ, tam longo tempore, tam severo examine Jansenii volumen cribravunt ; Romanæ Sedi patefecerunt totum id, quod damnandum judicarunt in hoc opere, & banc delectationem superiorem relative vitricem præteriere ; ergo. Confirm. quia e tot doctis Viris qui superiore sacculo proscriptum jam ab Apostolica Sede Jansenismum confutarunt, nemo unus bujus principii, seu delectationis meminit, non P. de Champs ; non Cardin. Aguirrius, qui ex duorum statuum, adjuto- riorumque quo & sine quo illis respondentium discrimine Jansenianum sys- tema repetit universam ; non P. Thyrsus Gonzalez, qui Tom. IV. Theolog.

Sal-



Salmantic. edit. p. 304. ait, *Jansenistas convenire cum Dominicanis in adstruenda necessitate gratiae ab intrinseco efficacis; hinc autem cum Calvinio convenire in afferendo, per illam gratiam everti libertatem indifferentiae, a quo longe absunt Dominicanii.*

Resp. cum P. Fortunato a Brixia nego antecedens, qua parte ait, Censores Gallos, Romanosque Romanæ Sedi patefecisse TOTUM ID quod damnandum judicarunt in hoc opere. Nam supra monuimus, plurimas in Jansenii Augustino extare propositiones jam pridem in Bajo reprobatas, quæ ab Innocentio X. pætermissæ fuere. Duodecim specimenis ergo profert citatus Fortunatus a Brixia in Observationibus Criticis p. 89. seqq. Sed bis missis quero a P. Concinna, quid de hac Jansenii propositione sentiat Lib. 3. de statu naturæ lapsæ cap. 10. ? Nemo bonam voluntatem habet, qua resistere possit dominanti concupiscentiæ, ne quidem ut imploret auxilium, ante susceptam fidem. Quam horrida est! quam Bajana! Nec tamen a Gallis, Romanisque Censoribus in medium adlata est. Quid? quod P. Concinna Tom. II. appar. lib. 2. Diff. 2. c. 2. §. 3. n. 1. veluti hereticam damnat hanc ihesim: Juris naturalis ignorantia, tametsi invincibilis, seu antecedens a culpa non excusat. Atqui ea Jansenii est, neque inter quinque connumeratur. Vident? quam falsum sit, Totum id quod in Jansenii Libro damnationem merebatur, fuisse a Galliæ Romæque Censoribus Romanæ Sedi propositum.

Ad confirm. nego assumptum. Nam P. de Champs Lib. 3. de Hær. Jansen. disp. 3. c. 6. n. 2. querens, quo ex capite Jansenius repetit illam medicinalis gratiae vim, quæ agendi necessitatem imponit, respondet disertus verbis, ex ratione delectationis VICTRICIS; quod ubi ostendit, habes, inquit, explicata paucis Janseniani dogmaris adyta, & arcanam radicem vis illius insuperabilis, quam ad voluntatis consensum necessario exprimendum medicinali gratiae attribuit. Confer citatum Fortunatum a Brixia Observat. criticar. pagin. 98. seqq. & Libelli inscripti. Risposta pag. 109. seqq.

Quod spectat ad Cardinalem Aguirrium, docet is Medicinalem Gratiam, quam Jansenius adjutorium quo appellat, a Jansenio in delectatione indeliberata victrici collocari. Vide disp. 132. in Opusc. I. S. Anselmi Sect. 1. nu. 1. seq. Sectione autem 4. num. 38. ait: Opinione Jansenii, quando exurgit MAJOR DELECTATIO concupiscentiæ, gratia, quæ datur, silit in desideriis inefficacibus, respectu quorum est simul sufficiens, & efficax; at relate ad effectum ulteriorem v. gr. adimplectionem praecipi, nullas vires nec sufficietes nec efficaces dat voluntati; siquidem DELECTATIO MAJOR concupiscentiæ infert NECESSITATEM ad oppositum. Quando ergo Aguirrius ex adjutorii quo & sine quo discrimine Jansenianas hereses arcet, non illas ex illo præcise discriminé repetit, quod si ad statuum naturæ lapsæ & innocentis diversitatem referas, Catholicorum omnium est; si ad ipsorum adjutorium quo & sine quo differentiam, S. Augustini dubio procul est; sed ex eo discrimine prout a Jansenio explicatur, juxta quod in statu naturæ lapsæ Jansenius, ut ipse Aguirrius loquitur disp. cit. 132. Sect. 1. nu. 3., ex hypothesi MAJORIS DELECTATIONIS in alterum partem censem NECESSARIUM esse, ut nos trahat, contra quam fuerat in statu naturæ innocentis. Quare ait ibid. Sect. 2. n. 16. Id certum est, ex eo discrimine JANSENIANO utriusque adjutorii emanasse monstra.

stra illa quinque propositionum a Sede Apostolica damnatarum, idque juxta sentium ipsius Jansenii; quod tantum est, ac Jansenii systema ad duarum delectationum luctam revocare.

Gonzalez quoque idem sentit. Ut enim alia ejus loca omittam a P. Fortunato prolati in Libro inscripto Risposta pag. 136. seqq., Tom. IV. selectar. disputat. disp. 4. §. 45. n. 692. & 693. ait, Jansenium contra omnes Theologos Catholicos gratiam efficacem propriam naturae lapsæ ponere in quadam inspiratione, DELECTATIONE, & suavitate a Deo immissa, quæ tribuat vires, & potentiam operandi omnino inseparabilem ab operatione, actumque PRIMUM constitutæ essentia liter IRRESISTIBILEM ob connexionem INFALLIBILEM, quam habet cum actu secundo, & (huc adverte) ex hoc PRINCPIO bona quidem Logica, sed pessima Theologia INTULITSE QUINQUE illas PROPOSITIONES HÆRETICAS. Igitur in loco ab adversariis opposito non negat, Jansenianos quoddam habere de Gratia efficacitate proprium systema; id unum ait, convenire illos cum Dominicanis in adstruenda necessitate Gratia ab intrinseco efficacis; unde autem intrinsecam hanc Gratia efficaciam repeatant, ibi non explicat, at alibi illam clarissime explanat, ut vidimus.

Opponunt 9. Jansenius ac Luthero suos errores bausit, ut fuse gravierque ostendit P. de Champs; Calvinus autem, ac Lutherus nusquam duplicitis delectationis meminerunt; ergo.

Resp. non Jesuitas solum, sed etiam Dominicanum Gravesonium, atque Augustiniensem Bertum Jansenio plagi e Calvini ac Lutheri hæresibus inurere notam, ejus tamen quinque propositiones a duplice delectatione repeteret. Igitur cum P. Abbate Mgliavacca, qui Jansenianis suspectus esse non potest, Antimadvers. in histor. Theol. §. 218., concessa prima antecedentis parte, ac secunda permitta, nego consequentiam; plagiarius enim Calvini ac Lutheri dici Jansenius potest ac debet, quod eosdem errores docuerit, quos illi antea tradiderant; unde siquid interest discriminis, id unice ad illorum principiorum QUALITATEM, non ad EFFICACITATEM revocatur, quod complura confixerint diversa inter se, quibus tamen EODEM MODO INFALLIBILITER determinaretur voluntas, priusquam ipsa determinaret. Permissi autem alteram antecedentis partem, negari licet posset. Docet enim Calvinus Lib. 2. Instit. cap. 3. num. 13., Deum juxta S. Augustinum producere in nobis bonam voluntatem IMPRESSO DELECTATIONIS (uti que celestis) AFFECTU; voluntatem ad malum liberam esse, quatenus DELECTATIONE, & proprio appetitu movetur (Lib. 3. de lib. arbitr.), & (Lib. 2. Instit. cap. 3. nu. 5.) hominem, ut vitiatus est ex lapsu, voluntem quidem peccare, non invitum, non coactum, AFFECTIONE animi PROPENSISSIMA, non violenta coactione; propriæ LIBIDINIS motu, non extranea coactione. Quid hoc est, nisi geminas illas Jansenii delectationes adstruere?

Opponunt 10. Plures Theologi Catholici duplicitis delectationis systema admittunt, & tamen Jansenianas propositiones execrantur; ergo.

Resp. dist. primam partem: duplicitis delectationis systema admittunt Catholicos sensu explicatum, concedo; Janseniano, nego: distinguo item secundam, execrantur, optima Theologia, ut nuper ajebat P. Gonzalez, concedo; bona Logica, nego. Sed de hoc plura quæst. 9. art. 2.

Oppo-

Opponunt denique cum P. Concinna. Error & quidem crassissimus est Doctoris Sorbonici (Turnelii) constituentis hæresim Jansenianam in sola delectatione victriæ, tamquam in radice. Nam ideo delectatio victrix Janseniana hæresim includit, non quia delectatio victrix, sed quia hæc delectatio, cum SUPPONAT extinctam libertatem indifferentiæ, tyrannico imperio necessario impellit ad sui nutum voluntatem; ergo doctrina de libero arbitrio per peccatum originale quassato amissioque clavis est, basis, ac fundamentum hæresis Jansenianæ.

Resp. falsissima esse, delectationem victriæ Jansenianam supponere extinctam libertatem indifferentiæ, cum potius juxta Jansenium delectatio victrix in causa sit, cur libertas indifferentiæ extincta sit. Ostendo 1. ex ipso P. Concinna, qui paullo ante, nempe §. 3. nu. 6. de Jansenio scripsérat: hanc vero libertatis jacturam, a peccato originali inventam COLLOCAT in libidinoso imperio ITA DOMINANTE ET CAPTIVANTE voluntatem humanam, ut nullam hæc retineat activam indifferentiam ad utrumlibet; ergo amissio activæ indifferentiæ, seu libertatis non radix est, sed sequela libidinosi imperii, seu delectationis victricis. Ostendo 2. ex Jansenio. Qui docet, Angelos, primumque hominem in innocentia statu ideo liberos fuisse ad utrumlibet, quia deerat dominatus ille DELECTATIONIS, quæ consensum libertatis in alterutram partem flectet, non ex amissione libertatis colligere potuit inventum dominatum delectationis, sed ex invento dominatu delectationis arguere debuit amissionem libertatis; sed Jansenius Lib. 4. de Gratia Christi cap. 10. diserte docet, ideo fuisse Angelos, primumque hominem in statu innocentia liberos, quia deerat dominatus ille delectationis; ergo. Docet præterea Jansenius ibid. extinctam libertatem, & peccandi inducitam esse servitutem, & hujus rei RADICEM esse, quia ex divinæ justitiae judicio persequente peccatorem, secutum est in libero arbitrio ex debita justa poena tale VITIUM, ut jam molestum sit obediens iustitiæ; ergo libertatis amissio consequentia est hujus vitii, non radix. Atqui hoc vitium delectatio victrix est. Audiamus Jansenium, qui sic pergit: hoc vitium est medullis voluntatis inhærens quædam LIBIDO fruendæ creaturæ . . . Hæc LIBIDO ad singulas occasionses per omnia peccatorum genera concitata, motibus DELECTATIONUM suarum voluntatem premit, nec eam sinit ad redemandum bonum surgere quod amisit. Hinc ergo sit (notet hanc illationem Turnelii mastix) quod liberum arbitrium ante gratiam non sit amplius LIBERUM ad agendum bonum, sed tantummodo ad malum. Igitur delectatio victrix juxta Jansenium non supponit, sed facit liberi arbitrii amissionem. Plura in hanc rem vide apud P. Fortunatum a Brixia in libro inscripto Risposta pag. 145. seqq.

(*)

Atque hæc dicenda nobis erant, tum circa Synopsim historicam Jansenismi, tum circa Systema doctrinæ Jansenii: in quibus exponendis, si quid nobis inculti minus sanum, aut rectum excidisse deprehendatur, pro non dicto, ac revocato habemus.

ADMONITIO AD LECTOREM. (1)

Occasione Libri supplicis sub nomine Pastorum Parisiensium ad Eminentissimum Cardinalem Noallium Archiepiscopum Parisensem.

PROdiit in lucem paucis ad hinc diebus gallico idiomate Libellus quidam supplex sub nomine Pastorum Parisiensium ad Eminentissimum Cardin. Noallium Archiepiscopum Parisensem . Siluissim profe-
to , ac Scriptum illud furtivis typis absque auctoritate publica in lu-
cem editum , publica ipsa auctoritate reprimendum neglexisse , nisi
fidem, & doctrinam meam vellicaret , & ad justam me cogeret defen-
sionem . Nolo , dicebat sapienter S. Hier. in suspicione hæresos quemquam
esse patientem , ne apud eos , qui ignorant innocentiam ejus , dissimulatio con-
scientiae judicetur si taceat stultum enim est frustra infamiam sustinere .
Neque vero infamiam impositi mihi erroris frustra sustinuisse : quin
potius tota illa recidisset in publicam offensionem , ac scandalum Theo-
logiæ nostra Candidatorum , quibus erroris suspecta redderetur doctri-
na , quam in eorum gratiam publicis scriptis evulgare pergo .

Epist. 48
ad Pam.
Tom. 4.
nov. ed.
p. 307.

Scio equidem , supplici Libello speciosum , ut moris est , obtendilæsæ ,
ac pericitantis Religionis nomen , fidei morumque violatam integritati-
tem , depresso , ac fere extinctum amoris Dei præceptum , Catholicum
gratiæ a se efficacis dogma in errorem Jansenianum traductum , perni-
ciosum æquilibrii sistema , velut Ecclesiæ doctrinam Fidelibus proposi-
tum . At scio etiam non hodie primum vana hæc monstra conficta fuisse
ad simplicium , & indoctorum fraudem , & ad invidiam eorum , qui pro-
scriptos Jansenii errores strenue pro viribus impugnant . Jansenium im-
petis ? Tibi crimen est : & criminè in uno quot , & quanta alia ! Illico
infamaris tamquam conjuratus doctrinæ SS. Augustini & Thomæ , ac gra-
tiæ Christi inimicus , sectator Semipelagianorum , Christianæ moralis cor-
ruptor , præcepti amoris Dei , imo & ipsius divinæ omnipotentiæ destru-
ctor . Ut vero fidem apud simplices inveniant , quot doli , ac fraudes !
Adulteratur Scriptorum textus ; sensus genuinus invertitur , ac detorque-
tur ; que disjuncta sunt , copulantur ; que unita , separantur ; que præce-
dunt vel sequuntur , unde Scriptoris mens elucescit , callide omittuntur .
Ac ne insignis hujus falsitatis , & male fidei exempla repetam altius ,
duo inter alia multa vel ipse Libellus supplex nobis subministrat , quo-
rum unum bonæ memoriæ Cameracensem Archiepiscopum , alterum vero
me ipsum spectat . In uno literalis textus turpiter truncatur , interpola-
tur , corrumpitur ; in altero textus ad erroneum sensum , textu ipso re-
nitente , ac invicta auctoris mente , trahitur , ac detorquetur .

Tournely de Gratia . Tom. III. Pars I.

Z Sum-

(1) Exstabat ista sub initium Tomi VI. de Sacramentis : verum hoc transferre maluimus
veluti prodromam epistolis duabus , quas in hujus admonitionis defensionem Gallice scri-
psit Turnelius , nosque latine reddidimus egregium futuras Tractatus de Gratia comple-
mentum .

Summa ingenii luce, ac vi eloquentiae totius systematis Janseniani virus omne, ac periculum detegit, ac prosequitur Cameracensis Archiepiscopus. Poenas luat necesse est. Statim in tribunali Janseniano reus declaratur damnatae gratiae a se efficacis Thomisticae. In systemate Jansenii, ait auctor Libelli, sistema gratiae efficacis Thomisticae proscriptum fuisse contendit Cameracensis. Qui (verba ipsa sunt Libelli ex prima Cameracensis ad Quenellum Epist. pag. 33.) ovi il faut QUE CE SOIT UNIQUEMENT LE SYSTEME DE LA GRACE EFFICACE DES THOMISTES, QUE L'EGLISE A VOULU CONDAMNER dans Jansenius, ou bien cette Eglise n'a voulu condamner rien de serieux. Si ce n'est pas là precisement ce qu'elle y condamne, elle agit comme un homme en delire; ou bien elle se joue & de la foi, & de sa propre autorité, & de la croyance de ses enfans; cette Eglise imagine un sens chimerique & ridicule, pour servir de fantome sur lequel tombent tous ses anathemes. Prosequitur: Les termes de la grace efficace par elle-même sont un nom adouci, sous lequel on enseigne la delectation necessitante.

Si hæc revera scripsit (ut auctor Libelli refert) Cameracensis, non disimulo, aberravit; nusquam etenim de proscribendo systemate gratiae a se efficacis sensu Thomistico, Ecclesia cogitavit. Si vero ea non scripsit, sed ipsi mendaciter imponuntur, quanti criminis reus ille habendus est, qui adultera manu tantam intulit in textum Illustrissimi Archipræsulii falsitatem? Judica, lector æquissime, ex genuinis Cameracensis verbis, quæ tibi summa fide repræsento, hæc sunt: Voilà le système (de Janse-
nius) qui saute aux yeux de tout homme un peu sensé & attentif, quand il lit ce Quesnel. Livre. C'est sur quoi il ne peut se meprendre. Il faut que ce soit uniquement ce P. 33. système, que l'Eglise ait voulu condamner dans Jansenius, ou bien elle n'a voulu y condamner rien de serieux. Si ce n'est pas là precisement ce qu'elle y condamne, elle agit comme un homme en delire, ou bien elle se joue & de sa foi & de sa propre autorité, & de la croyance de tous ses enfans. Elle imagine un sens chimerique & ridicule, pour servir de fantome sur lequel tombent tous ses anathèmes.

De systemate Janseniano circa duas delectationes relative viciæ uincice loquitur Archipræsul; de systemate vero Thomistico gratiae a se efficacis, eo loci ne verbum quidem. Ergo verba ista Libelli: Il faut que ce soit uniquement le système de la grace efficace des Thomistes que l'Eglise a voulu condamner dans Jansenius, ou bien cette Eglise &c. Verba, inquam, ista supposititia sunt, falsa, adulterina, germano textui maligne ac fraudulenter assuta.

Eodem loco habenda, quæ simili fraude, ac mala fide reddit auctor Libelli: Les termes de la grace efficace par elle même sont un nom adouci, sous lequel on enseigne la delectation necessitante. Ecce Cameracensis verba pag. 40. ejusdem Epistolæ: Le parti voit les Molinistes par tout: & quiconque ne croit point, la delectation necessitante sous le nom radouci de grace efficace par elle-même, lui paroit Moliniste & Pelagien. Heu! quantum hæc distant a sensu & verbis que refert Libellus! Cameracensi Libellus imputat quod Archipræsul Jansenianis tribuit. Itane unum cum alio permiscere, ac confundere licet? Crimine ab uno disce omnia.

Vix scio quid ad tam enormem fraudem, ac falsitatem reponere possint Libelli supplicis autores: atque hæc me cogitatio dubium & ancipitem tenuit, verusne esset an fictus dictus Libellus. Occurrebat animo fa-

sapientia, eruditio, & pietas Pastorum Parisiensium. Qui ergo, dicebam intra me tacitus, fieri potuit, ut tantæ falsitatis criminis se se implicare voluerint? Occulta confederatione, ac coitione dicti Libellifurtivæ subscriptiones ostiatim emendicatae circumferuntur: at quis prudens & cordatus viris tam gravibus id imputet? norunt illi occultas coitiones in societate qualibet periculosas esse, ac seditioni ut plurimum proximas. Unicus hujus Libelli supplicis finis, ac scopus videtur esse, ut XII. famosi articuli, quos ventitant quasi totidem Bullæ *Unigenitus* Explicationes Roma in Galliam missos, vindicentur & approbentur. At non ignorant, Scriptum typis editum, cui gallice titulus est: *Explications de N. S. P. le Pape Benoit XIII. envoyées en France au mois de Mars 1725. sur la Bulle Unigenitus*, premi Consistorii Decreto die 2. Junii ejusdem anni suppressum fuisse, ac cautum ut Exemplaria lacerarentur. An vero Scriptum illud quasi de novo revocare in lucem, ac contentos in eo articulos publico Instrumento confirmare voluissernt Pastores Parisienses? Credat qui voluerit, non ego. Regii Decreti hæc verba sunt: *Sa Majesté etant bien instruite que les Propositions contenues en cet Ecrit, n'ont jusqu'à présent été autorisées par aucun acte emané de sa Sainteté, & voulant reprimer la temérité de ceux qui non seulement ont osé les faire imprimer, mais même y ajouter de leur chef des notes pleines d'artifice, qu'ils ont appuyés sur un pretendu Corps de Doctrine de la Faculté de Théologie de Paris, qui n'a jamais été reconnu pour l'ouvrage de cette Faculté, ni revêtu d'aucune sorte d'autorité; Sa Majesté a ordonné, & ordonne que le dit Ecrit imprimé sous le titre d'Explications &c. sera, & demeurera supprimé: & en conséquence que tous les Exemplaires qui ont été répandus dans le Royaume seront incessamment rapportés... pour être lacerés.*

Verum, ut ad caussam meam jam proprius accedam, quisquis tandem sit Libelli supplicis auctor, non possum quin illum falsi postulem, quod me nominatim in crimen vocaverit propugnatæ turpis cuiusdam æquilibrii doctrinae.

Accusationis ansam, & prætextum arripit ex iis, quæ circa naturam, & vires gratiæ sufficientis docuimus, gratiam nempe sufficientem conferre homini expeditam, proportionatam, & relativam ad præsentes subjecti circumstantias, ad opus bonum potentiam, viresque pares & æquales superanda opposite concupiscentiæ, Bilem maxime censori nostro movent verba ista, vires pares, & æquales; quasi virus omne æquilibrii, ac æqualitatis virium, qualem ille fingit, aperte in se continerent. *On veut, inquit, que l'homme libre soit toujours dans une égalité de forces pour faire le bien & le mal; & que la plus foible grâce qui porte à une action sainte, lui donne des forces égales pour surmonter la plus forte tentation: c'est-à-dire, que si tot que l'homme aura quelque sainte pensée, ou quelque foible désir de vaincre les attrait de la cupidité, il ne pourra plus, sans une erreur manifeste, confesser devant Dieu les besoins d'un libre arbitre affaibli, & incliné, ni lui demander de plus grandes forces, & que Dieu même ne pourra pas lui en donner de supérieures à la tentation, parce qu'en étant l'égalité il ferait perir la liberté. Manifeste fallitur, vel fallit censor. Sententiam nostram aut non intelligit, aut maligne dissimulat.*

Hanc etenim virium æqualitatem, inter gratiam, & concupiscentiam, quam unam ille reprehendere merito potest, expresse damnamus, ac rejicimus. In fraudem procul dubio censem nostrum induxit ambigua

T. 2. de
Gr. p. 109
& 411.
Requie
p. 2.

æquilibrii, & æqualitatis virium significatio. Ut ergo omnis ambiguitas procul amoveatur; & nomen, & multiplex æquilibrii distinctio exponi statim a nobis debet.

Æquilibrium in moralibus quædam est voluntatis quasi suspensio, & indeterminatio; metaphora ducta a bilance, quæ in æquilibrio esse dicitur, quando examen ejus in neutram partem inclinatur.

Multiplex æquilibrii species distingueda.

I. Æquilibrium quoddam est naturale, liberum nempe arbitrium, seu facultas illa naturalis quæ ad opposita flexibilis est, nulli parti tenaciter, ac immobiliter affixa. Solet hæc in Scholis appellari activa indifferencia. Liberum arbitrium, ait S. Aug. illa media vis est, quæ vel intendi ad L. 2. de Sp. fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest. Speciem hanc æquilibrii repudia-
et Litt. e runt Manichæi, quorum hic error fuit, homines ad bonum vel malum
33. n. 18 T. 10. p. fatali quadam, & ferrea necessitate rapi, & determinari.
1. 1. F.

II. Æquilibrium quoddam est, quod voluntas ex se se ad bonum sicut ad malum æqualiter libera est, ac expedita, quale admiserunt Pelagiani, qui cum neque infirmitatem naturæ nostræ ex primævo Adami peccato derivatam, neque gratiæ necessitatem aut ad volendum, aut ad perficiendum bonum agnoscerent, consequenter affirmabant, voluntatem æqualiter ex se se ad bonum, & ad malum liberam esse, nec sine manifesta læsione, ac ruina libertatis per gratiam præveniri, & ad bonum applicari posse. Genus istud æquilibrii festive carpit S. Aug. impugnans Julianum:
L. 3. Oper. Libra tua inquietabat, quam conaris ex utraque parte per æqualia momenta suspen-
imp. n. dere, ut voluntas quantum est ad malum, tantum etiam sit ad bonum libera, ver-
ib. p. 109 117 gendo in unam partem te indicat delirantem.

B. C. III. Aliud æquilibrium est potentia nimirum seu facultatis, id est vo-
Con. Triad. luntatis, quo fit, ut voluntas sub motione cuiuscumque gratiæ, libera
Sess. 6. sit, ut possit ei dissentire, si velit; atque promptam & expeditam retineat
Can. 11. ad contrarium potestatem. Istam æquilibrii speciem, quæ ad fidem spe-
ctat, directe impugnant Janseniani. Apud illos quippe necesse est volun-
tatem eo semper, ac necessario inclinari, quo eam rapit indeliberata su-
perior, ac viætrix delectatio, qua velut quodam vinculo ligatur, ac con-
Joan. L. 7. stringitur: Nisi enim, ait Jans. L. 4. de Gr. Chr. c. 10. suavitas gratiæ tanta
de Gr. c. 5. fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum cesserint, vel peccabitur, vel alter-
p. 315. 1. c. nante delectationum stuctu, in medio remanebitur.
T. 3. pag.

IV. Quoddam fingi potest æquilibrium æqualis inclinationis seu pro-
pensionis & facilitatis ad bonum, & ad malum, quod exigit æqualita-
tem virium gratiam inter, ac concupiscentiam; ita ut ad meritum vel
demeritum actionis necesse sit vires gratiæ commensurari, ac pares, &
æquales esse viribus oppositæ concupiscentiæ.

Hæc igitur virum equalitas, quæ nobis objicitur, spectatur vel respectu fa-
cultatis seu voluntatis, quæ per gratiam sufficientem redditur relative expe-
dita, & idonea ut possit tentationi resistere, & operari bonum mediate aut
immediate; vel respective, ac comparate ad gratiam, & concupiscentiam.
Prior sensus verus est, ac orthodoxus, posterior falsus, & erroneus. Janse-
niani priori sensu callide omisso, ac dissimulato, in altero, qui a nemine de-
fenditur, explodendo, ac confutando jactantius exultant, ac triumphant.

His prænotatis, postremum hunc, ac erroreum æquilibrii sensum mihi
oppo-

opponit, & exprobrat auctor Libelli; verum, pace dixerim, insignis calumnia est. Omni etenim ambiguitate nominis remota, tam clare, ac distincte æqualitatem illam virium gratiam inter, ac concupiscentiam damno, ac rejicio; ut crassi hujuscem mendacii pudere censorem debeat, si quid in ipso frontis est, ac pudoris. Audiat igitur censor, quæ scribo T. 3. de Gr. p. 337. *Nec minus certum est, necesse non esse, ut pares sint, & aequales ex utraque parte, gratiae nimirum & concupiscentiae, vires. Neque enim hic vires unius cum viribus alterius comparantur; sed hoc unum exigit Ecclesia contra sententiam Jansenii, ut vires gratiae, tametsi gradibus inferiores viribus concupiscentiae, istas nibilominus superare possint, seu pares sint illis vincendis, ac superandis: quod e diametro pugnat cum systemate Jansenii, in quo impossibile est vim maiorem a minori superari.* Hæc ne, quæso, obscura sunt vel ambigua? An potui mentem meam clarius, & nitidius exprimere? Cur ergo ea confundit, ac perturbat? Cur maligne censor dissimulat? Cur æqualitatem virium inter gratiam, & concupiscentiam, quam rejicio, substituit in locum æqualitatis virium in voluntate, quam solam admitto?

Hac solita & communi fraude auctores XII. articulorum, qui quartum numero velut antidotum opponunt errori æquilibrii, sic illum ambigue conformant, ut verum cum falso permisceant; en articulus: *Ut in statu naturæ lapsæ liberum hominis arbitrium peccare aut mereri censeatur, non requiritur æqualis ad bonum, & malum facilitas: aut æqualis utrinque propensio; nec aequales in voluntate vires requiruntur.* Prima hujus articuli pars de æquali ad bonum, & malum facilitate, ac propensione non necessaria, *ut liberum hominis arbitrium peccare, aut mereri censeatur,* vera est, omniumque Theologorum calculo probata: altera vero de virium æqualitate in voluntate, ambigua plane, vel superflua, & cum prima parte confunditur, si intelligatur de virium æqualitate inter gratiam & concupiscentiam; vel falsa, erronea, & Janseniana, si de virium æqualitate in potentia seu voluntate ad oppositas concupiscentias vires debellandas. Ita Janseniani in æquivoco delitescere amant, ac fallere.

Hanc profecto ambiguitatem, quæ censorem decipere potuerit, non præferunt, nostra quæ mox reddidimus, verba; non ea, quæ ex Angelico Doctore toties laudavimus, quæ nonnisi insulſe supponere quis posset cum prætenso, quo infamamur, æquilibrio conciliari unquam posse. *Minima gratia,* inquit S. Doct. 3. p. q. 62. ar. 6. ad 7. potest resistere, cuilibet concupiscentia, ac mereri vitam æternam. Et rursus ibidem q. 70. ar. 4. in corpore. *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentia, & vitare omne peccatum quod committitur in transgressione mandatorum.* Non magis distat cælum a terra, & lux a tenebris, quam hæc S. Thomæ doctrina ab æquilibrio, & æqualitate virium: si enim minima gratia resistere potest, saltem mediate, cuilibet concupiscentia, etiam superiori & ardenteri: ergo necesse non est, ut pares, & aequales vires habeat cum viribus oppositæ concupiscentia, ergo calumnia vel inscitia plena est accusatio, qua auctor Libelli me impedit.

Objectionem contra naturam gratiae sufficientis ex æquilibrio ductam mihi propono pag. 333. æquilibrium iis omnibus tetricis coloribus depingo, quibus solet depingi; vanam & ridiculam esse assevero istam adversus nos objectionem, ab iis hominibus confictam, qui vel non intelligunt, vel maligne & ad invidiam, sententiam, quam tuemur, ut erroneam traducunt: *Volentes esse*

1. ad Ti-Legis Doctores, non intelligentes neque que loquuntur, neque de quibus affirmant.
mot. 1. v. 7. Tum ad solvendam propositam objectionem, multiplicem distinguo spe-
 ciem æquilibrii, præsentim vero unum inclinationis seu æqualis propensi-
 nis, ac facilitatis ad bonum, & malum, quod cum omnibus Orthodoxis
 aperte repello, ac damno; alterum potentia seu voluntatis, quo fit, ut
 voluntas sub quacumque motione gratiae libera remaneat, & ad oppositum
 relative expedita; quod adversus Jansenium cum omnibus Orthodoxis ad-
 mitto; atque hujuscce doctrinæ nostræ præsidium, ac firmamentum ex An-
 gelico Doctore locis mox laudatis potissimum mutuamur.

At immerito prorsus, dicet censor, S. Thomam invitum ad nos tra-
 himus: loquitur etenim S. Doctor de sola gratia habituali seu sanctifi-
 cante, occasione Circumcisionis.

Fallitur censor, de utraque enim tum habituali, tum actuali gratia in-
 telligendum est D. Thomas; habitualis quippe gratia opus habet actuali,
 ut in actum erumpat, judice eodem S. Doctore 1. 2. qu. 109. art. 9. Di-
 cendum, inquit, quod homo ad recte vivendum duplicit auxilio Dei indiget.
*Uno quidem modo, quantum ad aliquid habituale donum, per quod natura hu-
 mana corrupta sanetur: & etiam sanata elevetur ad operanda opera meritoria vita
 æternæ, quæ excedunt proportionem naturæ. Alio modo, indiget homo auxilio gra-
 tiae, ut a Deo moveatur ad agendum.* Laudat vero S. Doctor in confirmatio-
 nem suæ sententia, egregium istud S. Augustini testimonium ex Libro de
 natura, & gratia cap. 26. *Sicut enim oculus corporeus plenissime sanus nisi can-
 dore lucis adjutus non potest cernere, sic homo perfectissime etiam justificatus, nisi
 æterna luce justitiae divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.* Ergo cum a
 gratia habituali, ubi urget præcepti observatio, separari non debeat actualis,
 ista, quemadmodum & habitualis, licet minima sufficit in mente, ac
 doctrina Doctoris Angelici cuilibet vincenda, ac superandæ concupiscentia.

Lib. 3. de Nihil profecto est, quod Janseniani systemati tam capitaliter repugnet
Gr. c. 15. & adversetur, quam hæc D. Thomæ sententia. Paradoxum quidem Jan-
T. 3. p. senio videtur in principiis (ut ipse putat) S. Augustini: charitatem quam-
144. col. 1. E. vis minimam sufficere ad quacumque tentationem superandam, vel quacumque
 præcepta sine transgressione servanda. Verum longe meliori jure paradoxa
 videri debet Jansenii doctrina ad ipsum usque in Scholis Catholicis inau-
 dita, quæ novitate sua, ut ipsem Jansenius præsentiebat, universam
 turbatura erat Ecclesiam. Reipsa enim easdem in gratia sufficiente vi-
 res, quas nos jam post Jansenium apposite ad illius errorem repellendum
 pares & æquales dicere cogimus, veteres Theologi sub aliis verbis admi-
 serunt; nempe per gratiam sufficientem voluntati hominis conferri ad
 bonum potentiam sufficientem, expeditam, proximam, completam.
 Quare igitur, inquires, ab his verbis jam nos recedimus? Non recedi-
 mus, si Catholico intelligentur sensu. Verum cum apud Jansenianos am-
 bigua sint, quibus illi abutuntur ut suum occultent & involvant errorem,
 verba ista, in iis qui merito suspecti sunt, non sufficere arbitramur ad
 declinandam erroris Janseniani suspicionem. Certum quippe est, Jans-
 enianos plenis manibus dare potentiam, quam confert gratia sufficiens,
Paulus Irenæus disp. 3. ar. 22. ad calcem sufficientem esse, sufficientissimam, completam, completissimam, plenam, plenissi-
 mam, expeditam, expeditissimam. Solita nempe æquivocatione, potentiam
 illam plenissimam, completissimam &c. appellant, spectata natura gratiae
 suffi-

sufficientis in se absolute, ac præcisissimis præsentibus subjecti circumstantiis, non autem relative ad illas; sub qua una consideratione, gratiæ sufficientis virtutem, ac potentiam hic adversus Jansenium spectamus, prout scilicet hic & nunc ad præceptum implendum conferri debet: abstracta etenim illa & absoluta virtus, quid ad usum & exercitium operis boni actu exercendi?

Neque vero est, quod Janseniani vitio nobis vertant, novos potentiae ^{Diarii de S. A-}
absolutæ & relativæ terminos in Scholam nos invehere: Ipsi nos coegerunt: istud a duce & magistro suo discant. ^{Jansf. L. 8. de Gr.} Cum aliquid proper novas opini ^{c. 2 T. 3.}
niones emergentes efficaciter exprimendum & accurate ab aliis distinguendum est, ^{p. 344. col. 1. B.}
rem veterem novo vocabulo insignire, nihil vetat.

Quantum porro ab ista, quam fuse in nostro Tractatu exposuimus, Catholicorum circa vires & naturam gratiæ sufficientis sententia distet, ac discrepet Janseniana, res est luce meridiana clarior. Totius scilicet Janseniani systematis basis, ac fundamentum est, vim totam gratiæ relativam esse ad oppositam majorem vel minorem cupiditatis oppositæ delectationem. ^{L. 8. de Gr. Chr. c. 2. p. 344.} Delectatio vicitrix, ait Jansenius, quæ Augustino est efficax adjutorium, relativæ est; tunc enim est vicitrix, quando alteram supererat. Quod si contingat alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis herebit animus. Consequenter igitur eo in systemate, necesse est gratiam sufficientem, quam Jansenius parvam appellat, inferiorem esse viribus opposita cupiditate; adeoque ipsi relativæ impossibile esse ut eam supereret, propter defectum virium, ait Jansenius: unde justis qui volunt, & conantur secundum præsentes quas habent vires, idest, relative ad illas vires, impossibilia dicit mandata Dei; impossibile quippe est ut minor delectatio vincat majorem, quemadmodum impossibile est ut majus pondus a minori trahatur. Ista profecto in systemate Janseniano tam necessario cohærent, ac connexa sunt: ut divelli a se invicem non possint, nisi ab iis qui systema illud ignorant, vel dissimulant, aut corruptunt. Ex quibus istud obiter intereres; caussam primariam ac capitalem discriminis quod est inter gratiam sufficientem Thomisticam, & Jansenianam, ex eo est, quod gratia Thomistica ex virtute sua absoluta, Janseniana vero ex relativâ operetur, comparate scilicet ad oppositam cupiditatem: quapropter ut in actum exeat, non tantum æqualis esse debet, sed illa etiam major ac superior. Discriben istud gratiæ vicitricis per delectationem superioriter relativam sensu Jansenii, tum a præmotione physica Thomistarum, tum a gratia efficaci per delectationem simpliciter vicitricem sensu quorundam Theologorum, ex professo exposuimus T. 2. de Gr. pag. 305. & 306.

Quæ autem sit Jansenii circa vires gratiæ sufficientis, quæ non sufficiunt quia sunt inferiores, mens ac sententia, nemo nisi cæcus fuerit, non videt. Cur, inquit Jansenius 1. 4. de Gr. Chr. c. 16. Aug. omnem omnino gratiam pure sufficientem auferat, ratio perspicua est: quia cum ei nulla sit gratia operandi præter istam suavitatem Dei, nisi ista tanta fuerint, ut ei delectationes rerum creatarum cesserint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu in medio remanebitur: sin autem ista superaverit, jam sine dubio voluntas bene operabitur; Quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est. Sed utrumlibet fiat, non erit sufficiens gratia, sed vel efficax vel ita inefficax, ex qua operatio nequidem posse sequi, nisi ejus inefficacia per aliam suppleatur. Quare vero ex gratia sufficienti seu parva operatio non potest sequi? propter defe-

defectum virium, seu quia vires non habet pares, & aequales; ex quo necessario consequens est, ut justis, qui hac sola gratia sufficiente instruti sunt, relative ad illas, in quibus constituti sunt, circumstantias, impossibilia sint Dei mandata. Et revera hic ipse error est primæ Propositionis damnata inter quinque famosas Jansenii: *Aliqua Dei præcepit*

L.3.deGr. hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes quas habent vires, Chr. c. 13. sunt impossibilia; dees quoque illis gratia qua possibilia fiant. Hic non loquitur *p.138.col.2.E.* Jansenius de impossibilitate absoluta, de justis enim qui volunt, & co-nantur, loquitur; sed de impossibilitate relativa, *secundum præsentes quas habent vires*, quæ cum inferiores sint opposita concupiscentia, non sunt huic debellandæ relative pares. Ergo opposita huic errori Ecclesiæ do-trina hæc est, justis impossibilia non esse Dei mandata relative ad præ-sentes, seu *secundum præsentes eorum vires*, atque adeo ipsis adesse gra-tiam quæ pares, & aequales vires ipsi conferat, ut oppositam concipi-scentiam superiorem superare possint; ac mandatum, quod urget, me-diate saltem observare. Atque hoc ipsum est, quod merito asseruimus pertinere ad substantiam dogmatis Ecclesiæ circa naturam, & vires gra-tiæ sufficientis, quod idem isto simplici argumento demonstramus: Ec-clesia eam in gratia sufficiente ad opus bonum potentiam easque vires agnoscit, quas negat Jansenius in sua prima damnata Propositione: at-qui Jansenius in hac sua prima damnata Propositione negat per gratiam sufficientem relativam conferri potentiam ad opus bonum perficiendum; negat ipsi vires pares, & aequales ad oppositam cupiditatem fortiorum debellandam: ergo veritas Catholica huic errori opposita, hoc est, per gratiam sufficientem voluntati relativam conferri potentiam ad opus bonum perficiendum, ac vires pares, & aequales ad oppositam cupidi-tatem fortiorum debellandam.

Duo hic non omittenda, quæ velut absurdâ nobis opponuntur.

Primum, ad substantiam dogmatis Catholici ex nobis illud pertinere, quod nempe gratia sufficientis in se generatim sumpta, prout justis, & peccatoribus communis est, vires pares & aequales voluntati afferat ad opus bonum perficiendum. Atqui tamen de solis justis ab Ecclesia definitum fuit, non de aliis: ergo limites fidei ab Ecclesia hic positos prætergredimur.

Alterum, a nobis hic damnari Thomistas, qui cum gratiæ sufficienti, ut in actum erumpat, necessarium esse doceant novum ex parte Dei auxilium effi-cax, ac physice præmovens, consequenter negant gratiæ sufficienti soli, & ab efficaci sejunctæ vires adesse pares, & aequales ad bonum opus perficiendum.

Verum, parum nos urgent, nec quidquam momenti, ac ponderis ha-bent duo hæc prætensa absurdâ, & incommoda.

Non primum: quia tametsi de solis justis, occasione primæ Proposi-tionis Jansenii, Ecclesia pronunciaverit, non tamen prohibet, imo anti-quæ Scholæ libertati permittit, ut eadem vires pares, & aequales, quas gratiæ sufficienti iustorum tribuit, ipsi quoque prout peccatoribus com-munis est, tribuantur; imo hæc est Scholæ pervulgata magis, ac probata sententia, a qua discedere periculosum foret. Non alia etenim natura est gratiæ sufficientis iustorum, quam peccatorum, & si ista vires pares, ac expeditam ad bonum potentiam non conferat, homo peccator cum illa gratia laborabit vera impotentia antecedente, ac relativa ad bonum,

& ad

& ad tentationem superandam, quod quidem salva fide asseri non potest.

Non secundum. Absit a me ut sistema Thomisticum damnum vel improbum, tametsi illud non sequar, quod difficultates ejus pro mea tenuitate digerere non possim. Utrum autem gratia sufficiens, ut agat, indigeat auxilio actualis gratiae physice præmoventis, vel tantum moraliter excitantis, ac physice dumtaxat cooperantis aut concomitantis, ad substantiam dogmatis Catholicæ non pertinet, sed ad opinionem Scholæ, ac varium modum explicandi operationem, seu vires, & efficientiam gratiae sufficientis. Sciunt porro Theologi omnes, varios mysteria explicandi modos non pertinere ad fidem, atque ab iis minime pendere dogmatis substantiam; quod quidem dupli exempli illustravimus T. 2. de Gratia p. 667. & 668. alicujus v. g. Nestoriani, qui unionem hypostaticam Verbi divini cum humanitate ex eo capite impugnaret, quod inter nos non constet, quænam sit natura illius unionis; an modalis entitas, an relatio &c. Calviniani pariter qui ad fidem realis Christi in Eucharistia præsentia exigeret, ut exponatur ipsi quomodo hæc præsentia fiat, an per creationem, vel adductionem localem aut veram reproductionem. Tota sophistica est isthæc arguendi ratio, a dicto, ut vocant Dialectici, secundum quid, ad dictum simpliciter. Sive igitur neges, sive affirmes unionem Verbi cum humanitate esse, vel non esse modalem entitatem, perinde est ad fidem Catholicam, modo fatearis esse physicam, & personalem unionem. Hic heret fides. Pariter seu neges, seu affirmes, Christum præsentem fieri in Eucharistia aut per veram reproductionem, aut per simplicem adductionem, nihil Catholicæ dogmati nocet, modo agnoscas Christum vere, realiter, ac substantialiter præsentem esse in Eucharistia. Pari quoque ratione, sepositis variis modis, quibus Theologi expoununt sufficientis gratiae efficientiam, & operationem, sive per se ipsam, sive per auxilium physice præmovens, aut aliud quodlibet, dicimus hoc unum hic ad substantiam dogmatis Ecclesiæ pertinere, nempe per gratiam sufficientem voluntati conferri potentiam relative proportionatam, & expeditam, non impeditam nec ligatam, ut Jansenio placet, vinculo superioris delectationis; adeoque pares & æquales esse illius vires superrandæ oppositæ concupiscentiæ, ac implendo, ubi urget, Deimandato.

Pares & æquales, repeto, cum dicimus vires, non eas comparamus nec commensuramus cum viribus oppositæ concupiscentiæ, sed cum ipsa potentia seu voluntate, quæ beneficio gratiae sufficientis potest etiam relative oppositam cupiditatem superiorum vincere, ac præceptum mediate saltem observare. Particulam istam, mediate, in eo ipso Tomo, unde auctor Libelli nos arguit, non sine consilio addidimus, quam ille tamen, pro ea qua est fide, suppressit, ut gravi huic suo commentario locum daret. C'est à dire, que si l'homme aura quelque sainte pensée, ou quelque foible désir de vaincre les attractions de la cupidité, il ne pourra plus, sans une erreur manifeste, confesser devant Dieu les besoins d'un libre arbitre affoibli, & incliné, ni lui demander de plus grandes forces, & que Dieu même ne pourra plus en donner de supérieures à la tentation, parce qu'en étant l'égalité, il ferait perdre la liberté.

Monstra sibi fingit censor, ut ea impugnet. Vanæ profecto huic suæ declamationi parcere debuisse, quam funditus diruit particula mediate, quam ille

Requie.
te. p. 2.

ille data opera omisit, ut reprehendere posset. Nusquam enim diximus, gratiam sufficientem per se solam, ac immediate valere semper ad quodlibet opus bonum arduum, ac difficile, sed mediate saltem, implorando scilicet uberiori Dei auxilium, quo accedente opus bonum perficiatur: atque hæc ipsa est Concilii Tridentini doctrina, sess. 6. de Jus. Stif. c. Deus, inquit, impossibilia non jubet: sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere, quod non possis. Supponit igitur Concilium, nonnulla esse ardua & difficultia, quæ ex præsenti gratia sufficiente immediate non possumus, quæ possumus tamen mediate, implorando auxilium uberiorius, & abundantius, quod Deus ex infinita sua in homines benignitate, ac clementia non denegat facientibus quod in se est ex viribus gratiae præsentis, quam liberaliter concedit Deus, qui fidelis est, qui non patitur nos tentari supra id, quod possumus. Hæc si non dissimulasset persona-

^{10. v. 13.} tus censor, quæ legere debuerat p. 616. & 617. T. 2. de Gratia, ubi solvitur objectio ex æquilibrio ducta, nihil habuisse quod nobis ad invidiā potuisse opponere. At jam animo concepta erat, & parata in nos criminatio; Jansenianorum quippe antiquissimis est, Catholicos, a quibus arguuntur, vice versa erroris insinuare, ut hac arte distractis animis errorem suum cognitioni Fidelium subducant. At hic non effugit larvatus censor. Quippe, vel agnoscit Jansenium de natura sufficientis gratiæ ita sensisse, ut mox exposuimus, vel non agnoscit: si agnoscit, ergo agnoscat necesse est veritatem huic errori contrariam, quam Ecclesia contra Jansenium definivit, ad substantiam dogmatis Catholicæ circa vires, & naturam gratiæ sufficientis pertinere, sicut nos contendimus; adeoque & se ipsum erroris Janseniani rem esse. Si non agnoscit, sed factum revocet in dubium; ergo Ecclesia vano erroris simulacro delusa umbram, ac evanidum quoddam phantasma tamdiu serio infecuta fuit, ac plane inanem emisit censuram. Itane vero sentire Pastores Parisienses absque gravi contumelia supponere ille potuit? An ignorat ne unum quidem esse inter Pastores illos, qui Formulae fidei Alexandri VII. circa factum Jansenii etiam cum juramento non subscripterit? An porro mendacii, & perjurii reos illos omnes traducet, & incusabit? Intoleranda profecto temeritas, & audacia foret peccatis publicis coercenda.

Antequam finiam, non possum quin censorem nostrum moneam, illud omne quod in æquilibrio ridiculum, & odiosum Janseniani exaggerant, in ipsum eorum capit recidere. In systemate quippe Janseniano tota virtus gratiæ relativa est, pro majori nimirum vel minori opposita delectatione; ac nisi delectatio gratiæ tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creaturarum cesserit, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu in medio remanebitur: ait Jansenius l. 5. de Gratia Christi c. 10. Ergo in eo systemate, Deus, qui hominem ad fidem, & cordis conversionem efficaciter adducere decrevit, explorare prius debet, quot sint in illo homine concupiscentiæ gradus, ut nempe iis commensuraret gradus oppositæ cœlestis delectationis: in conflictu quippe gratiæ, & concupiscentiæ, qua proportione augetur, ac crescit concupiscentia, eadem angeri & crescere debet gratia cœlestis, imo & superior evadere; si enim ad æqualitatem tantum deveniret, voluntas in medio quasi suspensa remaneret. An non hoc ipsum est putidum æquilibrii systema, quod velut monstrum quodam

T. 3. p.
184. 2. col.

dam in moralibus superbius ostentant Janseniani? Improvide igitur, ac incaute nobis illi vitium imputant, quod eorum proprium est.

Ne porro censor noster existimet nos plus aequo difficiles, ac moros esse, duo ipsi non illibenter damus.

I. Cum nomen aequilibrii ambiguum sit, variosque in sensu possit trahi, quos erudite, ac solerter evolvunt Eminentissimus Cardinalis de Bissy, & post ipsum Illustrissimus Episcopus Stetionensis, nec prorsus rejiciendum est quo Veteres nonnulli usi sunt; nec promiscue, ac sine additione usur pandum, sed explicandum; ne amulis nostris, qui eo abutuntur, obtrending locum demus, & ne quis suspicari possit, nos aequilibrii nomine exigere aut aequalera ad bonum, & malum propensionem, & facilitatem, aut aequales & pares gratiam inter, & concupiscentiam vires.

II. Cum in ipsis verbis: *vires pares*, & *aquales*, nonnihil pariter ambiguitatis substeat, ac utroque dicto sensu possint accipi, forte placebit magis dicere, *voluntatem*, vel *hominem per gratiam sufficientem parem reddi superandae temptationi*, ac *observando mandato*. Idem revera est quantum ad rei substantiam sensus; at loquendi ratio videtur ambiguitati, ac reprehensioni minus patere. Nomen quippe isticud, *par*, in voluntatem vel hominem cedit, ita vero, *vires pares*, videri posunt apertius indicare *aquales* ex utraque parte, *gratiæ nimirum*, & *concupiscentiæ*, *vires*. Eligat lector quam voluerit partem, nobis perinde est.

Hæc te, amice lector, monitum volebamus ad justam nostram defensionem, quæ dicta volumus absque cuiuscumque offensione supportantes in vicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.

ADDITIO.

(*)

THEOLOGI CUIUSDAM.

EPISTOLA I.

Auctori duarum Epistolarum Cl. D. Turnelio Regio olim Sorbonæ Professori scriptarum de Aequilibrio ex Gallico idiomate latine redditâ a F. A. Z. S. J. T.

„ **N**ovem circiter abhinc mensibus disseminatus est Parisiis libellus supplex Eminentissimo Cardinali Noallio inscriptus, atque „ ut vulgo jactabatur, a tribus supra triginta Parisiensis urbis, a qua draginta vero diœceseos Parochis, immo & a quadrigentis ordinis „ minus spectati Ecclesiasticis subscriptus. Verum generosi hi veritatis „ adsertores quanta sollicitudine numerum huncce ostentabant, tanta „ suum nomen celabant.

„ Libelli Auctor eo spectabat, ut celebres duodecim articulos tueretur, quartum cum primis ad Aequilibrium pertinentem, qui factio „ tuæ cordi maxime esse videtur. Sunt hi duodecim articuli, quos Pa „ risis fabricatos fuisse certissime novimus, et si partium tuarum scri „ ptores non puduit illos edere hoc titulo: *Explicationes Bullæ UNIGE „ NITUS in Gallias missæ a S. D. N. Benedicto XIII.*

„ Quum

*Car. de**Bissy**Inscr.**Past. de**l' ann.**1725. p.**44. Eve-**que de**Soiff.**Let. V.**Past. I.**par. 1.**p. 61. &**suiv.*

Libelli
pag. 2.

„ Quum Xantonensis Episcopus ficticias hasce *explicationes Pastorali*
 „ documento ad id edito confixisset, ei minime parcitum fuit in Libel-
 „ lo, quemadmodum ne patruo quidem ejus Cameracensi Archiepisco-
 „ po Fenelonio. Docto huic Arcchiespoco tribuitur, quod in episto-
 „ la quadam ad P. Quenellium scripsiterit, *Thomisticum Gratia efficacis*
 „ *systema illud prouersus esse quod Ecclesia damnat*. Calumnia sane atrox! ac
 „ sine exemplo futura, nisi ignotus quidam Belgii Dominicanus illud
 „ praeibusset.

„ Turnelius quoque in margine docuisse dicitur, æquilibrium inclina-
 „ tionis, seu virium gratiam inter & concupiscentiam æqualium esse ad
 „ merendum aut ad demerendum penitus necessarium, ridiculum sane
 „ æquilibrium, quod Catholicorum nullus ad hunc diem defendit, hic
 „ autem Doctor est constantissime detestatus.

„ Ut duplicum hanc calumniam Turnelius refelleret, monitum quod
 „ initio Tractatus de *Sacramentis in genere* legitur, divulgavit. Tu ve-
 „ ro libelli supplicis auctorem in duabus quas huic doctori inscripsisti
 „ epistolis quod ad utramque spectat criminationem vindicare suscep-
 „ sisti. Nihil ego de priore dicam, quum & calumnia illa sit ejusmodi
 „ ut de ea dubitare integrum nemini sit, & vir multo me doctior cla-
 „ rissimi Archiepiscopi famam strenue vindicarit tribus editis apologiis
 „ adversus Dominicanum Vvallonium, quem nuper indicabam, illas ut
 „ legas, auctor tibi sum; invenies planissimam primæ epistolæ tuæ, fal-
 „ sitatumque omnium, quas notare in ea possem, confutationem.

Epist. 2.
pag. 3.

„ Quamobrem alteram epistolam tuam de æquilibrio perpendere uni-
 „ ce adgredior; utque illi penitus satisfaciam, duobus, quos tu ipse ve-
 „ luti fines tibi constituisti, articulis insistam. Contendis, Libelli aucto-
 „ rem æquilibrii speciem quamdam Turnelio tribuere, quam is revera
 „ docet, hanc autem *nec minus absurdam, nec minus perniciosa* esse, quam
 „ æquilibrii genus alterum quod ille reiicit. Contra ego primum ajo Tur-
 „ nelii querelas justissimas esse, nihilque testatus calumniæ crimine cu-
 „ jus auctor Libelli ab eo accusatur: secundo demonstraturum me pol-
 „ liceor, æquilibrium, quod *absurdum ac perniciosum* vocas, nihil minus
 „ esse quam fidei dogma hæretico, & ab Ecclesia toties iam improbato
 „ Jansenii systemati oppositum.

„ Quod ad primum spectat articulum, non diu illi immorabitur;
 „ satis enim est oculos in Libellum supplicem coniucere, ut ejus auctor
 „ criminis sibi exprobrati convincatur. Id unum queritur, num libelli
 „ illius scriptor Turnelium reaperte accusarit traditi inclinationis æqui-
 „ librii, quo voluntas non magis ad bonum quam ad malum feratur,
 „ atque utrumque pari facilitate patrare possit. Atqui luce clarius est
 „ hoc æquilibrii genus Turnelio in Libello tribui: en ipsissima libelli
 „ verba: *on veut que l'homme libre soit toujours DANS UNE EGALITE*,
D E FORCES pour faire le bien & le mal, & que la plus faible grace,
qui le porte a une action sainte, lui donne D E S FORCES EGALES pour-
surmonter la plus forte tentation: c'est adire, que si tot que l'homme au-
ra quelque sainte pensée ou quelque foible desir de vaincre les attractions de la
cupidité, il ne pourra plus sans une erreur manifeste, confesser devant Dieu
les besoins d'un libre arbitre affoibli, & incliné, ni lui demander de plus
gran-

„ grandes forces ; & que Dieu même ne pourra pas lui en donner de supérieurs à la tentation , parcequ'en OTATNT L' EGALITÉ , il feront pevir la liberté .

„ Ex his evidens est , libelli supplicis Auctorem si audimus , Turnelium docere , hominem liberum semper esse in virium æqualitate constitutum ad bonum malumque agendum : quod primo calumnia est manifesta ; nec enim aut Turnelius , aut ullus unquam Catholicus Auctor contendit , hominem ut liber sit , debere æqualibus viribus præstare ad virtutem exercendam , peccatumque admittendum . Absque hac ad utrumque æqualitate satis est , pollere illum viribus æqualibus ad opus positum , quod gradibus superius actu sit ; quod certe nullatenus sumit virium ad bonum & malum æqualitatem ; nihil enim obstat , quin liberum arbitrium multo majores habeat vires pro uno quam pro alio , habeat tamen vires æquales , & commensuratas seu gratia seu concupiscentiæ quarum altera sit actu altera potentior .

„ 2. *Æqualitas hæc virium ad bonum & malum* , cuius Turnelius a libelli auctore accusatur , evidenter sumit in voluntate æqualitatem inclinationis , atque æqualem ad bonum & malum facilitatem : si enim voluntas inclinationem haberet ad malum maximam , ad bonum per exiguum , manifeste esset illi facilissimum facere malum , difficillimum contra bonum peragere ; non ergo vires haberet ad utrumque æquales . Dubitari igitur non potest , quin libelli Auctor Turnelium inducat ducentem inclinationis & æqualis facilitatis æquilibrium .

„ Vim hujuscæ ratiocinationis senseras . Quare dum contrarium suadere conaberis ut ab ea percipienda lectores tuos avocares , verba libelli ex parte vaferime suppressisti . En quei Turnelium adloquaris : *vides , non solum (libelli Auctorem) tibi tribuere quod defendas , hominem liberum esse semper in virium ad bonum faciendum æqualitate , quod jam satis esset perspicuum* : addere debueras ad faciendum bonum & malum ; idque multo clarius fuisse , sed simul quod confirmare studebas , evertisset . Pergis : sed addit , in tua sententia INFIRMISSIMAM GRATIAM ei vires præbere pares superandæ FORTISSIMÆ TENTATIONI . Jam vero est ne hoc tibi æquilibrium tribuere , quo gratia æqualis sit gradibus cupiditati ? Minime sane , non hoc est Turnelio æquilibrium tribuere quo gratia æqualis sit gradibus cupiditati ; est illi æquilibrium tribuere multo ineptius , æquilibrium scilicet , quo Gratia etiæ gradibus cupiditati multo inferior , æqualem tamen tribuit voluntati inclinationem , æqualemque facilitatem ; quem inclinationis & facilitatis æqualitas sumitur esse in Turnelii systemate necessariae ad merendum aut demerendum libertati veluti a natura insita .

„ Enimvero si hoc non esset , quod libelli Auctor Turnelio tribuit ; si illi persuasum esset , id unum Turnelium docere , Gratiam , etiæ gradibus cupiditate inferiorem , præbere tamen voluntati potentiam proximam , completam , & expeditam ad eam oppugnandam , de vincendamque , quin propterea inclinationis & facilitatis æqualitatem illi necessario suppeditaret , satis dicere haberet , fore ut homo in eo casu ad ulteriores vires petendas non teneretur , Deusque posset illas ei

Pag. 4.

„ nega-

„ negare . Tunc ejus ratiocinatio licet (quod deinceps ostendam) falso
„ consecutionibus viam sterneret , speciem tamen aliquam exhiberet:
„ verisimilitudinis .

„ Verum non heic fistit libelli Auctor: non solum contendit ille, in
„ Turnelii systemate debere liberum hominem esse in virium ad bonum &
„ malum faciendum aequalitate constitutum , sed etiam inde fieri , ut simulat.
„ que homo sanctam aliquam cogitationem habebit , aut tenue aliquod deside-
„ rium virium cupiditatis superandarum , NON POSSIT amplius sine manife-
„ sto errore ante Deum confiteri afficti inclinatique arbitrii sui angustias, nec
„ majores ab eo vires exposcere; Deusque ipse NEQUEAT vires illi præbe-
„ re tentatione superiores , AUFERENS enim AEQUALITATEM libertatem
„ ipsam de medio tolleret.

„ Porro insulsa hæc accusatio manifesto sumit , Gratiam in Turnelii
„ systemate, et si cupiditate gradibus inferiorem, voluntatianen aequi-
„ librium præbere inclinationis , atque hoc aequilibrium ad libertatem
„ esse penitus necessarium. Nisi enim id ponas, cur homo iste non pos-
„ set sine manifesto errore majores a Deo poscere vires ? Cur Deus ipse non
„ posset illi vires præbere temptatione superiores ? Ponamus hominem revera-
„ a Deo gratiam petere fortiorum , eamque illi Deum largiri : Gratia
„ hocce augmentum auferre quidem poterit inclinationis aequalitatem , si
„ sumatur antea extitisse : non tamen aequilibrio oberit Turneliano ; hic
„ enim homo etiam tum potentiam servabit completissimam , & expe-
„ ditissimam resistendi gratia , quemadmodum ponitur , potentiam an-
„ tea habuisse resistendi cupiditati . Sumi ergo non potest gratia hocce
„ argumento libertatem de medio sublatum iri , nisi sumatur eo inclinatio-
„ nis aequalitatem eversum iri , in eaque libertatem consistere . Non est
„ igitur dubitandum , quin libelli Auctor Turnelio inclinationis aequali-
„ tatem tribuerit , atque ad eum hujus calumniae revincendum nihil a-
„ lind mihi necesse fuit quam illum ipsum textum proferre , quem ad
„ eum purgandum tute delegeras .

„ Ceterum si perperam tibi cessit auctoris illius a culpa liberandi
„ consilium , hoc saltem nobis pergratum accedit , quod illud suscepis ,
„ neque enim illius ea super re defensionem aggredi potuisti , quin accu-
„ sationem qua de agimus insignem calumniam aptamque ad ignomi-
„ niā illi creandam esse faterere . Quid ergo cogitabimus de ceteris
„ tuarum partium Scriptoribus qui duodecim annis non definiunt in
„ omnibus scriptis quibus urbem ac Provincias obruunt , eamdem cri-
„ minationem recoquere ? Quo demum nomine vehementes illas decla-
„ mationes compellabimus , quibus eo obtentu , catholicam doctrinam ,
„ ejusque studiosissimos vindices infamia aspergere student ? Neque ve-
„ ro tam atrox calumnia in iis tantummodo libellis disseminatur , qui
„ sine auctoris nomine prodeunt ; non tenebrosi solum atque ignoti Au-
„ tores eam præclarissimis viris impudenter impingunt ; sed ipsi tuæ
„ factionis coryphæ , ipsimet Appellantæ Episcopi publicis scriptis eo-
„ rum nomine prænotatis divulgare illam non erubescunt .

„ Ita plane ; hos tuarum partium heroes minime puduit adversus S.
„ R. E. Cardinalem singulari pietate , profunda eruditione , indefesso
„ divinae gloriae amplificandæ studio , aliisque Episcopo dignis virtutis

bus clariorem quam purpura hanc accusationem intentare. Eo spe-
ctat quod confirmaturos se coram universa Ecclesia receperunt, do-
ctrinam Eminentiss. de Bissy de æquilibrio eam esse, ut lapsi hominis infir-
mitatem de medio tollat, vires illi tribuat divinis pares, dogmata fidei,
Christianamque Etbicem oppugnet.

Liceat quæso mihi per te locos aliquos violentæ, ac venenatæ eorum
Satyra huc revocare: nil fortassis aptius erit ad eos, atque univer-
sam, cuius idola sunt, ac præsidium, factionem salutari confusione re-
plendam. Sie os audimus, sceleratissimus quisque, positis Cardinalis de
Bissy principiis, sollicitus nequaquam esse debet de peccati occasionibus
diligenter vitandis; cupiditas enim, quæ in his occasionibus fortior eva-
det, gratiam ducet, atque affectuum vis auxilium trahet robustius, quod sem-
per eam simul eodemque momento sequetur. Contendunt, admisso æquili-
brii systemate, in occasionum fuga, ac separatione a mundo minus qui-
dem valide ad falsa terræ bona hominem pertrahendum, sed etiam minus
ad verum ac supremum bonum; vis enim diversarum harum illecebrrarum
reciproce atque in eadem proportione crescit ac decrescit.

Sex Episcopi nullum sibi modum statuunt perspicendorum, in quas
Cardinalis delapsus est, intemperantium doctrinarum. Quid, inquiunt
illi, secundum hocce systema esset homo? Quid de eo sentiendum? Is sem-
per in perfecta ad bonas malasque actiones æqualitate constitutus, æque ad
utrasque fortis, æque propensus, æque adtractus. Tantumdem ad resisten-
dum vehementioribus tentationibus, quantum ad cedendum facilitatis; tan-
tumdem inclinationis ad rejiciendas mundi illecebras, quantum ad illas se-
quendas; tantumdem ad paenitentiam, quantum ad terrenas voluptates pro-
pensionis. . . In bac æqualitate perfecta homo suo præst æquilibrio; libram
in manibus tenet quam pro arbitrio moderatur.

Ex utraque parte, pergunt sex Episcopi, in hoc systemate timendum, Ibid. p.
gratiæ scilicet, & cupiditatis. Nimia gratia omnia everterent; tot flagitan-
de non sunt; libertati nocerent, eaque amissa meritum perdererentur. Ipsa-
met cupiditas (in Bissy systemate) nobis est necessaria. Cur vetaremur
illam optare? Cur illam edomare jubemur? Suus est illi usus; tantumdem
ejus necessarium nobis est, quantum gratiæ; absque illa actum de nobis est;
sola gratia liberum arbitrium everteret.

Quamobrem sex Episcopi vehementibus declamationibus prosequuntur Ibid. p.
horrendas hujus doctrinæ, quam nobis Cardinalis de Bissy obtrudit, conse-
quentes; fremunt eas infectando, sed silere se posse non credunt. E-
quidem fremendi causa in promptu est, dum sex videmus Episcopos P. 121.
mente nihil commota, omnique pudore posito tam atrocem ac dete-
standam calumniam edere. Anne quin fremerent poterant ipsimet tan-
to Cardinali tam nefariam doctrinam tribuere, aqua illum longissime
abesse probe consciæ sibi ipsi erant?

Omnis enim haæ inanes tuorum Episcoporum declamationes hoc
uno tandem nituntur fundamento, æquilibrio, inquam, inclinationis.
Quod in eo situm est, ut ad hominis libertatem velis necessarium es-
se perfectam graduum æqualitatem inter gratiam & cupiditatem. Hoc
illud est, siude ajunt, vim diversarum harum illecebrrarum reciproce & in
eadem proportione crescere, atque decrescere; nimias gratias omnia eversu-

Reponse
des six E.
veques
a l'in-
struction
Pastora-
le de M.
le Card.
de Bissy.
p. 213.

Ibid. p.
219.

„ ras : cupiditatem ipsam nobis esse necessariam ; suum illi usum esse ; tandem ejus necessarium nobis esse , quantum gratiae ; absque illa actum de nobis esse , nosque consequenter minime vetari eam optare , atque a Deo petere , non secus ac Divinam Gratiam .

„ Sed ut invisam hanc criminationem a Card. de Bissy repellam nullum mihi querendum est testimonium nisi tuum , quod sane hac in re suspectum esse minime debet . Fateris , Cameracensem Arciepiscopum Epist. 2. „ Fenelonum æquilibrium constituere non in æqualitate duarum contrariarum pag. 3. „ voluptatum , sed in virium æqualitate inter tentationes & voluntatis illecebros . Addis , Eminentissimum de Bissy , Svectionensem Episcopum , aliosque ib. p. 4. „ quos appellas , huic omnes æquilibrii generi inhævere ; eidemque æquilibrio Turnelium ipsum subscribere , ne se a præclaris hisce sociis disjungeret . En igitur te ipso fatente , Cardinalem de Bissy ab æquilibrio , quod in æqualitate duarum contrariarum voluptatum constituit , defendendo maxim me alienum . Quei ergo sex tuos Episcopos excusabis , quod tantam adversus hunc Cardinalem calumniam disseminare , illique veluti fundamento tot declamationes , horribilesque consecutiones , quibus ejus famam violare aggressi sunt , superstruere non dubitarint ? Ceterum infame hoc crimen , cuius tuarum partium primores convicti sunt , ceteris earundem scriptoribus , qui illos sequi honori sibi duxerunt , commune jam est . Integral fere in medium posse istorum legionem adducere , qui uni huic fundamento innixi adversus Bullam , omnemque illius vindices declamant ; cum tamen ne unum quidem appellare possint Catholicum auctorem , qui aut monstruosum hujusmodi æquilibrium defenderit , aut locum dederit suspicandi se de eo defendendo cogitare .

„ Quid heic porro sequitur , nisi tuos Scriptores licet unam severam ethicen crepent , aliud demum non esse præter hominum turbam nullius honestatis , ac probitatis , qui ut adversariis , quos sibi fingunt , invidiam consilient , erroribusque suis auctoritatem concilient , atrocissimas quasque calumnias audacissime venditant . Si (quod ja etant) essent ipsi veritatis defensores , ad fraudes ne atque mendacia ejus tuenda causa configurerent ?

„ Nihil enimvero constitutioni majori est ornamento quam quod ejus oppugnatores videmus ad elevandam illius auctoritatem adeo nefariis artibus indigere .

„ Brevi tute ipse argumento eris , si enim tu idem inclinationis æquilibrium nobis minime tribuis ; quod tamen reapse defendimus , ita oppugnas , ut in eadem omnino sclera , qua in aliis impatienti animo fers , atque adeo damnas , necessario delabaris .

„ Ad illud ergo progrediamur æquilibrii genus , quod tanta tempe rantia refellis . atque ostendamus hocce æquilibrium quod absurdum , ac perniciosum tibi videtur , purum , putum esse Ecclesiæ dogma . Sed illud antea perspicue accurateque explicemus .

„ I. Non id disputamus an homo quo liber sit , æqualem habere debet facultatem ad bonum & malum agendum ; hanc enim virium æqualitatem a nullo Catholicorum necessariam haberi supra animad vertebam . Id ergo unum querimus , an ut voluntas libera sit , vires

„ habe-

„ habere debeat sufficietes ac pares oppositis, quibus ad bonum sive
 „ ad malum pertrahitur, superandis illecebris; seu an necesse sit, ut
 „ voluntas ab oppositis illecebris sollicitata potentiam habeat proximi-
 „ mam, completam, & expeditam, potentiam non absolutam solum,
 „ & in seipsa consideratam, sed ad has ipsas etiam illecebras relativam
 „ iis assentiendi, vel dissentiendo; hoc enim totum est quod nos pro-
 „ pugnamus, tu refellere niteris, æquilibrium.

„ 2. Ut clarius pateat quid sit hoc æquilibrii genus a nobis defensum,
 „ a te vero oppugnatum, notandum maxime est, æquilibrium, quod ti-
 „ bi horrendum, paradoxum, monstrosum, stultitiae plenum atque impietatis in ^{Pag. 6.}
 „ hoc lapsæ natura statu, illud ipsum esse, quod te tuisque omnibus
 „ fatentibus in innocentia statu vigebat: id tota epistola tua sumis;
 „ sub fine vero diserte significas, ubi ais, nihil esse aptius articulo, ^{Pag. 22.}
 „ quem (non, quod falso adfirmas, Pontifex Sanctissimus, sed alius
 „ Episcopus) volebat huic æquilibrii doctrinæ opponere, jamvero hic quem
 „ tanti facis articulus conceptis verbis hæc habet: IN STATU NATU-
 „ RÆ LAPSE, ut liberum hominis arbitrium peccare censeatur, necesse non
 „ est, ut habeat . . . æquales vires in voluntate.

„ Fateris, in altera hac parte agi de æqualitate virium voluntatis viri- ^{Ibid.}
 „ bus concupiscentia ac gratia; solum in statu naturæ lapsæ hanc ferre non
 „ potes virium æqualitatem, ac si nobis satis esset illam in statu naturæ
 „ innocentis admittere, non anathemata quæ nobis minaris, sed plausus
 „ in nos liberaliter conferres. Hoc æquilibrium in naturæ innocentis
 „ statu non in æqualitate illecebrarum & inclinationis situm erat; A-
 „ dam enim in terrestre Paradiso magna in bonum propensione fere-
 „ batur, nulla in malum. Deus illum magnis donabat illecebris, quæ
 „ ad virtutem eum suavissime alliciebant; hæc vero cum nullis contra-
 „ riis illecebris, quæ eum ad peccatum impellerent, minime commit-
 „ tebantur. Non obstante tamen hac inclinatione, & inter hasce ille-
 „ cebras Adam æquilibrium servabat, quod ejus voluntas vires haberet
 „ hujusmodi illecebris æquales, pro arbitrio posset earum ductum sequi
 „ aut respuere, & hoc sensu facultate præstaret æquali bonum aut ma-
 „ lum eligendi.

„ En totum quod nobiscum in statu innocentia agnoscis, æquili-
 „ brium. Verum post Calvinum Jansenio visum est, hoc innocentis na-
 „ turæ æquilibrium a statu naturæ lapsæ dimovere; idque a septuaginta
 „ jam annis omnes ejus asseclæ tuentur. Audiamus hac super re tua-
 „ rum partium Episcopum qui apud tuos ea est auctoritate, ut ejus
 „ testimonium nequeas impune respuere, sed & a te ipso magnis or-
 „ natur elogiis; Episcopum, inquam de Mirepoix. Hæc ille de amissio
 „ æquilibrio in statu naturæ lapsæ: hanc potentiam æqualem eligendi inter ^{Defensio}
 „ bonum & malum accepérat Adam in Paradiso terrestri . . . sed Adam in ^{de la}
 „ felix malum elegit: Quare AMISIT ILLE, NOSQUE CUM EO HOC ^{grace ef-}
 „ 377. seq.
 „ AEQUILIBRIUM INTER BONUM ET MALUM.

„ Idem Episcopus antea naturam hujus æquilibrii in statu innocentie
 „ enucleatus explicuerat. Illud in eo collocat, quod illecebrae omnes,
 „ quæ ad bonum primum hominem ferebant, ejusmodi essent, ut ejus ^{Ibid. p.}
 „ voluntati plane subjicerentur, vel ut in sequenti pagina ait, ut ejus ^{vo-} 132.
 „ Tournely de Gratia. Tom. III. Pars I. A a „ lun-

„ luntatis esset arbitrio luminum & amorum, qui illum ad Deum trahebant ;
 „ ductum sequi, aut eum rejicere ; seu quod idem est, Adam in sua vo-
 „ luntate haberet vires aequales his illecebris ac potentiam completam
 „ & expeditam illis adsentendi, vel dissentendi. En verum, quo in
 „ statu innocentie gaudebat Adam, aequilibrium, quodque ejus filii jux-

Ibid. p. „ ta eundem Episcopum ob illius peccatum amiserunt ; aequilibrium, quod
 351. „ primi hominis conditioni natura ingenitum erat ac sine quo ille nec

„ mereri, nec demereri potuisset, ut Jansenio quoque visum fuit ; sed

Ibid. p. „ quod si eundem Auctorem audimus, & Illustrissimum quem appella-

385. „ vi de Mirepoix, statui, in quo nunc voluntas nostra est, penitus adver-

„ satur.

„ Jamvero contendo, ipsum hoc aequilibrium, quo in statu innocentie donatus est Adam, etiamnum vigere in statu naturae lapsae ; seu in eo, quo sumus statu, nobis, uti Adamo, esse facultatem eligendi inter bonum & malum, & oppositas gratia aut cupiditatis illecebras, quæ nos ad bonum vel malum ferunt, esse etiamnum nostræ voluntati plena ne subjectas, hoc scilicet sensu quod in nostræ voluntatis arbitrio omnino sit earum ductum sequi aut respuere, seu quod idem est, assentiri illis aut dissentire. Hoc illud est, quod cum universa Janseniana factio- ne negas ; ego vero ad fidei dogma spectare ajo.

„ Et certe subsistere etiamnum hoc aequilibrium, neque a peccato fuisse destructum Deus ipse docet, dum fratricidem Cain ita allo- quitur : sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis ejus. Omnes tua- rum partium Theologi in eo aequilibrium collocant Adami in inno- centie statu constituti, quod illecebra, quibus ad bonum pertrah- batur, ejus voluntati essent omnino subjectæ, ejusque voluntas pro suo ar- bitrio earum ductum aut sequi aut rejicere. Hoc illud est quod Mirapi- censis Episcopus a tuorum nemine improbandus nobis disertissime ex- plicuit. Jamvero Deus ipse declarat, cupiditatem, quæ Cain ad ma- lum illiciebat, fuisse illius voluntati subjectam, sub te erit, ejusque voluntatem pro arbitrio potuisse illius ductum aut sequi aut respue- re, & tu dominaberis illius. Necesse igitur est, in statu naturae lapsæ, in quo Cain erat, agnoscere non eamdem inclinationem, & facil- tatem, sed idem quo Adam fruebatur, aequilibrium, eamdem nem- pe libertatis substantiam, peccato licet infirmatam.

„ Sed quin innumeros congeramus Scripturarum locos, quos videre est a Bellarmino redditos de gratia & libero arbitrio lib. V. celebri- mæ insistam Ecclesiastici sententiae, quæ aequilibrium a te oppugnatum tam clare confirmat, ut qui illud non videt, oculos splendidissime

Eccles. XV. „ luci omnino occludere dicendus sit. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata & precepta sua :

14 seqq. „ si volueris mandata servare, conservabunt te, & in perpetuum fidem placi- tam facere. Aposuit tibi aquam & ignem ; ad quod volueris, porrige ma- num tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum ; quod placuerit ei, dabitur illi.

„ In hac sententia tot fere sunt aequilibrii a te rejecti argumenta, quot verba. Nam I. id evidenter indicat verbum illud reliquit, quo denotatur, Deum quin hominem suæ Providentiae subtraheret, reli- „ quis.

„ quissem illum Dominum sequendi aut rejiciendi , quod sibi ab ea exhibetur , auxilii . Heinc S. Augustinus de correptione & gratia cap. XI. & XII. saepissime ait , primum hominem relictum sibimet fuisse ut perseveraret , aut non perseveraret ; quod nunc amplius , cum gratia finalis perseverantiae , de qua una eo loco Augustinus loquitur , non pendas at a felici morte , quae nullo pacto nostrae est voluntati subjecta ; id tamen non obstat , quominus Ade posteri in vita curriculo sibi relicti sint ut bonum aut malum agant , quemadmodum Adam sibi relictus erat , ut perseveraret , aut non perseveraret : reliquit illum .

„ 2. Verbum hoc in manu indicat , Deum homini facultatem reliquisse pro arbitrio semet moderandi ; in hoc enim sensu verbum illud constanter sacrae pagina usurpat . Sic Abraham suæ conjugi designaturus , in illius potestatem esse ancillam expellere , aut retinere , ecce , inquit , ancilla IN MANU TUA est , utere ea ut libet . Sic etiam Gabonitæ Josue dixerunt : IN MANU TUA sumus ; quod bonum tibi & rectum videtur , fac nobis . Sumi igitur nequit , hominem in manu sua relictum fuisse , quin velimus , illecebras , quibus ad bonum aut malum fertur , esse ejus voluntati plane subjectas . Ejusque voluntatem posse pro libito earum ductum aut sequi , aut rejicere .

*Genes. XVI. 6.
Josue IX. 25.*

„ Sed homo relictus est IN MANU CONSILII SUI ; quod disertius indicat æquilibrium de quo disputamus ; hæc enim verba significant hominem inter illecebras , quibus sollicitatur , constitutum posse de consilio sibi capiendo deliberare , quodque magis sibi libuerit eligere . Sed nec deliberationi , nec electioni locus est sine æquilibrio , quod ego defendo , tu rejicis . Deliberatio enim locum non habet , nisi cum in potestate nostra est utrumque quod nobis proponitur consilium capere ; quod si in circumstantiis , in quibus sumus , necesse nobis esset alterutrum sequi , ridiculum foret deliberare . Sed evidens est , in potestate nostra non esse utrumque , quod nobis proponitur , consilium capere , nisi oppositæ , quæ ad utrumque nos ferunt , illecebræ nostræ voluntati subjectæ sint , ac nostra voluntas possit pro arbitrio earum ductum sequi aut rejicere ; deliberationi igitur locus non est absque æquilibrio , quod frustra evertere studes .

„ Tandem ne in singulis verbis expendendis diutius immoremur , quis hujusmodi æquilibrium non agnoscat in iis verbis ? apposuit tibi aquam & ignem : ad quod volueris porrige manum tuam , atque in sequentibus : ante hominem vita & mors , bonum & malum , quod placuerit ei , dabitur illi : quid enim ? An non ista evidenter probant , inesse homini in hoc statu potentiam eligendi inter bonum & malum ? & consequenter illecebras , quæ cum ad alterutrum alliciunt , esse plane ejus voluntati subjectas ? seu quod idem est , ejus voluntatem pro libito posse illarum ductum sequi aut respuere ? Huc tuarum partium assec læ , ut viderimus , primi hominis æquilibrium redigunt . Concludendum igitur est , nos etiamnum in nostro statu idem servare æquilibrium , quo in statu innocentiae Adam fruebatur .

„ Facillimum esset , idem æquilibrium in omnium veterum Ecclesiæ Patrum scriptis deprehendere . Sessionensis Episcopus plura in suo documento Pastorali an. 1722. aduluit . Poterunt legi apud Bellarimi .
Pag. 63. sega.

„ num in libro quem nuper citavi , & majore etiam numero apud Petavium in tertio libro de Opificio , inque duobus sequentibus libris . „ Verum cum epistolæ fines tam vastum curriculum ingredi me prohibeant , satis mihi erit S. Augustinum huc advocare , atque ostendere , „ eum in hoc statu idem agnovisse æquilibrium , quod in statu innocentiae tua universa factio fatetur .

„ Inter nos convenit , hoc æquilibrium in eo situm esse , quod homo etiamnum habeat potentiam eligendi inter bonum & malum ; quod omnes illecebræ , quæ eum ad alterutrum ferunt , plane sint ejus voluntatis subiectæ ; quod ejus voluntas possit etiamnum pro arbitrio earum dictum sequi vel respuere . Jamvero nonne hoc illud est , quod de illecebris , quæ ad bonum trahunt , S. Augustinus docet , dum ait : profecto & ipsum velle credere Deus operatur in homine , & in omnibus misericordia ejus prævenit nos : consentire autem vocationi Dei , vel ab ea dissentire , si cut dixi , propriæ voluntatis est .

„ Dum S. Augustinus indicare vult Adæ in statu innocentiae æquilibrium , sèpius in libro de correptione & gratia repetit , in ejus voluntatis potestate fuisse gratiam , si vellet , deserere ; atque his ipsis ex locis inter tuarum partium Episcopos celeberrimus colligebat , Epis. Mi. rep. de la grace efficace p. 118. gratiam Adæ fuisse gratiam tranquillam , quæ illi tribuens omnes ad hoc agendum illecebras , cum in hac re in quodam veluti æquilibrio confluebat . Atqui similiter S. Augustinus ait , cum Deus per gratiam suam ad fidem nos trahit , in voluntatis potestate esse , trahenti gratia consentire , aut dissentire : consentire autem vocationi Dei vel ab ea dissentire , propriæ voluntatis est . Dicendus igitur Augustinus est in nostro quoque statu equilibrium agnoscere , nec illud per gratiam Jesu Christi eversum credidisse .

„ Liceat autem heic mihi per te unum paucis animadvertere . Calvinus indesinenter inculcat , Tridentinos Patres naturam ignorasse Gratia Jesu Christi , eamque illos cum gratia primi status confundisse ; proprium præterea hujus gratia esse operari velle ; unde infert , invincibilem illam esse , neque in voluntatis potestate esse præbere aut negare illi consensum . Universa quoque tua factio idem sepius urget . Verum quandonam oculos tandem aperietis , ut videatis , hoc velle quod Deus per gratiam in homine operatur , esse velle indeliberatum quod Deus operatur in nobis sine nobis , & sine ulla nostra libera cooperatione ? ubi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem , ut in loco nuper appellato ait S. Augustinus . Velle hoc indeliberatum ipsa gratia est , quam Deus necessario in nobis producit ; simul tamen multis nominibus distinguitur a velle libere , quod est nostra voluntatis consensio , quemadmodum qua S. D. utitur , adversaria

L. v. 3. p. imp. 57. bis velle indeliberatum : illud etiam in Adamo operabatur , si enim Augustinus voluntati primi hominis locum illum Apostoli operatur velle accommodat ; quod vero spectat ad velle liberum & consensum , permittit illud in nobis uti antea in Adamo , liberæ voluntatis nostra electioni : consentire autem vocationi Dei vel ab ea dissentire propriæ voluntatis est .

„ Idem

„ Idem Docet S. Augustinus in uno ex iis operibus, quæ aduersus Pelagianos extremis temporibus divulgavit; ubi ait: *non quia credere vel non credere non est in arbitrio voluntatis: sed in electis preparatur voluntas a Domino.* Opportune monendus es, Augustinum hanc quoque Apostoli sententiam, *præparatur voluntas a Domino*, voluntati primi hominis accommodare, illo ipso in loco quem nuper appellabam ex opere imperfecto. Id autem ostendit, S. Doctorem in utroque statu gratiam agnoscisse, quæ præparat voluntatem, atque adeo illam in neutro statu æquilibrium turbare.

„ Sed en alium S. D. locum, ubi æquilibrium non minus diserte exprimit. *Si tibi (Petilianum adloquitur) proponam questionem quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines quos in libero dimisit arbitrio, fortasse eum difficile soluturus es. Quomodo enim attrahit, si dimittit, ut quis quod voluerit eligat? Et tamen utrumque verum est; sed intellectu hoc penetrare pauci valent.*

„ Agit heic S. D. evidenter de Christi medicinali & efficaci gratia, de ea enim gratia loquitur, qua Deus Pater attrahit homines ad filii sui fidem. Jamvero hæc gratia, nihil obstante magna ejus vi atque efficacitate notas servat gratiæ illius tranquillæ, quam in statu innocentia tuarum partium sectatores agnoscent. Unde enim tui hi Theologici probant, *gratiam Adæ tranquillam eum in æquilibrio quodam constituisse?* Quod nempe dixerit S. Augustinus, Deum dimisisse illum facere quod vellet. Atqui S. D. pariter docet, Deum homines trahentem per gratiam ad fidem dimittere ut quis quod voluerit, eligat. Exaggera jam uti magis libuerit, gratiæ Jesu Christi medicinalis & efficacis notatas; dicito, hanc gratiam ex Augustini mente operari velle, bonos a malis distinguere, dare illis meritum ut non in semetipsis gloriari debant, sed in Domino; adde, omnipotentem illam esse, Deumque per illam absolutum in hominum corda imperium obtainere, nihil horum negabo; at fatearis & tu, necesse erit, S. Augustinum has ipsas notas gratiæ status innocentia adscribere, nosque cum gratia etiamnum æque atque Adamum nostro relictos esse arbitrio, ut quod voluntus eligamus, atque adeo nos eodem frui æquilibrio: dimisi facere quod vellet quos in libero arbitrio dimittit, ut quis quod voluerit, eligat.

„ Facile possem similes alios magno numero textus proferre; sed ne longior sim satis mihi erit iis quæ hactenus dixi, aliquas addere super Augustini doctrina animadversiones, quæ ineluctabiliter efficient, S. Doctorem in hoc lapse naturæ statu æquilibrium quod tu præfaste negas, agnoscere.

„ I. Minime dubites, quin Pelagiani libertatis æquilibrium admiserint; heinc enim Pelagianismi redivivi eos omnes accusas quos Molinistarum vocabulo tibi tuisque designare placet, quemadmodum Calvinus, ejusque asseclæ Patres Concilii Tridentini ejusdem criminis centies insimularunt.

„ Atqui S. Augustinus ea de causa nunquam illos redarguit; quin hac super re sibi cum illis convenire fasus est. Querebatur Julianus, si quis in homine hanc admitteret libertatem, statim eum Cœlestianum & Pelagianum audire; fere quemadmodum tuarum partium sectarii in Tournely de Gratia. Tom. III. Pars I.

*Libr. de
Prædest.
SS. c. 5.
n. 10.*

*Libr. 2.
contr.
Petit. c.
84.*

*Libr. de
corrept.
C. grat.
c. 12.*

„ desinenter inclamat Jansenismi notam illis per invidiam inuri , qui
 „ divinae omnipotentiae dogma defendunt . Verum Augustinus falli Ju-
 „ lianum respondet ; aut etiam fallere . Liberum itaque , inquit , in homi-
 „ nibus esse arbitrium . . . utrique dicimus ; non hinc estis Cœlestiani aut Pe-
 „ lagiani . Liberum autem esse quemquam ad agendum bonum sine adjutorio
 „ Dei . . . hoc vos dicitis ; hinc estis Cœlestiani & Pelagiani . Quid obten-
 „ dis ad fallendum communis dogmatis tegmen , ut operias proprium crimen ,
 „ unde vobis inditum est nomen ?

„ Vides ? non unum liberi arbitrii nomen Augustino & Pelagianis
 „ commune erat ; sed etiam dogma : communis dogmatis tegmen . Atqui
 „ dogma quod Pelagiani hac super re defendebant , erat virium æqui-
 „ librum libertati natura inditum esse , nec sine illo posse hominem
 „ aut mereri aut demereri ; Augustino igitur cum Pelagianis de hoc
 „ æquilibrio conveniebat ; neque illos ob hoc dogma S. D. damnabat :
 „ non hinc estis Cœlestiani aut Pelagiani . Quod S. Augustinus in iis im-
 „ probabat , erat , libertatem hanc æquilibrii ad agendum bonum meri-
 „ torium ac supernum ab illis admitti a Salvatoris gratia minime pen-
 „ dentem : hoc vos dicitis ; hinc estis Cœlestiani & Pelagiani .

„ Dices sine dubio , S. Augustinum hoc ipso Pelagianorum æquili-
 „ brium evertisse , nihil enim huic æquilibrio magis adversatur , quam
 „ Gratiae necessitas , quam illi agnoscere renuebant , ab ipsis autem S.
 „ D. postulabat admitti : hoc unum est , quod secundum tua principia
 „ reponere possis ; sed in hoc tibi cum Pelagianis magis quam cum S.
 „ Augustino convenit .

„ Reapse contendebat Julianus , in S. Augustini & Catholicorum sen-
 „ tentia Gratiam destruere æquilibrii libertatem . Si eadem quæ tu ,
 „ sensisset S. Augustinus , id libens Juliano concessisset , ac tecum ad-
 „ didisset , hanc libertatem æquilibrii in statu innocentiae bonam fui-
 Epist. 2. „ se , sed in nostro horrendam esse , simulque ineptam , omnibusque Ecclesie
 pag. 6. „ anathematis dignam . Porro tam abest , ut hæc Augustinus Juliano fal-
 „ sis sit , ut contra responderit Gratiam Jesu Christi non solum hanc
 „ æquilibrii libertatem , de qua hæreticus ille tantopere sollicitus erat ,
 „ non everti , sed etiam pristinum unde peccato decideret , in statum
 „ revocari : Unde fieri potest , inquit , ut adjutoria divinae Gratiae liberum
 „ arbitrium loco pellant , quod potius vitiis pulsum & nequitia subjugatum ,
 „ ut in locum suum redeat , liberant ?

Episco- „ Quisnam hic locus est , in quem Gratia nostram libertatem restituit ?
 pus Mi- „ Ex præcipuo quodam tuae sectæ Scriptore discamus : en igitur , inquit ille ,
 rapicen- „ quisnam sit liberi arbitrii locus , unde a peccatis detruditur , & in quem a
 sis de- „ Gratia revocatur : facultas est faciendi boni qua in terrestri Paradiso
 fense de „ Adam fruebatur . Illam ejus filii ipsius culpa amiserunt ; sed Gratia Jesu
 la Gra- „ Christi eo illos revocat ; atque in hanc faciendi boni libertatem , in qua fue-
 ce effica- „ rat Adam creatus , restituit .

350. „ Sumo heic , Episcopum Mirapicensem de libertate loqui faciendi
 „ bonum meritorium , ac supernum , atque hoc posito ajo , non potuisti
 „ se illum S. Augustini mentem felicius adsequi . Verum ecce quid in-
 „ feram . Gratia Jesu Christi nos in eam restituit libertatem agendi bo-
 „ num , in qua fuerat Adam creatus ; sed libertas agendi bonum , in
 „ qua

„ qua fuerat Adam creatus, erat libertas æquilibrii, ut fatetur ipse Mirepicensis Episcopus, ceterique de sua secta Scriptores; libertas igitur, in quam nos Gratia Jesu Christi restituit, est æquilibrii libertas; non ergo huic libertatis generi adversari potest Gratia Jesu Christi.

„ Vedit Mirapicensis Episcopus posse adversus ipsum ex sua illa doctrina hanc duci consecutionem. Quare ut hunc iustum declinaret,

„ postquam dixerat, *Gratiam Jesu Christi nos in libertatem restituere boni faciendi*, in qua fuerat Adam creatus, continenter addit, *eam ultra provehi*. Verum dum Gratiam provehi ait, *provebitur ipse ultra Augustini mentem*; Sanctus enim Doctor dicere satis habuit, Gratia liberum arbitrium in locum unde exciderat, restitui: *ut in locum suum redeant liberant*. Sed liberum arbitrium in amissum locum re-

„ vocare, non est illud longius promovere. Igitur Mirapicensis. Episcopus ex arbitrio, nec probante Augustino, illud longius provexit.

„ Si ostendere velles, Gratiam Jesu Christi *ultra provehi*, cave (in antecessum moneo), multos recites S. Augustini locos, qui evincunt,

„ Gratiam Jesu Christi efficere ut bonum agamus, ut illud eligamus, ut illud velimus; dare nobis merita nostra, perque illam Deum ef-

„ se in corda nostra omnipotentem, & quacumque voluerit, posse il-

„ la convertere. Inutile namque ad tum illud institutum esset hu-

„ jusmodi textus congerere; dixi enim atque iterum ajo, demonstra-

„ turum me tibi, si velis, ejusdem S. Augustini auctoritate, Gratiam

„ in statu innocentiae eadem præstissem, fuisse tamen *gratiam tranquillam*, quæ Adamum in quodam æquilibrii genere constituebat, eam scilicet,

„ ut primi hominis voluntas posset ex arbitrio ejus duictum sequi aut respu-

„ re; quare evidenter inferam, Gratiam Jesu Christi, quod hæc in

„ nostro statu efficiat, æquilibrium a te rejectum nequaquam turbare.

„ Ceterum quod hoc loco ait S. Aug. Gratiam Jesu Christi non di-

„ movere suo loco liberum arbitrium, sed illum in eum revocare, do-

„ cet idem S. Doctor in plurimis aliis libris, iisque præsertim, quos

„ contra Pelagianos extremis vitæ suæ annis elucubravit; in his enim

„ sæpiissime inculcat, non esse nos liberos ad faciendum bonum meri-

„ torium ac supernum, nisi per Gratiam Jesu Christi, Gratiamque Jesu

„ Christi in hanc quam peccato amisimus, libertatem nos restituere.

„ Porro quam amisimus libertas est æquilibrii; hæc ergo Gratia Jesu

„ Christi non adversatur.

„ Tandem hæc æquilibrii libertas, contra quam tua bilis adeo excan-

„ duit, a Tridentino Conc. adversus Lutheri, & Calvini errores diser-

„ tis verbis est confirmata. Nam inter nos convenit, eo denum hanc

„ æquilibrii libertatem redigi, ut nostra voluntas etiamnum possit pro

„ libito sequi aut respuere duictum oppositarum illecebrarum, quæ eam

„ ad bonum aut malum ferunt, Gratia scilicet, aut cupiditatis. Atqui

„ hoc conceptis verbis docet Trid. Concilium, ubi anathemate percellit

„ eum qui dixerit, liberum hominis arbitrium motum & excitatum a

„ Deo non posse dissentire, si velit, & Canone 6. ubi statuit: *Si quis di-*

„ *xerit, non esse in hominis potestate vias suas malas facere*, atque adeo cu-

„ *piditati quæ eum ad malum adlicit, resistere, anathema sit.*

„ Evidem scio, ne hosce Trid. Concilii Canones penitus conculcare
 „ videaris, te in clamare, tuarum partium Theologos in voluntate cui
 Epist. 2. „ concupiscentia aut gratia dominetur, veram agnoscere potentiam activam utri-
 p. 21. ¶ 22. „ que resistendi, verum dum quid verae potentiae activae nomine designetis,
 „ evolvimus, potentiam invenimus eam esse nomine tenus, potentiam
 „ chimericam sine re; potentiam denique verae impotentiae conjunctam,
 „ neque alia de causa a Jansenio excogitata, nisi ut sui systematis
 „ nequitiam celaret, seque Concilii anathematis, quae reapse irridebat,
 „ saltem quoad speciem, subtraderet.
 „ Certe vera potentia activa boni etiam superni faciendi juxta vos in
 „ ipsis infidelibus, atheisque exstat, et si illos sumitis omni gratia de-
 „ stitutos; seu homines isti sibi relieti, ac sine ullo superno auxilio ha-
 „ bent veram potentiam producendi actus supernos fidei, spei, & cari-
 „ tatis. At nemo non videt, puram chimicaram esse in fola natura ve-
 „ ram potentiam activam admittere producendi actus supernos; quod a-
 „ pertissimam contradictionem involvit.
 „ Itaque perinde ac si timeres, ne serio loqui videreris, dum ais
 „ agnoscere te in voluntate, cui concupiscentia aut gratia dominetur, veram
 Ib. pag. 16. „ potentiam activam utrique resistendi, mones Jansenium, cuius sistema
 „ cooptas, censere minorem vim vi potentiori, parvam gratiam magna cupi-
 „ ditati obniti non posse; ex quo, ubi quis dictionarium tuum probe sit ad-
 „ sequutus, fit, ut haec vere potentia activa sit potentia qua nihil possumus.
 „ Celebriores tuarum partium Theologi etiam clarius nos docent,
 „ quid sentiendum sit de hac vera potentia activa, quam agnoscunt in vo-
 Episc. „ luntate cui concupiscentia aut gratia dominetur, utrique resistendi; ajunt enim
 Mirep. „ diserte ubi cupiditas gradibus superior sit, ac gratia debilior, nihilo
 defense „ magis posse bonum fieri, quam possit quis sine navigio navigare, sine voce
 de la gra- „ loqui, sine pedibus ambulare; idemque de potentia mali faciendi dicen-
 ce efficace „ dum est, ubi Gratia dominetur. Imo ut penitus intelligamus, quid
 pag. 369. „ rei sit haec vera activa potentia, docent, voluntatem si fortiori dele-
 „ ctationi obsisteret, ductuimque debilioris sequeretur, acturam contra suam
 „ naturam, ac malum electuram ut malum; quod jure ac merito habitum sem-
 Ibid. pag. „ per est impossibile. Quum igitur voluntati dominatur concupiscentia aut
 295. ¶ 296. „ gratia, tunc illa potest alterutri obsistere quae actu fortior est, ac de-
 „ bilioris ductum sequi, quemadmodum potest agere contra suam natu-
 „ ram, & malum ut malum eligere; quod jure ac merito habitum semper est
 „ ut impossibile. En profecto novum verae activae potentiae genus, nec ul-
 „ lus certe, qui vestris mysteriis initiatus non sit, in voluntate percipi-
 „ piet veram activam potentiam faciendi quod actu atque in circumstan-
 „ tiis praesentibus est plane impossibile.
 „ Sed ad radicem usque verae hujus actione potentiae progrediamur, quo
 „ ejus natura nobis perspectior sit. Ea in tuarum partium principiis
 „ nihil aliud est, quam naturalis flexibilitas voluntatis, quae ad bonum,
 „ malumve ferri apta est prout ad alterutrum determinetur a delecta-
 „ tione relative gradibus superiore. Ita voluntas increduli, infidelis,
 „ athei veram habet activam potentiam credendi in Deum sperandi in
 „ eo, amandique illum super omnia, quia inest ipsi naturalis facultas,
 „ quae apta est ad credendum & amandum, si Deus velit illi caelestem

„ qua

„ qua caret, quin eam obtinere ab ipso pendeat, delectationem largiri.
 „ Similiter voluntas justi sub fortiori, ac dominante gratia *veram* habet
 „ *activam potentiam ei resistendi*, & peccandi quia ad malum flexibilis
 „ est, & præterea concupiscentiam habet, quam Jansenius vocat *perfe-*
 „ *ctissimam peccandi potentiam*. Hæc revera non est nisi remota quædam
 „ potentia neque ea est ad præsentes circumstantias relativa. Quid sum?
 „ Mutari hæc circumstantia posunt; potest Deus cælestis delectationis
 „ pondus minuire, eoque minuto facere ut cupiditas, quæ actu debi-
 „ lior est, gradibus superior existat ac dominetur; tunc porro voluntas
 „ non solum poterit gratiæ non assentiri, verum etiam ad non illi af-
 „ sentiendum erit invincibiliter determinata.

„ En notam quam in voluntate, cui gratia, aut cupiditas domine-
 „ tur, agnoscis cum Jansenio, veram potentiam activam; potentiam
 „ inquam, quæ ut patet, aliud nihil est in voluntate quam capacitas
 „ suscipiendi varios gratiæ aut concupiscentiæ gradus, qui prout actu
 „ superiores sunt, illam nunc ad bonum, nunc ad malum invincibiliter
 „ determinant. Ea indifferentia est pure passiva; quam tamen tuis pla-
 „ cet *activam* indifferentiam appellare, quod voluntas ab his illecebribus,
 „ quæ ab ipsa minime dependent, necessario ad volendum determine-
 „ tur, velle autem est vere agere. Hæc enim potestas non est aliud nisi fidei
 „ *dilectionis, bonaé vita* flexibilis capacitas; hisce verbis Jansenius *veram*
 „ hanc vestram potentiam *activam* definit; ne tamen quis magnis hisce nomi-
 „ nibus præstringatur, idem Jansenius monet, S. Aug. cui scilicet om-
 „ nia ferenda sunt, plerunque præcautionis loco adjicere solere, quod ista po-
 „ testas sine gratia Dei efficere nihil potest. Hæc demum potestas adeo parva
 „ est, aut potius adeo chimærica, ut juxta Jansenium licet pluribus
 „ aliis potestatibus ab efficaci gratia distinctis conjuncta sit, non magis
 „ heic & nunc & absoluta fieri posset præceptum dici possit, quam si sine alis
 „ volare posse diceretur. En igitur rursus quo recidat vera hæc activa po-
 „ tentia, quam cum universis tuae factionis gregariis agnoscis in volun-
 „ tate sub gratiæ aut cupiditatis imperio constituta.

L. 3. de
Gr. Chr.
c. 25. p.
143. col.
1. lit. D.
Ibid. col.
2. lit. A.

Ibid. p.
145. col.
1. lit. E.

„ Jamvero bona fide agamus; est ne hæc potestas quam Trid. Con-
 „ cilium statuit, dum liberum arbitrium motum & excitatum a gratia
 „ posse definit *dissentire si velit*. Quid? Necesse ergo fuit Concilium Oe-
 „ cumenicum cogere, ut decideretur, liberum arbitrium posse gratiæ
 „ resistere potestate ejus simili, qua quis potest super nos fidei spei &
 „ caritatis actus elicere sine ullo superno auxilio, aut *navigare sine na-*
 „ *vigio, loqui sine voce, sine pedibus ambulare, sine alis volare*; ejus etiam
 „ simili, quam habet voluntas agendi contra suam naturam, & *malum ut*
 „ *malum eligendi*; quod *jure ac merito habitum semper est impossibile*; verbo
 „ potestate, quæ nihil potest, ac cum verissima impotentia conjuncta est?
 „ Verum quemnam Concilium mira hac definitione perstrinxisset? Un-
 „ quamne Calvinus potestatem adeo chimæricam oppugnavit? Nonne
 „ hæresiarcha iste æque ac partiarii tui, sub efficacissima gratia agno-
 „ scit naturalem hanc voluntatis flexibilitatem, atque hoc cupiditatis
 „ pondus, quod *perfectissimam peccandi potestatem* Jansenius appellat? Si
 „ hæc ea est resistendi gratiæ potestas, quam Concilium statuere voluit,
 „ eam Calvinus æque agnoscebat atque Ecclesia, quæ illum damnavit,
 „ atque

„ atque eo tandem deveniendum erit, ut cum Abbatे de Bourzeis, qui
 „ inter primos nascentis scholæ tuæ Magistros fuit, dicamus, *Lutherianos*
 „ nos & *Calvinianos* verbis potius, quam rebus errasse: atque adeo errasse
 „ illos quod veram potentiam activam potestatem, quam reapse non se-
 „ cus atque Concilium agnoscebant, ejus similem, qua quis *navigare* po-
 „ test sine *navigio*, loqui sine *voce*, *ambulare* sine *pedibus*, & sine *alís volare*.
 „ Sed hoc posito judicent universi, an Lutheriani & Calvinianires ipsas
 „ æque ac Concilium servantes Concilio potiores non essent bona fide,
 „ dicendæ sententia libertate, ac sinceritate?

„ Nisi ergo velimus Concilio iudicari; nisi dicere velimus cum tuo
 „ Abbatе de S. Cyrano, *Concilium hoc a Papa & Scholasticis*, qui *Ecclesia*
 Informa- „ *doctrinam valde immutaverant celebratum fuisse*; si hoc Concilium spectare
 tion de la- „ velimus uti universam exhibens Ecclesiam, & infallibile veritatis ora-
 doctrine „ culum; statuendum omnino est, eam de libertate doctrinam fuisse
 de l' Abbé „ plane confirmatam, quam Calvinus oppugnare aggressus fuerat. At
 de S. Cy- „ meridiana luce clarius est, Hæresiarcham eam solum libertatem oppu-
 ran p. 13., „ gnasse, quam tu æquilibrii vocas, quæque juxta tuarum partium Theo-
 „ logos in potestate sita est quam sub imperio gratiæ voluntas servat,
 „ eligendi inter bonum & malum, assentiendi scilicet illi, aut dissentiendo.
 „ Hæresiarcha ille æque ac ceteri tuarum partium sectatores, hanc
 „ æquilibrii libertatem in innocentia statu libens agnoscebant; contendit
 „ autem, quod omnes Theologi tui adfirmant, in hoc in quo sumus
 „ statu non amplius hujusmodi libertatem exstare, Deumque voluntatem
 „ mouere non qualiter multis sæculis traditum est, & creditum, ut nostræ po-
 Inst. 1.2. „ stea sit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari. TALEM FUISE
 c.3.n.10. „ HOMINIS ADHUC STANTIS CONDITIONEM CONCEDIMUS,
 „ UT POTUERIT AD ALTERUTRAM PARTEM INCLINARI.

„ En illud ipsum quod Concilium damnat dum definit, liberum ar-
 „ bitrium motum & excitatum a Deo posse etiamnum diffentire si velit.
 „ Verum hæresiarcha clamat, Patres Concilii omnia confundere; eorum
 „ definitionem accuratam fore, si unum hominis innocentis statum spe-
 „ taret, sed illam ei in quo sumus statui cum ipsis applicare Pelagia-
 „ num esse; denique in eo falli, quod nullum observant inter regenerationis
 In Anti- „ Gratiam, quæ NUNC miseriæ nostræ subvenit, & primam, quæ Adæ data
 doto, ad „ fuerat, discrimin.

Jeff. 6.c.6. Unum ergo supereft, querere, an Concilii Patres fallantur, ut hære-
 „ siarcha contendit, an hæresiarcha ipse? Nemini, ut verbis tuis utar,
 „ operosa & difficilis erit dijudicatio; nullum certe Catholicorum impediet.
 Epist. 2. „ Verum an non implicati aliquantulum difficultate partiarii tui sint?
 Eng. 22. „ Si enim hæresiarcha errat, si Concilium non fallitur; fateamur, opor-
 „ tet, voluntatem sub efficacissima gratia habere etiamnum facultatem
 „ eligendi inter bonum & malum, inque ejus arbitrio plane esse illi obtemperare
 „ aut refragari, atque adeo in præsenti statu innocentia eadem qua A-
 „ dam in statu innocentia, nos frui libertate æquilibrii.

„ Hoc unum est, quod Catholicus licere sibi putet adfirmare. At
 „ nonne jure mirabimur, qui Jansenius etiæ Romanæ Ecclesiæ fidei ad-
 „ dictus videri voluit causam Hæresiarchæ hac in re adjudicare, ausus
 „ fuerit ipsum illud gratiæ utriusque status discriminem, quod Calvino ac

„ Cal-

„ Calvinianis omnibus &que atque omnibus Catholicis Theologis fatentibus Concilium . Totum hocce discrimen eo demum redigitur , ut æquilibrii libertas in statu innocentiae adstruatur , rejiciatur in nostro . Non igitur hæc æquilibrii libertas negari in nostro statu potest , quin Calvino ad oppugnandos Concilii Canones jungamur . Recte ergo Turnelius hanc æquilibrii libertatem quam explicuimus pertinere censuit
„ ad substantiam fidei .

„ Tandem tibi mecum convenit , hanc libertatem æquilibrii eam esse , *Ibid.*
„ quam Jansenius oppugnavit , atque evertere studuit . Fateor inquis ,
„ atque idem hodie in aperto apud omnes est , tot de Gratia disputationes ,
„ quæ tamdiu perdurarunt , ac tam varias formas induerunt , eo spectare omnes ,
„ ut æquilibrium aut admittatur , aut rejiciatur . Haud cavillaris de æqua-
„ litate virium concupiscentiæ , & gratiæ , et si tuarum partium Theologi de
„ hac tam multa ac vana tricati sunt : sed in æquilibrio sistis explicato
„ a Turnelio , & *adverso Jansenismi dogmatibus* . *Ibid.*

„ Et ipse tibi adsentior omnes quas Jansenismus peperit , disputationes ,
„ eo demum recidere ut hocce æquilibrium adstruatur , aut respua-
„ tur , ac si hoc e nostro statu eliminari pateremur fere ut *omnis dispu-*
„ *tatio* , uti sapienter mones , *statim auferretur* , ac *phantasma Jansenismi*
„ *plane evanesceret* . At nonne vides quæstione his quibus omnino debet ,
„ terminis conclusa , te ipsum illam dirimere , aut faltem ad eam di-
„ rimendam viam omnibus sternere ? Nam hinc fateris , omnem Jansenii de libertate doctrinam , unde reliquum ejus sistema fluit , ad æqui-
„ librium oppugnandum , & a nostro statu eliminandum collineare :
„ illinc certum est , eamdem Jansenii de libertate doctrinam a pluribus
„ Pontificibus quorum Constitutionibus universa suffragatur Ecclesia ;
„ veluti hæreticam fuisse confixam . Non ii solum , quos *Molinianos* tui
„ appellant , hisce Bullis sese reverenter subjiciunt , sed omnes Christiani
„ orbis Episcopi ; omnes Regnorum Catholicorum Academiæ ; omnes in
„ Ecclesia Dei constituti Religiosorum hominum ordines ; verba Ecclesia
„ universa hasce Constitutiones suscepit , ac veluti immutabiles suæ fi-
„ dei regulas habet . Ut Ecclesiæ obedient , omnes ejus Ministri Formu-
„ lario subscriptiunt , eique subscriptentes tactis Evangeliiis jurant damnare
„ se quinque Jansenii propositiones , easque damnare se non in sensu
„ arbitrario extraneo , & chimærico , sed *in sensu ab Auctore intento* . Tuæ
„ sectæ homines , si paucissimos excipias , huic formulario subscriptiunt ,
„ uti ceteris aut Sacris ordinibus ut initientur , aut beneficia obtenturi .
„ Totum quod illos inter , & Catholicos hac super re intercedit di-
„ scrimen , in eo situm est , quod hi sincere subscriptentes Ecclesiæ pa-
„ rent , actumque Religionis exercent ; alii doctrinam , quam tantum
„ oretenus damnant animo retinentes Pastorum vigilantium fallunt ,
„ seque execrandi perjurii criminè obstringunt .

„ Paucis nostram omnem ratiocinationem colligamus . Te ipso fatente
„ certum est omnem Jansenii de libertate doctrinam ad æquilibrium a
„ nostro statu eliminandum spectare : atqui exploratum non minus est ,
„ Jansenii de libertate doctrinam ab universa Ecclesia veluti hæreticam
„ damnatam esse in tertia & quarta propositione ; hæretica igitur est
„ doctrina , quæ a nostro statu libertatem rejicit æquilibrii , atque adeo ,
„ quod

„ quod Turnelius ajebat , hæc æquilibrii libertas pertinet ad substantiam
„ fidei .

Pag. 22. „ Vide jam quam vane tibi persuaseris , sanctissimum Pontificem ,
„ qui hodie Ecclesiæ præest Benedictum XIII. eadem sentire quæ tui ,
„ ac prope est , ut ad tuorum partes transeas . Ecclesia ipsa , inquis Tur-
„ nelium adloquens , magno jam sui solatio cerneret vindicatum hac in re
„ honorem suum , nisi tuarum partium homines omnibus artibus studuisserent pa-
„ cificis S. Pontificis , qui Ecclesiam regit , consiliis obstare . Nihil , pergis , pla-
„ nius articulo , quem volebat huic opponere doctrinæ æquilibrii , quam noverat
„ audaces homines in universam invehere Ecclesiam conari .

Ibid. „ Utique Ecclesiam Jansenianam aut Calvinianam intelligis , cuius ho-
„ nor hac in re vindicari debuerat . Nam quod ad Romanam spectat
„ Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem & Magistrum , ipsa ea est ,
„ quæ a septuaginta annis conatur non invehere , sed conservare æquili-
„ brii libertatem , quam Jansenius , ejusque discipuli post Calvinum eli-
„ minare aggressi sunt . Pacifica S. Pontificis qui Ecclesiam regit , consilia
„ comperta sunt . At serio ne inducere in animum posuisti fore ut ille
„ pacem cum tuis initurus sibi creditas Ecclesiæ rationes devoveret ,
„ suaque auctoritate firmaret doctrinam a decessoribus suis toties di-
„ gnam censuris atque anathematibus habitam ? verum est , nihil plantus
„ esse articulo inter duodecim quarto adversus libertatem æquilibrii verum
„ & illud est ; si hic articulus confirmaretur , sectam tuam triumphantu-
„ ram , ac phantasma Jansenismi illico dilapsum iri . At hac ipsa de caussa
„ factum est , ut Deus , qui pro sua Ecclesia , ejusque rectore Pontifice
„ excubat , minime permiserit , ut is quam ab ipso extorqueare contem-
„ debatis , clanculariam approbationem articulo illi præberet . Ne ergo
„ spes amplius , tuos ex insidiis occupaturos fidem Romanæ Ecclesiæ ,
„ apud quam , ut ajebat S. Cyprianus , perfidia non invenit aditum . Hæc Ec-
„ clesia veluti hæreticam damnavit Jansenii doctrinam a nostro statu
„ æquilibrii libertatem rejicientis : ac talis isthæc habebitur , dum hæc
„ stabit Ecclesia , adversus quam portæ inferi non prævalebunt .
„ Hæc satis sunt , ut doctrinam veluti paradoxam & perniciem a te
„ traductam intelligeres puram esse Ecclesiæ fidem . Unum superest ut
„ ostendam , nihil infirmius ac miserabilius esse argumentis , quibus ad
„ eam oppugnandam usus es . De hoc in altera epistola , quam conti-
„ nenter exspectare te jubeo . Vale interea .

THEOLOGI CUIUSDAM

EPISTOLA II.

Qua secundæ epistolæ ad Turnelium Doctorem Sorbonicum de æquilibrio
scriptæ respondetur .

„ **M**issis præemiis rem ipsam statim adgredior , ac mihi præstituo
„ in nihilum redigere argumenta omnia , quibus usus es ad æqui-
„ librium in priore epistola a me explicatum oppugnandum , atque a
„ nostro statu ablegandum .

„ Gra-

„ Gravissimum, inquis, adversus tuam de æquilibrio doctrinam præjudicium Epist. 2.
 „ est, eamdem eam esse quæ Pelagianorum. Diu est, quod Calvinus idem hac pag. 6.
 „ in re adversus Trid. Concilii Patres effutiit, quin tamen Theologi Ca-
 „ tholici putarint, defendendam sibi non esse æquilibrii libertatem, quam
 „ e nostro statu profligare hic hæresiarcha itidem conabatur. Adsueti
 „ jam sumus vanis hisce Pelagianismi accusationibus, & ex quo Calvi-
 „ niani, quos sequeris, tam crebro atque inutiliter illas ingeminarunt,
 „ Catholici timere illas dederunt. Pelagiani contendebant, voluntatem
 „ ex se se, ac natura sua vires habere ad salutare bonum uti ad malum,
 „ sine gratia auxilio admodum. In quo essent hæretici, & qua de
 „ causa eos Ecclesia anathematis suis dignos censuerit. Hinc estis Cæle-
 „ stiani, & Pelagiani.

„ Jamvero qui æquilibrii libertatem tuemur, capitalem hunc Pelagia-
 „ norum errorem anathematizamus. Defendimus cum Trid. Concilio, Gra-
 „ tiam Jesu Christi non solum utilem esse, sed etiam absolute necessariam
 „ ad justitiae agenda opera, merendamque vitam æternam; ac sine hac
 „ gratia, quæ nos prævenit, non posse nos nec credere, nec sperare, Sess. 6.
can. 2.
 „ nec amare, nec pœnitentiam agere prout oportet, ut justificationis
 „ gratia nobis concedatur. Nos ergo inter & Pelagianos tantum inte-
 „ rest, quantum inter errorem & veritatem, inter hæresim manifestam,
 „ & puram Ecclesiæ fidem.

„ Tu ipse id discriminis agnoscis inter eorum doctrinam & nostram, sed
 „ ait, nullum hoc esse quod ad ipsam rem spectat, idque confirmas, quod in Ibid.
 „ nostro æque atque in hæreticorum illorum systemate, Deus in omnipotentiæ suæ
 „ thesauris media non habet ex se se & propria virtute satis efficacia ad experimen-
 „ dum voluntatis consensum. Ibid.

„ Hoc illud sine dubio est, quo omnes tuarum partium Theologi spe-
 „ ñtarunt, dum in suis adversus constitutionem scriptis tam sæpe nobis
 „ reprobarunt, primum Symboli articulum a nobis everti, hocque de-
 „ creto semel admisso, Deum Omnipotentem credi non posse. Heinc qui
 „ ex tuæ factionis Episcopis adversus Ecclesiam manifestiore audacia re-
 „ bellavit, sibi plaudit, se nonnisi pro Omnipotentiæ dogmata pugnare,
 „ ac Martyrem esse se divini hujusce attributi.

„ Verum nunquamne tuæ sectæ homines pudebit, hujusmodi calum-
 „ nias inculcare postquam illas solidissimis momentis centies evertimus?
 „ Nobis imponis, docere nos, Deum Omnipotentem non esse, quia cum
 „ Quesnello non agnoscimus gratiam Dei nihil aliud esse quam Omnipotentem
 „ Dei voluntatem quam nihil impedire potest aut retardare, imo contra defendi-
 „ mus, gratiam vel efficacissimam voluntati relinquere arbitrium con-
 „ sentiendi si velit, aut dissentiendo. At quæso, memineris, hocce æqui-
 „ librium, quod in nostro statu te tantopere commovet, ipsum illud
 „ esse, quod veluti fidei dogma in innocentia statu tute defendis. Con-
 „ tendis enim, ut in priore Epistola ostendi, Adamo fuisse potestatem a-
 „ qualem feligendi bonum inter & malum; illecebras omnes, quibus ferebatur ad
 „ bonum, ejus voluntati fuisse plane subjectas, atque illius voluntatem potuisse pro
 „ libito illis adsentiri, vel refragari. Verbo, cum Quesnello ait, gratiam A-
 „ dami fuisse gratiam infirmam, fluxam, & libertati subjectam, atque adeo Reflex.
mor. sur
S. Jean
 „ gratiam, quæ cum voluntatis æquilibrio nulla prorsus ratione pugnabat. c. i. u. 16

„ Jam-

„ Jamvero ex te peto , an heinc concluderes , Deum in innocentia
 „ statu non fuisse omnipotentem ? Infere ne propterea , non habuisse tunc
 „ Deum in sua Omnipotentiae thesauris media satis efficacia ... ad obtainendum vo-
 „ luntatis consensum ? Adfirmabisne , hominem innocentem non debuisse
 „ æque atque infelices ejus posteros , primum Symboli articulum credere ?
 „ Nisi hujusmodi impietatem abhorres , non a fide tantum , sed & a ratio-
 „ ne dissentanea sentires , quæ nos vetat vel cogitare , Deum in creaturam
 „ suam tum omnipotentem esse coepisse , quum illa sons cepit esse , ac rebellis .
 „ Sed non fidem solum , ac rationem , si ita sentires , proculare co-
 „ geris , verum etiam (quod agris fortasse ferres) apertam S. Augu-
 „ stini auctoritatem ; luce enim meridiana clarius est , S. Doctorem æque
 „ in statu innocentia atque in nostro Dei omnipotentiam supremumque
 L.14. de Civ.c.27. „ dominium agnoscere . Quis audeat , inquit ille , credere aut dicere , ut ne-
 „ que Angelus , neque homo caderet , in Dei potestate non fuisse ? Alio item loco
 L.11. de Gen. ad litt. c.10. „ addit de Adamo & Eva , qui non perseverarunt : sed posset , inquiunt ,
 „ etiam ipsorum voluntatem in bonum convertere , quia omnipotens est . Posset
 „ plane ; cur ergo non fecit ? quia noluit ; cur noluerit , penes ipsum est . Eodem
 n. 13. „ plane modo de nostro statu loquitur S. D. Quis , inquit , tam impie de-
 „ siperat , ut dicat malas hominum voluntates , quas voluerit , quando voluerit ,
 Enchirid. „ ubi voluerit , in bonum non posse convertere ?
 t.98.n.25. „ Indubium igitur est , S. Doctorem agnoscere , Deum fuisse Omni-
 „ potentem in voluntatem hominis innocentis æque ac in voluntatem
 „ hominis lapsi , atque adeo juxta ipsum Deum in statu innocentia æque
 „ atque in nostro habuisse in sua omnipotentiae thesauris media satis efficacia ad
 „ obtainendum voluntatis consensum . Inique de te sentirem , si de his verita-
 „ tibus dubitare te posse existimarem ; imo ne ullum quidem crediderim
 „ in universa tua secta inveniri adeo insipientem , ut de illis dubitet .
 „ Fatearis igitur , oportet , libertatem æquilibrii , qua homo fruitur ,
 „ divina omnipotentia non derogare .
 „ Nunc ex te quero , qui prudens contendere possis , Deum in nostris
 „ principiis non habere in sua omnipotentiae thesauris media satis efficacia ad ex-
 „ primendum voluntatis consensum ? qua fronte omnes tuæ factionis Scripto-
 „ res illud semper clamant , primum a nobis Symboli articulum de-
 „ strui , ac divinam omnipotentiam everti , quod in nostro statu liber-
 „ tatem æquilibrii adstruimus , ab ipsis in statu innocentia , in quo ta-
 „ men fuisse Deum omnipotentem nulli dubitant , admissam ? Ubi bona
 „ fides ? Ubi candor , & sinceritas ? In hoc articulo paullo diutius immo-
 „ ratus sum , quod is unus satis esse possit ad tuarum declamationum
 „ infirmitatem , vanitatem , absurditatem revincendam , sed ceteras tuas
 „ objections percurramus .

Epist. 2. „ Ut , quoad tibi fieri potest , Pelagianis nos socies , defendis , nostrum
 pag. 6. „ æquilibrium non minus quam horum hereticorum æquilibrium hominis superbiae
 „ blandiri . Id quidem non satis primo aspectu detegitur . Pelagianus enim
 „ suo systemati inhærens , possum , inquit , ex me , viribusque meis omnia fa-
 „ cere ad cælum lucrandum , neque ad id ullam habeo divini auxilii necessitatem :
 „ contra Catholicus ad sua fidei regulas ait : ne unum quidem virtute mea ,
 „ possum in via salutis gradum facere , ac sine gratia Jesu Christi nihil omnino
 „ possum . Superbia in primo systemate se statim prodit ; in altero autem

„ solidissimum veræ demissionis animi fundamentum exstat . Quic ergo contendere potes duo hæc systemata plane sibi consentire , & discriminem ibid .
„ quod inter illa intercedit , quod ad ipsam rem spectat , nullum esse ?

„ Sed te in hanc rem ratiocinantem audiamus . Causa , inquis , cur naturale æquilibrium non nisi ad injiciendam superbiam idoneum sit , in eo sita est , ibid p. 7.
„ quod unius sit voluntatis uti illo prout ipsi libuerit , ei sit illud subjectum , ea illud in quamcumque partem ex arbitrio vertat . Jam vero pergis , tuum Gratiae æquilibrium non minus a voluntate pendet , ut ea pro arbitrio utatur , illius que determinatio ad hanc æque pertinet . Agnoscis in homine divinæ Gratiae necessitatem ; verum hæc gratia ab ejus libito pendet ; liberum arbitrium illud est , quod jubet , constituit , & ex sua sententia disponit . Unde infers , hominem dum aliquid boni Gratia adjuvante facit , hanc sibi debere laudem adsumere .

„ Nempe ignoras aut te ignorare simulas veram Pelagianæ superbiaz originem , quæ ut supra monebam , non in eo sita erat quod Pelagiani vellent , posse voluntatem inter bonum & malum quid potissimum liberet eligere ; sed in hoc quod illi contenderent , posse voluntatem bonum facere quemadmodum malum , ex semetipsa , & seorsum a gratia ; unde fit , ut Pelagianus gloriari non possit , nisi in semetipso , non autem in Domino ; contra Catholicus qui gratiæ necessitatem ad omnia pietatis opera confitetur , adeo non sibi totum tribuit , ut totum ejus , sine quo nihil potest , auxilio adscribat . Fatetur hic cum A. postolo , se omnia posse , sed in eo qui illum confortat ; omnia potest , sed tota ejus potestas a Deo est . Philip . IV. 13. Cor. III. v. 5.

„ Sed hæc Gratia , inquis , ab ejus libito pendet ; liberum arbitrium illud est quod jubet , constituit , & ex sua sententia disponit . In doctrina , contra quam insurgis , nihil est quod reprehendas , nisi verba quibus ad eam deformandam uteris ; verba invidiosa , & in præsenti materie tam de cori quam veritati repugnantia . Nam de gratia actuali loquentibus dicendum est , liberum arbitrium illi obedere aut resistere ; nunquam vero , illi præcipere , de ea statuere , aut disponere , quæ significant , gratiam esse ex se indifferentem , atque omnibus ad quos voluntas accommodare illam vellet , usibus posse inservire . Idem dico de phrasí illa , quam tuæ factio[n]i libet nobis tribuere : voluntas determinat gratiam . Minime vero ; ridiculum dictu est , voluntatem determinare , quod ex se motio est ad bonum necessario determinata ; voluntas gratiæ obediens ejus motionem , ejus impulsu sequitur ; sed non illam determinat .

„ Si vis ergo hos terminos justa significatione circumscribere , id unum adferas necesse est , Gratiam ejusmodi a nobis admitti , ut ei possimus , si modo velimus , aut consentire aut dissentire ; ut illa licet nos ad bonum ferente eligere possimus bonum inter ac malum ; verbo , ut voluntas nostra possit pro libito ejus ductum sequi aut respuere ; hoc enim totum est , quod propugnamus , æquilibrium . At quid quæso habet doctrina isthac , quod ad excitandam superbiam aptum sit ? Imo vero hoc illud principium est , cui majores Sancti innixi semet confundunt , sibique suam ipsorum infidelitatem , & exiguum quo gratiæ respondent , studium exprobrant . An ut quis demisso sit animo , fastidum est , nos necessario sequi debere alterutram indeliberatam cupiditatem , quæ actu gradibus superior sit ? cælesti nos quam særissime , de-

„ destitui voluptate, nosque quum aut illa plane caremus, aut ea certe
„ opposita cupiditate validior non est, in dura constitutos esse necessitate
„ illecebrarum pravae actu dominantis cupiditatis conseq[ue]ntiarum?

„ Si id necesarium est ad animi demissionem acquirendam, aut con-
„ servandam, fateri cogeris, Gratiam status innocentiae ad nihil aliud aptam
„ fuisse, quam ad excitandam superbiam; homines atque Angelos in eo statu
„ sua merita Deo minime debuisse in acceptis referre; consequenter totam
„ illorum gloriam in ipsis fuisse refundendam, ac propterea docuisse illos in
„ seipsis gloriari, non in Deo suo.

„ Evidet video, te hisce conseq[ue]tionibus nequaquam territum iri;
„ imo illae et tuo systemate planissime fluunt; at eas horret animus re-
„ ste institutus; fides detestatur; S. Aug. quem semper appellas, exe-
„ crabatur. Dic enim quæso, fingine absque infania atque impietate pos-
„ sit Deus auctor status, in quo auxilia, quæ Deus homini exhiberet,
„ ad nihil aliud apta essent, quam ad excitandam superbiam, atque
„ omnem demissionis sensum ab ejus animo removendum?

„ Docet sexcentis in locis S. Aug. Angelos ipsis qui in innocentiae
„ statu quemadmodum homo conditi sunt, Dei Gratiae debere cum me-
„ rita, quæ sibi compararunt, tum beatitudinem, quæ illa veluti præ-
„ mium est consequuta: *Tibi debent quod juste vivunt: tibi debent, quod
beate vivunt... Ne putas hominem solum pertinere ad gratiam Dei. Quid erat
Angelus antequam fieret? Quid est Angelus, si deserat, qui creavit?*

In Ps. 70. In ser. 2. n. 5. „ Idem S. Doctor alio in loco monet, cælestes intelligentias non se-
„ cus atque homines lapsos, Dei auxilio indiguisse; hoc auxilio fuisse
„ illos sustentatos, ac confirmatos; nullam a se virtutem habuisse, sed
„ a Dei spiritu non suæ virtutis partem sed omnem suam accepisse vir-
„ tutem: *Non a se sibi solidamentum fuerunt, nec ipsi cœli firmitatem sibi pro-
Enarr. 3. priam præstiterunt. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis
n. 4. virtus eorum. Non babuerunt aliquid ex se & tamquam supplementum a Deo
perceperunt: spiritu enim oris ejus non pars, sed omnis virtus eorum.*

„ Plane ergo persuasum Augustino fuit, Angelos in statu innocentiae
„ Deo omnia sua merita debuisse, nullamque horum partem fuisse,
„ quam ii possent sibi meti ipsi tribuere veluti suam, nec in Deum re-
„ ferre deberent. In tuis tamen principiis dicendum esset, potuisse illos
„ omnia sua merita sibi meti ipsi adscribere, omnem eorum gloriam sibi vin-
„ dicare, atque in seipsis gloriari, ac non in Domino. Quod tamen juxta
„ tua principia illis in innocentiae statu licuisse, manifesta impetas est,
L. var. 22. q. 9. T. 8. p. 293. si Bedam audimus S. Augustini discipulum longe studiosissimum; quia
„ id eorum crimen fuit, unde diaboli facti. *Angeli semper in Domino gau-
dent, non in se: malus vero inde est Diabolus, quia non quæ Dei, sed quæ sua
sunt, requisivit. Nulla autem major iniquitas, quam non in Deo, sed in se
velle quenamquam gloriari.*

„ Jam ad rem. Certum est, in innocentiae statu nihil existisse, quod
„ aut Angelis aut hominibus posset vi ejus status superbiam excitare,
„ quum nullam plane suorum meritorum partem sibi tribuere, sed uni
„ Deo eorum gloriam tenerentur adscribere. Atqui tamen æquilibrii li-
„ bertas in eo statui exstebat, & Gratia Angelis & hominibus ad pia
„ opera necessariae cum hac æquilibrii libertate optime conveniebat.

„ Explorata igitur falsitatis est, æquilibrii libertatem, quæ Gratia ne-
„ cessitatem sumit, ad nihil aliud aptam esse, quam ad excitandam superbiam,
„ & animi demissionem evertendam.

„ Sed en alia ceterarum tuarum similis ratiocinatio. Itaque, inquis,
„ Turnelium alloquens, planissime verum est, tuo æquilibrio æque atque Pe- Pag. 7.
„ lagiano æquilibrio liberum arbitrium Deo veluti æquare: Duæ potestates sunt,
„ quæ paribus armis pugnant. Deus homini opponere potest vires ejus viri-
„ bus æquales... sed & homo Deo potest vires opponere gratiæ viribus pares.
„ Addat Deus prioribus suæ gratiæ viribus vires multo majores; homo in sua vo-
„ luntate, quæ inexhaustum quoddam est armamentarium, alias inveniet æque
„ magnas, validasque, quas illi opponat.

„ Ut vanam hanc declamationem evertam, ad innocentia statum
„ eam quoque transferre libet. Auderes ne adfirmare in hoc statu, in
„ quo tua lecta universa æquilibrii libertatem agnoscit, liberum hominis
„ arbitrium veluti Deo æquatum fuisse? Eo ne temeritatis devenies, ut di-
„ cas, Deum & hominem in hoc statu duas potestates fuisse, quæ paribus ar-
„ mis pugnarent? Non puderet te divulgare, tunc hominem Deo fortio-
„ rem fuisse, & in exhausto suæ voluntatis armamentario vires habuisse æque ma-
„ gnas, ac validas, quas opponeret omnipotenti? Verum si tam impium
„ in modum ratiocinari non audes, qua fronte earumdem nos blasphemiarum accusas? Absurdasque, quas tu ipse rejicere cogeris nobis tri-
„ buis consecutiones?

„ Bellicas igitur phrases sepone, teque illis terminis, quos sana po-
„ stulat theologia circumscribe. Hanc si methodum adhibeas, magnæ hæ-
„ verborum ambages, quibus tantopere delectaris, id demum significa-
„ bunt in nostris principiis, ut fortis gratia sit, quam Deus homini
„ confert, voluntatem tamen hominis semper facultatem habere pro-
„ ximam, completam, & expeditam ei consentiendi aut dissentiendo;
„ quemadmodum gratia primo homini concessa ejus voluntatem relin-
„ quebat plane dominam sequendi, aut rejiciendi illius impulsum: hoc
„ enim (uti jam dixi, atque iterum inculcandum tibi esse video) to-
„ tum est æquilibrium, quod in statu innocentia Adam habuit, & u-
„ num etiam, quod nos pro hoc statu propugnamus. Id porro non
„ opinio quæpiam est, quam tibi liceat aggredi; fidei articulus est,
„ cui Catholicus quisque se se subjecere debeat, & pertinet ad substantiam
„ dogmatis, ut Turnelius ajebat, quem adeo inconsulto aggressus es.

„ Atque eo magis mirandum, te hac de' re nobis litem intentasse,
„ quod juxta tua principia in eas ipsas, quas nobis exprobrare ausus
„ es absurditas necessario delaberis. Enimvero juxta novæ tuae Theo-
„ logiæ principia, totum hocce negotium duabus delectationibus con-
„ stat, cœlesti, quæ Deum habet auctorem, ac terrestri, quæ ex homi-
„ nis corruptione proficiscitur. *Idem est*, ait unus e primoribus tuæ se-
„ cœtæ Theologis, de duabus delectationibus: quod de duobus ponderibus
„ quæ in bilance ponantur. Duæ hæ delectationes mutuo debent se se op-
„ pugnare, atque in hac pugna, inquit idem Episcopus, *idem adcidit*,
„ quod in ceteris conflictibus; *eam vincere que fortior est*. Ecce tibi juxta
„ elegantei hanc Mechanices ideam corruptum hominem, qui aliqua
„ ratione Deo æquatur, nec solum vires æquales habet, quas Dei viribus

Tournely de Gratia. Tom. III. Pars I.

Mirapt.
consis E-
piscopus
Defense
de la
Grace
efficace
p. 295.
ib. p. 260.

„ oppugnat , sed s̄apius validioribus pr̄stat , & Deum ipsum vincit :
 „ Ubi ergo crimen nostrum ? qui hominis voluntati multo minus tribuimus , quam quod ejus cupiditati tu cum tuis tribuere non vereris ?

„ Nec plus proficies , hominem considerans cum dæmone conflictantem . Ferre nequis a nobis adfirmari , nullam esse tentationem quam is vincere non possit , nullam vel violentissimum affectum quem cobibere nequeat . Jure hanc doctrinam redargueres , si id hominem ex se se posse , sine superno auxilio , doceremus . At hanc in homine facultatem ita agnoscimus , ut cum S. Augustino fateamur , nullam hanc fore facultatem , nisi eam Deus largiretur . Nullam esse tentationem creditimus , quam superare nequeamus , scimus enim servire nos Deo fidelii , qui non feret tentari nos supra nostras vires . Verbo dicimus posse nos omnia , sed quemadmodum ajebat Apostolus , in eo qui nos confortat .

„ Hæc sententia purioribus Religionis luminibus adeo conformis est , ut quo Fideles omnem tui systematis horrorem celes , nec eorum pietatem in te concites , fatearis generatim necesse sit , in omnibus hominibus veram potentiam activam vincendorum , qui violenti incensique maxime sint affectum æque atque exercendarum , quæ maxime heroicæ sint , ac supernæ , virtutum ; idque sine ulla Gratia , ulloque ex parte Dei adjutorio , tum quia nos defendimus , hominem hæc omnia posse cum Gratia auxilio , quo Deus ex sua solum misericordia eum munire non detrectet : ex nobis quæris , an credamus , posse quempiam christianum esse , quin hanc doctrinam borreat ? Sine quæso , ut viciissim ego ex te quæram , an qui vel minima rationis scintilla determinatus non sit , hanc nobis questionem serio movere possit ?

Pag. 7. „ Quod te magis urit multoque magis paradoxum tibi videtur , illud est , magnas basce vires , quas gratia confert ad obſtendum concupiscentiae , non in justis solum extare debere , sed in omnibus generatim hominibus justis & peccatoribus , fidelibus & infidelibus , Atheis , Idololatris , Mabometanis , ac peccatoribus maxime abominandis , atque obduratis ; seu , ut in clariore lumine questionis status collocetur , infideles ipsos , Atheos , peccatores , maxime abominandos , atque obduratos posse etiam mediate aut immediate converti , vitare peccata in quæ labuntur , & quibus tenentur , præcepta implere , hæcque omnia eos posse gratiæ , quam illis misericordiarum Deus pro sua bonitate non denegat , auxilio .

„ Hæc doctrina est , quam Turnelius vere defendit , quamque tui veluti Pelagianam traducere aedes . Verum præsumptus hic Pelagianismus nunc primum in Ecclesiam invectus non est ; nam duobus abhinc fere seculis Calvinus eundem Catholicis exprobrabat , atque Ecclesiæ Romanae Theologos in hæreticorum censu enumerabat , quod quemadmodum hodieque nos , Dei gratiam omnibus hominibus dari docerent . Qua in re audi quid celebris Tridentini Concilii Theologus Heran-Cathol. 1.14.52. hæresiarchæ responderit ! Sit ut lubet , simus nos phænetici ... simus di- phetis , cum Apostolorum majestate , cum universa sanctorum multitudine u- trius-

„ triusque Ecclesiæ, veteris scilicet ac novæ, Græcæ & Latinæ. Utrum magis præoptandum nobis cum his recentitis nos male audire a Calvino, an bene ne nobis esse cum ista sua maledicentia?

„ Redis semper ad obduratos, ad infideles, ad Atheos. Hi sunt dilectæ acies, quas in campum adducis, nobisque opponere non cessas. Verum perpende, obsecro te, hosce obduratos, hosce infideles, hosce atheos non esse dæmones, sed homines Jesu Christi Sangui- ne redemptos, de quorum salute, dum in terris degunt, desperare nobis non licet. Si Deus, ut sumis, eos plane desereret, illisque peccata, quæ desertionis hujus necessariæ consecutiones essent, vitio verteret, eorum conditio multo damnatorum forte molestior esset, atque funestior. Nam hi id saltem habent commodi, quod malum quod vitare non possunt perpetrantes suas penas minime augent; contra Deus illos in terris eo relinqueret, ut sua scelera multiplicarent, suppliciumque sibi augerent.

„ Horres gratiam sufficientem dici oblatam generatim omnibus homini- bus, minime exceptis barbaris, Mahometanis, infidelibus & atheis. At quo jure omni divinæ Justitiae rigori illos inclementer subjecis, cum Deus ipse misericordiæ suæ sinu eis aperiatur? Divulgamus, Infideles Tim. 2.4 & Barbaros divinæ Gratiae participes esse, quoniam ex Apostolo accipimus, Deum velle omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Atheos ab hoc beneficio non excludimus, nec peccatores magis abominandos, atque obduratissimos, Deus enim ipse nobis testificatur, se nolle mortem impii, sed magis ut convertatur & vivat. Ezetb. Paucis; justum implerem volumen, si omnes veteris ac novi Testa- 18. 23. menti locos colligere vellem, in quibus Deus maximos peccatores urget atque sollicitat, ut convertantur, manumque extendit, ut eos elevet.

„ Id tibi videtur horribilis quidam Molinismus, qui Pelagii æquilibrium instauraret. At jaçtatus hic Molinismus evidenter traditur ab omnibus antiquis Patribus, nominatim a SS. Chrysostomo & Ambroso, qui docent Gratiam Dei non minus generatim diffundi, quam solis lucem. Quod fortasse magis miraberis, illud est, hanc doctrinam, quæ adeo Pelagiana tibi videtur, ipsissimam esse S. Augustini doctrinam. Ita est: S. Augustino persuasum fuit, vel maximos peccatores habere mediante gratia potestatem mediata[m] vel immedia- tam cohibendi violentos affectus quibus in crimen pertrahuntur. Nec equidem scio, an infensissimus licet sis hujus doctrinæ hostis, aliam possest tuis barbaris, tuis infidelibus, & tuis Atheis tradere, si ad eos convertendos operam animumque adjiceres, nec tunc teneri te crederes, quemadmodum Minister Iuriæus, ad Pelagianam cooptandam prædicacionem?

„ Ut ut est, audi Augustinum, qui Pelagianus certe non erat, & ex ejus lectionibus proficere stude. Non exhibeas, inquit, membra tua, Serm. arma iniquitatis peccato. Dedit tibi Deus potestatem per spiritum tuum, ut 128. c. membra tua teneas. Quid facit libido? Surgere novit, vincere non novit. His verbis S. Doctor omnes generatim homines hortatur ut suos affectus coerceant, eis significans, inesse ipsis potestatem illos vincen-

„ di , hancque potestatem a Deo proficisci , qui eam nulli de-
„ negat .

Ibid. c. 5. „ Noli ergo , pergit ideni Pater , visui quando pugnas . . . intus intra
n. 8. „ te ipsum caro concupiscit adversus spiritum . Si NON CONCUPISCIT
„ ET SPIRITUS ADVERSUS CARNEM , FAC ADULTERIUM . Si
„ autem spiritus concupiscit adversus carnem , luctam video , victimum non vi-
„ deo . Pugna est . . . sed delecat adulterium : contradicatur , resistatur , re-
„ pugnetur . Deus tuus est in te , spiritus bonus datus est tibi .

„ Vides , Augustinum semper sumere , homini tentato inesse vires suf-
„ ficientes vincendae validissimae cuique temptationi . Ut ei ad vincen-
„ dum animos addat , non illum monet , habere ipsum ex se se veram
„ potestatem activam resistendi temptationi ; ait , hanc potestatem esse ex
„ gratia , quam Deus intra ipsum semper præsens largitur . Certus
„ autem nunquam hoc auxilium deesse S. Doctor adfirmat : si non con-
„ cupiscit & spiritus adversus carnem , fac adulterium ; fere ut Propheta
„ Israelitis ajebat : si autem Baal , sequimini illum .

3. Reg. „ Velles ut non barbaris solum , infidelibus & Atheis , sed justis ipsis ,
18. 21. „ qui labuntur , indiceremus , non habuisse illos majorem temptationis
„ vincendæ potestatem , quam sine navigio navigare , sine lingua loqui , si-
„ ne pedibus ambulare quis possit ; Augustinus contra negat , quemquam
„ suam impotentiam prætexere posse ; sic enim peccatorem alloquitur ,
in Ps. 40. „ quem Paralyticus triginta & octo annorum adumbrabat : ne dicas ,
n. 5. „ non possum tenere & portare , & frangere carnem meam : ADJUVARIS ,
„ UT POSSIS . . . Paralyticus intus erat : AEST qui dicat tibi : tollere
„ grabatum tuum & ambula . Non vult Augustinus , ut peccator a vehe-
„ mentissimis quibusque affectibus exagitatus dicat : non possum resistere ;
„ non quod habeat veram potentiam activam in suo libero arbitrio , qua-
„ cum nihil potest ; non quod gratias , quas Deus illi non conferre de-
„ crevit , nec ipse petere potest , accipere posset ; sed quia Deus reape
„ illum adjuvat , & auxilio adjuvat gratiae , quæ resistendi potestatem
„ suppeditat : adjuvaris ut possis .

„ Possem innumeratas ejusmodi sententias recitare , nisi timerem , ne
„ molestus tibi essem ; sed ut maxime velim tuo studio parcere , unam
„ tamen aut alteram feras ut heic reddam , in quibus juxta tuam de
„ Molinismo & Pelagianismo opinionem S. Doctor videri tibi debet
„ Molinista maximus , maximus Pelagianus . Cum per Dei adjutorium in
„ potestate tua sit ; utrum consentias diabolo ; quare non magis Deo , quam ipsi
„ obtemperare deliberas ? SI ENIM SOLUS DIABOLUS DARET CON-
„ SILIUM , ET DEUS TACERET , HABERES QUOD EXCUSARE
„ POSSES . Cum vero Christus conscientia tua tibi contradicat , & per divi-
„ nas Scripturas audias in Ecclesia , quod non debebas facere malum ; quare ex-
„ ligis mortem , & deseris vitam ? . . . Rogo ego vos , Fratres charissimi ,
„ quare Satanas seducit ad peccandum CUM POSUERIT HOMINI IN SUA
„ POTESTATE NON CONSENTIRE SATANÆ ? Est enim a dextris
„ quodammodo præcipiens Deus , a sinistris seducens Satanam , homo in medio
„ constitutus . Cor suum quid inclinat ad diabolum ? Quare non potius erigat
„ ad Deum ? Non enim diabolus cogendo , sed suadendo nocet , nec extorquet a
„ nobis consensum , sed petit . Nos diabolum non adjuvemus , & vincimus .

„ Dat quidem ille consilium , sed Deo auxiliante , nostrum est eligere vel re- hom. 12.
 „ pudicare quod suggerit . ex 5. nunc
 „ Nescius non sum in postrema Augustinianorum operum editione , in ap-
 „ duodecimam hanc homiliam in Appendicem fuisse rejectam . Sed pri- pendic.
 „ mo eorum qui istam editionem curarunt , judicio subscribere minime serm. 12.
 „ tenemur , ac jus nobis est priorum editionum sequendarum . Deinde n. 3.
 „ illi ipsi , qui hanc homiliam S. Augustini non else centent , eam S.
 „ Cæsario Arelatensi tribuunt , qui in Pelagianismi suspicionem venire
 „ nequit , cum ex iis fuerit , qui in secundo Aranciano Concilio , cui
 „ præterat , in abolendis hujus hæresis reliquiis maxime adlaborarunt .
 „ Tandem iidem Editores fateri coguntur , doctrinam hujus homiliae fe-
 „ re Augustinianam esse . Et quamvis haec vocula fere possit iis , quibus
 „ quidquid in illa homilia continetur , non omnino arrideat , aliquid
 „ subterfugium parare ; dubitari tamen nequit , quin quæ nuper recita-
 „ vi , doctrinam Augustinianam exhibeant , cum S. Doctor idem , ac
 „ iisdem pene verbis doceat in libris , qui sine controversia eum habent
 „ auctorem .

„ Satis mihi erit adferre quæ in Psalmum 92. scribit , ubi ita illos in Ps. 91.
 „ refellit qui sua peccata dæmoni adscribunt , quasi Satanas habeat pote- n. 3. qui
 „ statem cogendi . Astutiam suadendi habet , sed si Satanas loqueretur , & tace- bus simi-
 „ ret Deus , haberes unde te excusares . Modo aures tuae positæ sunt inter mo- lia ha-
 „ nentem Deum , & suggesterent serpentem : Quare buc flectuntur , hinc aver- bee Ser.
 „ tuntur . Non cessat Satanas suadere malum . Sed nec Deus cessat admonere 278. c. 2.
 „ bonum . Satanas autem non cogit invitum . In tua potestate est consentire vel
 „ non consentire .

„ En tibi Augustinum qui tecum sumit hominem cum dæmonie luctantem ,
 „ disertis tamen verbis id docet , quod tibi videtur plane Molinisticum
 „ ac Pelagianum , nullam scilicet tentationem esse quam ille vincere nequeat ,
 „ affectum nullum , quem cohibere non possit , non per veram potentiam acti-
 „ vam a libero arbitrio indivisam , atque ab omni gratia indepen-
 „ tem , sed ex auxilio gratiæ , quæ ipsi facultatem confert bonum aut
 „ malum eligendi , consentiendi tentationi aut eidem dissentandi . Num-
 „ quam cessaat Dæmon nos adgredi ; sed ne Deus quidem , Augustino
 „ auctore , cessaat suum auxilium impertiri . Cum homo in hoc rerum
 „ statu sumitur , jure ex eo queritur cum Augustino : cur obedire re-
 „ nuiis Deo jubente , & seducentem dæmonem audis ? At ita ne loqui
 „ tibi tua principia conjectanti serio licet ? nec ille tibi merito respon-
 „ deat : meæ miseria inhumanus insultas , cum ex me sciscitaris , cur
 „ Deo potius quam Dæmoni non obediam ? Nonne doces me in hoc
 „ meo obdurationis statu nullam vel exiguum habere gratiæ scintillam
 „ quæ tentatori obsistam , ac tentationem vincam ? Nonne idem doces
 „ cum omni tua potentia actua , sine gratia atque ea efficaci , & gradibus
 „ superiore nec repelli tentatorem , nec vinci tentationem magis posse
 „ quam sine navigio navigare , sine voce loqui , & sine pedibus ambulare quis
 „ valeat ? Sine ergo Molinistas ac Pelagianos hujusmodi questionibus
 „ indulgere , neque a me postulato , ut illecebras vincam , quas in hi-
 „ sce meis circumstantiis vincere mihi impossibile est .

„ Tandem ne te diutius S. Augustini auctoritate fatigem , indubium
 Tournely de Gratia , Tom. III. Pars I. Bb 3 „ est

„ est S. Doctoris axioma, rationis & Religionis ductui plane consentaneum ab omnibus omnium Catholicorum Theologis cooptatum, neminem (quo nomine tui quoque infideles, obdurati, athei comprehenduntur) peccare in eo quod caveri non potest. Atqui omnes tui infideles, tui obdurati, tui athei, certissime peccant, tentationi consentientes; nec tu ipse hac de re dubitas. Eam ergo vincere possunt,
 l.3. delib. „ idque possunt gratiae auxilio, quo fit ut possint quodque ipsis Deus
 arb. „ ro ubique, impertitur, quemadmodum eodem loco S. Augustinus docet, ac toties alibi tradidit. Sine, ut hic duos proferam veteres S. Augustini
 sens est „ ibidem, discipulos, qui eamdem, quam tantopere horres, doctrinam clarissimam Apoc. „ me docuerunt. Evidentissime, inquit Paulus Orosius, declaratum est, ne
 de arb. „ mini hominum deesse Dei adjutorium, praesertim cum & seductor insistat,
 libert. „ insit infirmitas. Si nemini hominum cum dæmone confligenti & ab
 affectibus ad malum compulso deest Dei adjutorium, non ergo illo
 „ privantur tui illi infideles, tui illi obdurati, tui illi athei, dum iisdem angustiis premuntur. Hoc illud est, quod Paulus Orosius indubitum, & evidentissime declaratum retur.
 l.2.c.16. „ S. Prosper, aut quisquis alius est auctor librorum de vocatione gentium postquam qua ratione in nobis gratia agat, exposuit, addit:
 „ Quæ opitulatio per innumeros modos sive occultos sive manifestos omnibus adhibetur: & quod a multis recusat, ipsorum est nequitie,
 „ quod autem a multis suspicitur, & gratiae est divinae, & voluntatis humanae. En iterum gratiam, quæ omnibus generatim hominibus conferatur, ab antiquissimo & fidissimo inter Augustinianos discipulos traditam.
 „ Quid igitur tunc sectæ? quid tibi in mentem venit querere, an qui
 pag. 6. „ illam tueatur, possit esse Christianus?

„ Quo porro pudore ut illam in invidiam voces, illis tantummodo quos Molinæ discipulos appellare tibi libet, eam tribuis, cum palam sit, traditam illam fuisse, atque etiamnum constanter tradi in omnibus Catholicis Scholis? Mihi non vacat epistolam scribenti omnes honeste Theologos percensere; ut tamen te confundam, necesse saltem est ut aliquos proferam pro ceteris testimonium laturos, malatique tuxæ sectæ universæ fidem, & affrontem in mentiendo impudentiam omnibus confirmatum.

ad qu. „ Audi quid centum ac viginti ante annos apud Sorbonam docuerit celebris Gammæchæus. Gratia sufficiens predicto modo sumpta nemini
 111. c. 5. „ præversus denegatur, sed datur revera omnibus, cuiuscumque fortis, status,
 concl. 2. „ conditionis fuerint, nec solum electis, sed etiam reprobis. Hæc conclusio est contra Calvinum. Conclusione sequente idem docet de maximis peccatoribus, ut ut Juda & Pharaone peiores essent.

„ Duvallio eadem sententia fuit quod spectat ad obduratos, hanc que adfert rationem, quia si obdurati auxilium sufficiens non haberent, se-
 Tract. de Grat. c. „ queretur ipsos post suam obdurationem nulla amplius peccata committere...
 7. concl. 2. „ hoc autem absurdissimum est.

„ Marius Scribonius, quem tanti faciebat Cardinalis Perronius ait:
 disp. de Gratiæ. „ heretici itaque, Neoterici maxime, impugnant hanc sufficientis gratiae collatio-
 q. 9. „ nem, ac penitus eam e medio tollere conantur, ut Lutherus, Calvinus, alii
 „ que eorum affectæ . . . unde CATHOLICORUM OMNIUM COETUS

„ AFFIRMAT, OMNIBUS HOMINIBUS PRO LOCO ET TEMPORE
 „ SUFFICIENS AUXILIUM DEI NON DEESSE. Addit eodem loco,
 „ se assertere cum Sancta Matre Ecclesia (gratiam) omnibus sufficienter dari,
 „ atque id ob hanc ipsi cum aliis Theologis communem rationem,
 „ quod Divinæ justitiae non sit, homines damnare, quod præcepta vio-
 „ larint, quæ servare minime potuerint.

„ Si quam sententiam oppugnas ea Pelagianismo, uti contendis, in-
 „ fecta est, fuerit, necesse est, hic Pelagianinus universæ Ecclesiæ Ro-
 „ manæ, eumque illi jure optimo Lutherus & Calvinus probarant;
 „ vides enim ex Scribonii testimonio, non peculiarem unam Scholam
 „ fuisse, sed Catholicos omnes qui illum tuerentur. Quare doctus quo-
 „ que Antuerpiensis Episcopus Johannes Malderus id ait apud Hispanos,

*in 1. 2.
q. III. a.
3. dub. 4.*

„ & ubique in Christianis Academiis hodie receptum esse.

„ Quamobrem satis mirari non possumus tuam in hac oppugnanda
 „ sententia audaciam, quasi ab illis solum quos Molinistas vocas, ea
 „ defenderetur. Verum qui factum fuit ut sperares persuasurum te le-
 „ toribus tam apertam falsitatem? Notum est exploratumque inter Ca-
 „ tholicas scholas nullam fuisse quæ magis Molinæ aduersaretur, quam
 „ Thomistica. Verum in hac re Thomistis cum Molinistis apprime con-
 „ venit. Hoc docet celebris Dominicus Bannez primus, atque infensi-
 „ sumus Molinæ aduersarius. Quotiescumque inquit aliquis peccat speciale pec-
 „ catum contra supernaturale præceptum, vel fidei vel paenitentiae, vel alterius

*in 1. p.
l. 23.
3. dub.*

„ supernaturalis virtutis, NECESSE EST ut ille de facto receperit aliquam di-

„ vinam inspirationem illuminantis Dei aut vocantis, aut invitantis ad fidem vel

„ paenitentiam. Hæc conclusio assertur a nobis CERTA SECUNDUM FIDEM..

„ quia nemo peccat propterea quod non facit, quod facere non potest. Sed homo
 „ cui nihil aliud datum est, quam quod ad naturam humanam pertinet, non ha-
 „ bet unde possit cognoscere vel operari supra naturam. Ergo non peccaret non

„ operando aliquid supernaturale.

„ Hujus Theologi conclusio generalior esse non posset. Omnes ea ca-
 „ sus spectat, in quibus supernum præceptum obligat, & homo peccat
 „ illud non servans. Omnes illa complectitur, qui fidem non habent,
 „ atque adde tuos illos infideles, barbaros, Mahometanos, Atheos, omnes qui
 „ peccant paenitentiam non agentes, atque adeo peccatores maxime abo-
 „ minabiles, & obduratos. Omnes hi non peccarent præceptum superna-
 „ turale violantes, si reapse non receperissent gratiam supernam, qua-
 „ possent illud implere. Putasne Bannezium posse inter Christianos nume-
 „ rari, Bannezium, inquam, qui tam abest ut hanc doctrinam horreat,
 „ ut potius eam certam adfirmet secundum fidem?

„ Idem, & majore quadam verborum vi tradit celebris Bartholo-
 „ meus Medina cui Seraphinus Cavalli universi ordinis Generalis in vir-
 „ tute sanctæ obedientiæ præcepit, ut suas in lib. 2. Divi Thomæ au-
 „ reas expositiones quantocuyus ederet. Idipsum docet clarissimus Alva-
 „ rez, quem universus S. Dominici Ordo Jesuitis opposuit in Congre-
 „ gationibus de auxiliis. Idem ait Gonzalez de Albeda, quem tot elo-
 „ giis Mirapicensis Episcopus cumulavit, et si ut tibi constat eum uti
 „ Christianum habere non debes. Idem docet Cabezudo, cuius verba re-
 „ citanda omnino sunt. Fidelis est: ita ut oppositum sit HÆRESIS MANI-

in 1. 2. q.

109. "

10. in

quest. in.

cid.

Disp. 71.

n. 12.

Disp. 11.

n. 5.

in 1. p. q. „ FESTA, quod omnis homo, dum est in via, & compos rationis, potest, sim-
 13. disp. „ pliciter loquendo, pœnitentiam agere de peccatis; atque adeo quod omnibus dan-
 27. scit. „ tur auxilia sufficientia, ut possint pœnitere. Sed ne singulorum sententias
 3. n. 18. „ reddam, unum addo, qui plurium instar erit, ut ceterorum mentem
 24. 27. „ exprimet. Is est celebris Ledesma. Ait ille: Dico 3. auxilium sufficiens,
 88. a. 1. „ intrinsecum, necessarium ad vitanda peccata datur omnibus hominibus pro tem-
 concl. 1. „ pore, quo peccarent, si non vitarent peccata. Similiter datur auxilium nece-
 De auxi. „ sarium intrinsecum ad implenda præcepta pro tempore quo obligant. Hoc
 14. pag. „ dictum est certissimum inter Theologos, & illud docent omnes Discipuli divi
 332. col. „ Thomæ,
 „ Ceterum Ledesma id ad maxime scelestos, obduratosque peccatores exten-
 „ dit, qui juxta ejus sententiam non peccarunt præcepta violantes, si
 „ auxilio destituerentur intrinseco & sufficienti, quo fieret, ut implere
 ibid. p. „ illa possent. Quilibet peccator, Q U A M T U M L I B E T I N D U R A T U S, per-
 333. „ cat non implendo præcepta, tempore quo obligant. Ergo habet auxilium in-
 „ trinsecum sufficiens, quia alias non peccaret. Insuper si quid rei sit hoc
 Ibid. ar. „ ce sufficiens auxilium queratur, respondet Ledesma: Certissimum est
 21. pag. „ auxilium sufficiens, vel quod dicitur sufficiens, vere & proprie, & in omni
 234. „ rigore esse sufficiens.

„ Joannes de S. Thoma alter Thomista celebris ait, gratiam suffi-
 „ cientem quæ nemini reprobato negatur quantumlibet obcæcato, & ob-
 in 1. p. „ durato, dare debere facultatem proximam, & proportionatam ad operan-
 T. 2. q. „ dum. Ceteri ajunt, conferre illam potentiam proximam, completam,
 23. a. 3. „ & expeditam.

n. 27. p. „ Jamvero quære quamdiu libet, an possit quis Christianus esse, neque
 419. „ banc horrere doctrinam? dic ad ravim usque Pelagianorum æquilibrium
 „ instaurari ab eo qui Barbaris, Mahometanis, obduratis, & Atheis, gra-
 „ tiam concedat dantem illis mediata mæltatem facultatem Dæmoni re-
 „ sistendi, affectuum coercendorum, & præceptorum quo tempore illis ur-
 „ gentur, implendorum: respondebitus, cum hac in re nobis conve-
 „ nit cum omnibus antiquis Patribus Græcis & Latinis, cum S. Au-
 „ gustino, atque omnibus veteribus ejus discipulis, cum omnibus ve-
 „ lustioribus Polemiciis disputatoribus, omnibusque Theologis varia-
 „ rum scholarum, quæ in Ecclesia magis celebrantur, nos malle Pelagia-
 „ nos audire cum tot summis viris, quam tecum tuisque Christianis Ca-
 „ tholicos esse.

„ Ut omnia, quæ ad refellendam æquilibrii libertatem adhibes, ar-
 „ gumenta evertam, id unum jam restat, ut artificium quoddam de-
 „ tegam tibi perfamiliare cui pleraque tua ratiocinationes maxime ni-
 „ tuntur. Illud est, sumi a te fere ubique, Turnelium, & Catholicos,
 „ quorum ille sententiam explicat, & sequitur, docere, hominem ut li-
 „ ber sit, necessario debere semper habere præsentem immediatam fa-
 „ cultatem implendorum, quæ urgeant, præceptorum, vincendarumque
 „ a quib[us] oppugnetur, tentationum. Porro eo magis mirandum est
 „ te tam fluxo, ac præcipiti fundamento tua omnia argumenta super-
 „ struxisse, quod tu ipse ejus falsitatem agnoscis.

Pag. 18. „ Non dissimulabo, inquis Turnelium alloquens, quod animadvertis, tuam
 „ sententiam non esse, gratiam æquilibrii dare semper potentiam immediatam

„ implendi opera difficultia, quam Deus præcipit; sed te velle, dare illam sal-
 „ tem mediatam facultatem, qua implorari possit uberior auxilium necessarium
 „ ad bonum faciendum. Videris, pergis, in hac distinctione tuae causæ sum-
 „ mam collocare, dolesque, libelli supplicis auctorem eam non animadvertisse.
 „ Sed quoniam optime noveras, Turnelium in ea distinctione causæ sum-
 „ fæ summam ponere, æquitatis erat, ut in illa refellenda sisteres,
 „ nec epistolam tuam innumeris argumentis infarcires, quæ hac distin-
 „ ctione sumpta plane ridicula sunt. Id nunc ad ostendendum adgre-
 „ dior, filum tuae ratiocinationis retexens.

„ Contendis, in nostra sententia, ut minima sumatur gratia ex quo il- Pag. 8.
 „ la æquilibrium instaurat, voluntatem habere vires aequales & proportionatas
 „ quibuscumque viribus omnis, quæ illam invadere possit, temptationis. Verum
 „ id esset, si sumeretur, æquilibrium immediatum necessarium esse; sed
 „ ubi hoc non sumitur, tuum argumentum per se ruat, nec perstare
 „ amplius potest.

„ Quidquid præcepti habet illa; pergis, vel ex hoc in ejus plena potestate, Ibid.
 „ est. Id unum addendum tibi fuerat, hoc de potestate mediata & im-
 „ mediata intelligendum esse; tum enim vero vel ipsi minus eruditis a- Ibid.
 „ madvertisserint, manifestam a te falsitatem proferri, dum continenter
 „ addis, absque novo auxilio nullum esse peccatum, quod vitare illa non pos- Ibid.
 „ sit suis viribus PRÆSENTIBUS, nullam virtutem quam exercere nequeat,
 „ nullam perfectionem ad quam pertingere non valeat; idque quin quidquam
 „ addi debeat gratiae æquilibrio, & viribus præsentibus, quas ex hac sumit.

„ Absurdius illud est, hoc in scenam trahere silvestres homines brutis
 „ simillimos, idololatras magis obduratos, Atheos, qui Dei memoriam in cor-
 „ dibus suis plane extinxerint, & contendere ut facis, istos omnes cum fi-
 „ delibus ipsisque Justis paris esse conditionis, atque in eorum facultate aequa
 „ esse, ac facultate quidem plene perfecta, & expedita, ut omnes affectus cohibeant,
 „ justi sint ac temperantes, charitate invicem præstant, ac justitiam præterea
 „ perfectissime exerceant. Sine quælo, ut libere dicam: inepta isthac de-
 „ clamatio se se ipsa refellit, nec ullum meretur responsum. Quid?
 „ quia Barbari potentiam habent mediata aut immediatam affectibus
 „ suis obſtendi, & præcepta naturalia sibi cognita implendi: vis, ut
 „ ejusdem conditoris sint cuius fidelis & justi? & quia eos posse defendi
 „ mus bona aliqua opera moralia, & ordinis pure naturalis agere, hinc
 „ fieri confirmas, ut habeant facultatem plenam, perfectam, & expeditam
 „ exercenda perfectissimæ justitiae? Quod sumimus, Barbaros & idololatras
 „ habere per gratiam facultatem mediata aut immediatam vitandi quæ
 „ admittunt peccata, efficitne habere illos actu habitus fidei, spei & cha-
 „ titatis, illustrari illos Evangelii luce, tam felices illos esse, ut filii
 „ sint Dei & Ecclesiæ? Que omnia cum illis desint, an non satis ob-
 „ stant, quominus ejusdem sint conditionis, cuius fideles & Justi?

„ Eadem ratione constat quanta dementia sit tecum, & cum tuae sectæ
 „ primoribus adfirmare, ex æquilibrii principio suapte sequi, fieri
 „ posse, ut ingentes populi sine mediatoris fide, sine Iesu Christi cognitione,
 „ sine Christianæ Religionis auxilio ad veram justitiam aeternamque salutem per-
 „ veniant. Jure ais, hanc consecrationem impietatis plenam esse atque insa-
 „ niæ; verum necesse est præconceptis opinionibus eum plane occupari,
 „ qui

„ qui tecum addat , in nostro systemate *nobis difficillimum esse illam evitare* . Nam quod ex doctrina quam oppugnas , ab omnibus , uti ostendi , Catholicis Academias defensam , sequitur , illud demum est , si Barbari illi atque infideles gratiae , quae ipsis facultatem confert peccata vitandi , & cognita naturalis legis præcepta implendi , diligenter responderent , Deum ipsis ubiores gratias largiturum , quæ tandem eos ad Christi fidem adducerent , & viam illis panderent *ad veram justitiam , aeternamque salutem pervenienti* .

„ Evidem certus sum , hanc doctrinam ne ita quidem explicatam tibi probatum iri ; sed illa conceptis verbis a S. Thoma traditur .
De veritate q. 14. a. 11. ad primum. „ Hoc pertinet ad divinam providentiam , ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem , dummodo ex parte ejus non impediatur . Et ideo si aliquis nutritus in sylvis inter lupos , ductum rationis naturalis sequeretur in appetitu boni & fuga mali , certissime est tenendum , quod ei vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria , vel aliquem si dei prædicatorem dirigeret , sicut misit Petrum ad Cornelium .

„ In his S. Thomæ verbis videmus quidem , Barbaris & infidelibus gratiam dari a Deo qua vitare peccata possint , & bonum a rationis lumine præmonstratum exercere , & si utrumque ii præstarent , Deum miracula quoque patraturum , ut ad fidem illos adduceret , sed nondum fuisse quemquam crediderim adeo iniquum , ut hinc arguerit , quemadmodum lex tui Episcopi ajunt , in S. Thomæ principiis fieri posse , ut ingentes populi sine Mediatoris fide , sine Iesu Christi cognitione , sine Christianæ Religionis subficio ad veram justitiam aeternamque salutem pertingant .

„ Existimare quis possit , novi aliquid a te proponi , cum ais , virtutem gratiae aequilibrii peculiari dignam esse animadversione ; hæc tamen peculiari animadversio nihil nisi inutilem continet repetitionem eorum , quæ centies dixistis ; redi enim ad hanc gratiam dantem posse , omnibusque concessam hominibus . Ferre non potes hanc virtutem gratiae sufficienti tribui , tui enim systematis cardo est , ac capitale principium , sine efficaci gratia nec malum vitari , nec bonum posse patrari . Verum ut tua sectæ blandiamur , admittemusne principium , quod hæresim in prima Jansenii propositione damnatam , ab universa Sorbonica facultate veluti hæreticam in Arnaldo notatam , atque ab ipso Cardinale Noaillio in Auctore *expositionis fidei* eadem censura confirmam evidenter continet ?

Pag. 10. „ At si omnibus hominibus gratia confertur , qua possunt malum vitare & bonum operari , frustra ergo in mundum Christus venit . Et hæc una est ex tuis ratiocinationibus , tuarum scilicet peculiarium animadversionum fructus , atque aciei ingenii tui argumentum luculentissimum . Quis umquam existimatasset , inquit , *Divinum servatorem* , dum mundum liberaturus advenit , mundum invenisse jam liberatum ? At quis cogitatasset unquam , hominem , qui Theologum se jaqtat , ita ratiocinaturum ? Cur queso Christus debuit mundum invenire jam liberatum ? Hæc una adferri causa potest , quia ante ejus adventum Deus hominibus gratias largiebatur dantes posse malum vitare & bonum agere : verum nonne hæc gratiae pretium erant Sanguinis ab eo effundendis ?

„ fundendi, quemadmodum quas nunc accipimus, ex fructus sunt sanguinis ab illo effusi?

„ Quei non animadvertisisti, ineptam hanc exclamationem, si quod fundamentum haberet, in tuo aequo atque in nostro systemate habere locum posse? Nam demum defendis ipse, omnes prædestinatos, qui ab Adam usque ad Christum vixerunt, accepisse non solum gratias sufficientes, sed etiam efficacissimas, quæ invincibiliter illos eo deduxerunt, ut ad veram iustitiam aeternamque salutem pervenirent. Doces insuper cum Jansenio & Quesnello, prædestinatos solos esse, ad quos a manu Angeli exterminatoris in aeternum liberandos Jesus venerit. Possem ergo tuo exemplo exclamare: *Quis umquam existimasset, Divinum Servatorem, dum ad liberandum mundum prædestinatum venit, invenisse hunc mundum prædestinatum jam plane liberatum?*

„ Invenis præterea in gratia, que æquilibrium confert, natura alius argumentum quo a nostro systemate detenearis, illudque ea in re Pelagiano ipso determinatur demonstrat. Quod de doctrina a nobis defensa tam atrox ferre judicium impellit, illud est, Julianum haereticum non agnovisse neque originale peccatum, nec vulnus, quod naturæ hoc peccatum intulit, admisisse tamen eadem omnia auxilia, quæ nos defendimus: Nullum, inquis, Ibid. excludebat, modo æquilibrium flet. Tali semper moderamine adhibentur, ut nunquam arbitrium loco pellant. Respondeo, omnia quæ Julianus agnoscebat auxilio ad legem & doctrinam redacta fuisse, neque illum agnovisse umquam interioris gratia, quæ voluntatem immediate ageret, necessitatem. Docet id S. Aug. toties in libro de *Gratia Christi*, ut in dubium revocari non possit. Julianus ceterique Pelagiani ad hancce gratiam, quæ voluntatem immediate ageret, una hac de causa rejiciebant, quod metuerent, ut optime ipse animadvertisisti, ne æquilibrio vis inferretur. Jam vero (quod in prima jam Epistola dixisse me memini) S. Aug. Juliano non respondit hoc æquilibrium, quod ipsi cordi tantopere erat, absurdum esse perniciosum, insanæ plenum, & impietatis; contra bono illum animo esse jubet, monetque nihil a gratia huic æquilibrio timendum; tantum enim abest, ut illud gratia defruat ut potius ad illud instaurandum detur: ut in locum suum redeat, liberant. Compertum igitur est, & Julianum gratiam non admisisse, quæ voluntatem immediate ageret, & hanc gratiam, quam ut ille admitteret S. Aug. urgebat, æquilibrio, quod haereticus servare studebat, non esse contrarium.

„ Mirandum igitur maxime est, a tenos Pelagianis hic adjungi, postquam agnoveras quod unum ab his haereticis nos distinguit, illud esse quod juxta illos haæ vires proportionatae sunt in natura, quum nobis illas libeat ex nescio qua gratia repeteret, quam sufficientem vocamus. Quare huic accusationi non admodum fidere ne ipse quidem videris, quoniam paullo post eo te redigis, ut dicas, ubi vellemus bac in re cavillari, saltem indubium esse gratias a nobis in Barbaris & infidelibus admissas nihil habere commune cum gratia medicinali, & liberatrice, quam S. Aug. docuit, & in caritate ubique constituit, nec admittere licet in hominibus Dei cognitione destitutis, quemadmodum Pagani sunt, quos S. Paulus ait in mundo esse sine Deo.

„ Igitur ut tecum Catholicus quis sit, necesse erit agnoscere, nullam

„ Iam aliam dari gratiam , quæ boni faciendi , vitandique mali facultatem conferat , quam inspirationem charitatis proprie dictæ: si tibi constas , tuisque principiis , juxta quæ nihil medium agnoscis inter charitatem , quæ Deum propter se amat , & cupiditatem ab Evangelio improbatam , ratiocinari haud aliter potes .

„ Verum quei vis , ut doctrinam admittamus ab Ecclesia toties in Bajo , Jansenio ; & Quesnello damnatam ? Si S. Aug. pluribus in locis de charitatis inspiratione loquitur , aitne propterea , nullas alias extare gratias Christi ? Nonne sæpius loquitur de inspiratione quoque superni timoris judiciorum Dei ? Verbo , anne S. Aug. aliquie Patres non animadvertiscunt admirabilem illam varietatem mediorum , quæ Deus adhibet ad voluntatem quo sibi libuerit impellendam , proponens illi innumera illa ac maxime diversa motiva quæ in Scripturis clarissime designantur ?

Proces. verbal. pag. 68.

„ Equidem scio , esse aliquos S. Augustini , S. Leonis , aut S. Gregorii textus in quibus de duobus amoribus sermo est ; sed ut ne illos adferre in mentem tibi veniat , mihi satis erit cum Clero Gallicano in comitiis anni 1713. & 1714. te monere : ut omnes intelligent abuti (nō vatores) hincse autoritatibus , satis esse animadvertere , recentium temporum bæreticos , atque etiam Baji vindices illas centies in suorum errorum defensione adtulisse ; sed Ecclesiam , quæ mentem & doctrinam S. Augustini aliorum que Patrum melius adsequitur , quam bæretici qui illos ipsi opponunt , & infallibilis interpres est Scriptura ac Traditionis , proscriptissime nibilominus in Tridentino Concilio Lutheri & Calvinii errores , & in S. Pii V. Bulla Baji propositiones .

Ib. 2. 69. 2. 2. q. 125. 2. 2. c. 1. 2. qu. 62. ad. 3. Serm. 385. Ser. 349.

„ Si aliquid præterea postulas , quod ad rem contractius sit , cum eodem Clero addam , nomen amoris aut charitatis apud S. Augustinum sæpiissime sumi in latissima quadam significatione ad omnem bonam voluntatem , aut omnem boni amorem denotandum . Ita S. Augustinum S. Thomas interpretatur . Neque dubitari potest quin haec vera sit hujus Patris sententia ; nam conceptis verbis varios agnoscit amores , bonos , laudabiles , ac licitos , & tamen a charitate longe diversos . Quin & alibi charitatis nomine hos amores designat , monetque hanc esse caritatem licitam , sed humanam & naturalem , quæ in ipsis impiis

L. 1. de statu nat. pure. 8.

„ Deum non agnoscitibus invenitur .

„ Si charitatis nomen tam late usurpetur , omnis gratia , quæ ad ali quam exercendam virtutem nos agit , inspiratio charitatis dici potest ; tunc autem non erit insignis absurditas hanc charitatem admittere in hominibus Dei cognitione destitutis , uti sunt Ethnici , nisi si Augustinum ipsum absurditatis & insanæ accusare velis . Sed id de caritate proprie dicta intelligendum contendere : cum Jansenio velle , hanc justitiam , exequitatem , rectitudinem , qua alteram rem bonam , malam alteram certo desinimus , esse Deum ipsum , Deumque nihil aliud esse nisi hoc ipsum , quid est , nisi S. Augustino palam adversari ? Verbis indigne abuti , ideas quas Deus animæ indidit , cum ipso Deo confundere , ac demum Religionem universam susque deque turbare , & effundere charitatis praetextu Dei ipsius , qui objectum ejus est atque principium , ideam evertere ?

Pag. 121.

„ Satis haec sint quod ad hunc articulum spectat . Ceteras suas difficultates percurramus . Contendis quæ de peccati servitute Scriptura adfirmat , ea in nostro systemate nulla esse , quum in eo omnibus hominibus

, bus

„ bus concedatur gratia dans mediatam aut immediatam evitandi mali,
 „ bonique faciendi facultatem . Sed hoc perinde est ac si diceres , in-
 „ firmitatem nullam esse , quod pius medicus occurrat , qui remedia of-
 „ ferat ad curandos ægros opportuna ; aut paupertatem chimæram esse ,
 „ quod misericordes quidam exstant , qui pauperum necessitates levant ,
 „ illisque unde vivant , subsidia suppeditant .
 „ Verum per te dicere liceat ; non fatis intelligere videris quid pec-
 „ cati servitus sit . Servi enim peccati sumus quod admisimus , non ejus
 „ quod ut admittamus sollicitamur . Qui facit peccatum , ait Christus , *Job. 8.*
 „ servus est peccati ; idest , ubi peccatum admisimus , in eo necessario im-
 „ moramur , ac nisi Deus ex omnino gratuita misericordia sua nos ju-
 „ stificet , vincula quibus illigamur , infringere nosque in libertatem ad-
 „ ferere minime possumus . Servi quoque concupiscentiæ sumus hoc sen-
 „ su , quod ejus motibus sentiendis subjecti necessario sumus ; sed in no-
 „ stra potestate est illorum illecebras aut sequi aut rejicere ; atque hoc
 „ sensu non servi sed domini concupiscentiæ sumus , quemadmodum
 „ Deus hisce verbis significat : *sub te erit appetitus tuus & tu dominaberis il-* *Gen. iv. 7.*
 „ lius , & S. Aug. toties nos docuit .

„ Alia , quam in nostro mediato aut immediato æquilibrio detegis , *Pag. 12.*
 „ absurditas est , quod eo admisso *obdurationis quoque status nonnisi chimæra*
 „ *sit* . Quod quidem ultro verum esse fatemur , si obdurationis status in
 „ absoluta omnis gratiæ subtractione , in peccandi necessitate , & in ge-
 „ nerali ad omne bonum impotentia tecum constituantur . Nam hæc ob-
 „ durationis species nonnisi damnatorum est , ut discere potueras ex S.
 „ Thoma duo obdurationis genera distingue , alterum perfectum ,
 „ quod omnem gratiam excludit , & apud filios inferos locum habet ;
 „ imperfectum alterum , in quo homo nonnisi quosdam percipit ad bo-
 „ num agendum debiles motus , *quibus datur via , ut obstinati ad gratiam præ-* *De verit.*
parentur . Quare addit : *quod aliquis homo in hoc statu viæ non possit esse ita* *qu. 12.*
obstinatus in malo , quin ad suam liberationem cooperari possit . Idque Patres ,
 „ quos magno numero possem adferre , in Cain , Pharaone , Juda , aliis-
 „ que obduratis in sacro codice commemoratis agnoverunt .

„ Fateris , Turnelium , ejusque sectatores non admittere inclinationis
 „ æquilibrium , sed unum virium , ob quod non obstante inclinationum
 „ inæqualitate voluntas tantumdem virium habet ad tentationem re-
 „ pellendam , quantum habet tentatio , ut eam ad peccatum impellat ;
 „ ac similiter virium tantumdem ad dissentendum gratiæ , quantum gra-
 „ tia ad eam in bonum ferendam . At inquis , *minime intelligo , quei vo-* *Pag. 13.*
luntas tantum habeat facultatis & virium ad declinandum peccatum , quantum
ad hoc admittendum , & tamen alterum altero sit ei difficilior . Recte sane ,
 „ neque id quisquam intelligat ; sed hoc chimæra quædam est , quam
 „ oppugnandam tu tibi fingis . Nemo enim contendit , voluntatem ut
 „ libera sit , habere debere *tantum facultatis & virium ad declinandum pec-*
catum , quantum ad hoc admittendum . Hac seposita virium ad bonum &
 „ malum æqualitate , satis est , si voluntas satis habeat virium ad re-
 „ pellendas gradibus superiores illecebras : quod optime evenire potest ,
 „ licet actu habeat multo plus virium ad unum , quam ad alterum .

„ Si hoc minime intelligis , id argumento est , hebetem te esse , nec
 „ fa-

„ satis tuum ipsum sistema percipere te, qui Turnelio tamen exprobras
 „ in suo intelligendo tarditatem. Eamvero tua si principia spectas,
 „ admittere debes, gratiam status innocentiae primo homini magnam
 „ ad bonum propensionem contulisse, neque hanc in illo fuisse ab una
 „ in malum inclinatione æquatam. Facilius igitur Adamo fuit bonum
 „ quam malum agere, atque adeo majores ad unum quam ad aliud vi-
 „ res habuit; neque tamen hæc inclinationis, virium & facilitatis ad
 „ bonum ac malum inæqualitas obstitit, quominus Adam vires haberet
 „ gratiae viribus proportionatas, ejusque voluntas pro suo arbitrio consentire
 „ illis, aut dissentire penitus posset. En quod in innocentiae statu planissime
 „ intelligis, modo tua principia intelligas. Quare ergo intelligere ne-
 „ quis, cum majore ad malum propensione, majoribusque viribus quam
 „ ad bonum habere nos vires concupiscentiae viribus pares, & posse pro
 „ suo arbitrio voluntatem nostram, hac non obstante propensione, consentire
 „ illis aut dissentire.

„ Eadem ratione quod addis argumentum, dilui potest. In nostro sys-
 „ temate, si te audimus, dici nequit, vires quas habemus concupi-
 Pag. 13. „ scientiae obserendi a gratia veluti a principio proficisci, quia, inquis, gra-
 „ tiæ quas adserimus, omnes voluntati subjectæ sunt, hoc scilicet sensu,
 „ quod illis voluntas, si velit, consentire aut dissentire posse. Verum
 „ dubitare ne potes, quin quam habuit Adam perseverandi facultas a
 „ Gratia proficisceretur? quum sine gratia perseverare non posset. Hæc
 „ tamen Gratia in tuis principiis ejus voluntati subjecta erat, quæ pro suo
 „ arbitrio poterat ei consentire aut dissentire. Quei igitur contendis in nostris
 „ principiis vim, quam habemus resistendi concupiscentiae, a gratia non
 „ esse, eo infirmo prætextu, quod gratia nostra est voluntati subjecta, seu
 „ quod potentiam habemus completissimam & expeditam ei consentien-
 „ di, aut dissentendi? Anne una gratia necessitans est, quæ jure cen-
 „ seatur vires dare ad repellendam cupiditatem?

„ Sed en aliam absurditatem quam in æquilibrii libertate nobis often-
 „ dis; nempe si illa admittatur, homo non amplius potest quin Deo il-
 „ ludat, eum orare, nec quidquam ab illo petere, nihil enim insanius
 „ est, S. Augustino auctore, quam a Deo petere quod in nostra est po-
 „ testate. Porro homo, si habere illum libertatem æquilibrii sumas,
 Pag. 13. „ omnino in sua habet potestate. Non opus, inquis, est ipsi majores petere
 „ vires, quam quas habet, quum haec æquales sint ac proportionatae viribus omnis
 „ tentationis, quæ illum aggredi potest. Unde mirabili quadam consecutione
 „ colligis clarum esse, in nostro aëre atque in Pelagianorum systemate,
 Pag. 14. „ Deo illusurum qui vires ad ejus implenda mandata ab eo postularet, id enim
 „ esset petere, quod jam habet.

„ Quid ergo? An in innocentiae statu, in quo æquilibrii libertatem
 „ agnoscis, homo nihil a Deo petere poterat, quin ei illuderet? An
 „ Angeli ad perduellionem excitati nec potuere nec vero etiam debue-
 „ runt ad suum conditorem configere, ejusque brachii vim implorare,
 „ qua adversus mali exempli illecebras confirmarentur? Hoc tibi sic ratio-
 „ cinanti dicendum necessario est; verum qui ita sentiat, is innocentem crea-
 „ turam monstrum quoddam sibi fingit, & Angelos in Dæmones convertit.
 „ Jansenius ipse agnoscit, Adam secundum S. Augustinum Dei auxi-
 „ lio

lio ad perseverandum indiguisse, & istud adjutorium per impetrandi fidu- L. de gr.
ciam accipere debuisse. Quare S. Aug. aliquie Patres lapsum primi ho- primi
minis superbia communiter tribuunt, qua viribus suis nimis praefidit; hominis
ad quam superbiam puniendam Deus juxta ipsos ejus lapsum permisit; c. 13 p. 60
sit, ei auxilium denegans quod ad tentatorem vincendum necessarium col. 2. D.
erat, sed nonnisi demissis ab eo precibus exoratus concedere decre-
verat. Odit Deus, inquit S. Aug. præsumptores liberiarbitrii. Quid nam Lib. de
valeat liberum arbitrium NON ADJUTUM, IN IPSO ADAM DEMON- Cantic
STRATUM EST. Ad malum sufficit sibi, ad bonum non, nisi adjutetur a Deo. nov. c. 8
Hæc S. Augustini verba evidenter ostendunt, liberum Adæ arbitrium
auxilio sibi necessario, nec tamen concessò, fuisse destitutum; aliter in
ipso Adam minime demonstraretur, quidnam valeat liberum arbitrium
non adjutum: verum hoc illi auxilium sua tantum culpa denegatum
est, quod quemadmodum poterat ac debebat, non illud exorarit,
per impetrandi fiduciam.

Hoc quo Adam caruit, auxilium spectans S. Aug. fidenter pronun- Ser. 26.
ciavit hominem innocentem de sua virtute quum præsumpsisset, ne- n. 3.
que ad Deum configisset adjutorii postulandi causa, servare se non
potuisse bonum. Eadem de causa Sanctus doctusque Pontifex Gelasius
Papa in opere quo Pelagianam hæresim refellere adgressus est, ait: Conc.
si in ipsis primis hominibus, dum sua nimium felicitate confidunt, & tantam Lab. T. 4
Dei gratiam in vacuum recipientes, NON ORANDO, quod utique nusquam p. 1240.
fecisse referuntur, nec de perceptis gratias referendo, nec ut eadem intemerata
durarent, SUPPLICITER IMPLORANDO, incolumes constare NEQUI-
VERUNT; quanto magis &c.

Nunc ex te quaro, an Angeli, ac protoparentes nostri ad Deum
configere potuerint ejus auxilium postulaturi, quin ei irriderant? Qua-
ro, an insanis fuisse a Deo gratiam petentes quæ illos tueretur? nec
potius stultissimi fuerint sua nimis virtute confisi, nec ut hæc intemerata
durarent, suppliciter implorando?

Fateris tamen, primos parentes, & Angelos æquilibrii libertate præ-
stítisse; persuasum plane tibi est, gratiam vere sufficientem non po- L. decor.
tuisse illis deesse, qua si caruissent, nulla sua culpa cecidissent, ut ait & grat.
S. Aug. Quei ergo tibi in mentem venit, non posse nos, sumpta
æquilibrii libertate, quin dementes simus, Deoque illudamus, ad eum
suppliciter configere? Fieri ne potuit, ut misera adeo ratiocinatio,
tuis tamen Scriptoribus perfamiliaris, tibi tam clara videretur, nec
ejus absurditatem perspexeris?

Quod te fallit, seu potius quod ut alios fallas, callide dissimulas,
illud est, sumi a te ex æquilibrio a nobis propugnato fieri, ut in
voluntate agnoscamus vires ad omnia implenda præcepta, omnesque
tentationes vincendas semper præsentes. Hinc infers, non posse nos pe-
tere vim ad præcepta implenda; id enim esset petere quod habemus. Verum
ipse tibi conscientia es, imo & deinde fateris, absense nos maxime ab
hujus æquilibrii immediati necessitate tuenda. Vidisti nuper, hanc
immediatam potestatem ne in ipso quidem innocentiae statu fuisse
semper præsentem; primus enim homo debuerat ad Deum configere
ad auxilium sibi necessarium, quo destituebatur, impetrandum: multo
, mi-

„ minus illam in hoc nostro statu necessariam fatemur; sed ubi mediata
 „ facultate contenti sumus, quæ in potestate orandi fere consistit, per-
 „ ridiculum est contendere, nobis adesse *jam nunc* quod necessarium est,
 „ nec posse nos quidquam a Deo petere, quin eum videamus.

Ibid:

„ Hanc mediatam & immediatam potestatem mali vitandi, faciendi-
 „ que boni si distinxeris, comperies, *molestas eas instantias* quas a Montis
 „ Pessulanii Episcopo mutuatus es, miserrima esse sophismata, quæ ne-
 „ mo prudens volensque proponat. Haud ægre fatebimur, nobis sæpe
 Ibid. „ evenisse, ut in nobis *ipfis voluntatem ad malum fortet*, magnam scilicet ad
 „ illud admittendum propensionem, *experiremur, gementes interea voluntati-*
 „ *tem nonnisi debilem ad bonum nobis adesse*; verum hinc non sit, ut fortior
 „ propensio nos necessario ad malum pertraxerit; contra quoniam *ge-*
 „ *mere, lacrymari, orare nobis licebat, potestatem habebamus fortiorum*
 „ *impetrandi, atque elabendi*. Pii homines *sæpe queruntur* eodem quo
 „ Apostolus, sensu, se *non quod volunt facere bonum, sed quod nolunt malum*
 „ *hoc agere?* nempe de indeliberatis tantummodo concupiscentia moti-
 „ bus loquuntur a quibus inviti, quin ne insurgant prohibere eos pos-
 „ fint, sollicitantur, atque afficiuntur; sed tua tantummodo sectæ, de-
 „ votorum Virorum ac mulierularum est fateri, gratiam sibi deesse,
 „ & queri consequenter se *malum facere* quod evitare nequeant.

„ Haud ægre concedimus, *æquale*, scilicet æque facile haud esse ho-
 „ mini pravis affectibus percito a suorum affectuum objecto abstinere, atque illis
 „ satisfacere; contendimus tamen habere illum mediatam facultatem suo-
 „ rum effectuum vincendorum, nec illis cedendi. Si in aliquo sumatur
 „ violentus quidam in spectacula affectus, certum est, *non esse ipsi idem*,
 „ seu æquo facile ad spectacula accedere, atque ab illis abstinere: cui-
 „ nam tamen persuadebis, virum severæ ethices studiosum, magna Me-
 „ tropolis Canonicum, qui ab hoc affectu oppugnatus ac prostratus
 „ fuit, non habuisse mediatam saltem facultatem non induendæ mulie-
 „ bris personæ ad adeundam comediam? Hæc ea est aetio scandali ple-
 „ na, quam universæ Parisiorum urbi spectatidam nuper dedit unus e
 „ clarioribus tuæ sectæ heroibus. Notus is omnibus est; parciam igitur,
 „ bona cum tui venia, novæ hujuscæ Amazonis nomini.

Ibid.

„ Quæris præterea cum Montis Pessulanii Episcopo, an *Saulus Ecclesiæ*
 „ *insectorum tantum virium habuerit, ut a malo abstinere*, quantum habuit dum
 „ *resipuit?* Respondemus id ex nostris principiis non sequi, & ab hac
 „ sententia nos longissime abesse; Saulum persecutorem credimus po-
 „ tuisse veritatem scrutari, atque ut ipsius animum cælesti luce per-
 „ funderet, a Deo petere, atque adeo habuisse mediatam saltem fa-
 „ cultatem mali vitandi quod Fideles persequens perpetrabat.

Ibid.

„ Tandem tibi atque Episcopo Montis Pessulanii adsentimur, Davi-
 „ dem dum Deum deprecabatur, *ut ipsum a necessitatibus erueret, non habuisse*
 „ *eo momento easdem ad bonum vires, quas habuit, dum dixit: in via manda-*
 „ *torum tuorum cucurri cum dilataſi cor meum*; Quia tamen David poterat
 „ Deum orare, ut ipsum a necessitatibus eriperet, Deusque nos in
 „ hujusmodi circumstantiis constitutos exaudire non cessat; vere dici-
 „ tur, fuisse Davidi potestatem mediatam aut immediatam, sed plane
 „ sufficientem ad impleanda mandata.

At-

„ Arque hisce responsis, quæ clarissimis Episcopi Montis Pessulanii instantiis adhibui, satisfactum simul abunde illis est, quas ipse addis ex eodem principio sumptas. Quis, inquis, persuadere sibi posset motu ^{Pag. 15.}
 „ gratia unius gradus, semigradus, minore etiam . . . adjutam voluntatem per
 „ se impotem habere vires æquales ac proportionatas repellendis cupiditatis vi-
 „ ribus centum, mille, decies millium graduum? quæris quisnam persuadere
 „ id sibi possit? quicumque tuo perpetuo exemplo mediatam & imme-
 „ diatam potestatem a gratia collatam non confuderit. Nec Turnelius,
 „ nec aliis unquam in ea opinione fuit, voluntatem vel minima gra-
 „ tia adjutam habere immediatam omnia, quæ sibi præcipiuntur, im-
 „ plendi facultatem. Sed absque hac immediata potestate potest ad De-
 „ dum precibus configere, aut alind quodpiam patrare, quo uberioris au-
 „ xilium sibi demereatur, & in eo rerum statu constituatur, ut aut bo-
 „ num agat, aut tentationem vincat, quam viribus præsentibus supe-
 „ rare immediate non potest. Hoc illud est, quod quilibet persuadere si-
 „ bi posset, tua tamen interest illis, quos tuis tricis pervertere studes,
 „ dissimilare.

„ Post hæc supervacaneum omnino esset diutius in illis immorari re-
 „ fellendis, quæ addis; non debere nos, si tantum virium minima gratia in-^{Ibid.}
 „ est, a Deo exorare gratia augmentum, & nobis satis esse debere minimam quam
 „ jam habemus gratiam; ex hac quidquid cupere possumus, nobis derivari, nec ^{P. 16.}
 „ quidquam amplius peti posse; hac stante doctrina nullum inter justos debilem
 „ futurum; nullum esse Justum, qui actu omnem non habeat virium mensuram
 „ ad nomen Jesu Christi inter graviora tormenta confitendum necessario, ac ne u-
 „ num quidem esse, qui invicta constantia non possit uni præsenti gratia in-^{Ibid.}
 „ nixus Laurentios, Vincentios, & illustriores Martyres imitari; idem posse
 „ etiam dici de majoribus quibusvis peccatoribus; ac si in eis exigua quedam
 „ gratia scintilla sumatur, ex qua minima gratia obsistere potest cuicunque cu-
 „ piditati, non posse illos haberis veluti infirmos, & impotentes ad bonum a-
 „ gendum ob vivos, ac vehementes affectus quibus ad malum feruntur.

„ Vah! bellas phrases, quas in tua epistolæ decursu centies repetis,
 „ sed frustra prodigis, chimoram ut oppugnes. Ad innanes has decla-
 „ mationes refellendas animadvertere sufficit, te nobis falsissime, ac
 „ contra tuam ipsius mentem hanc sententiam tribuere, quod minima
 „ gratia nobis immediatam conferat facultatem omnigenum bonum fa-
 „ ciendi, & vehementissimas quasque tentationes vincendi: id, in quam
 „ animadvertere sufficit; tum tibi plenissime satisfactum erit.

„ Enimvero si semel sumatur, gratiam in nostris principiis nobis
 „ quam sapientissime unam tribuere mediatam facultatem implendorum
 „ præceptorum, absurdum est inde eas ducere consequentes, quas a te in-
 „ ferri nuper dicebam. Ut quis ingenio præstet non plane habeti, ac ra-
 „ tionem suam consulere velit, aliter omnino ac tuo argumentabitur,
 „ & consecutiones tuis omnino adversantes ducet. Ita is scilicet ratio-
 „ cinabitur. Quoniam gratia quam sapientissime unam confert mediatam
 „ facultatem boni faciendi, malique vitandi, atque in hoc ipso maxi-
 „ mam partem orationis præceptum nititur; non debo viribus quas habeo
 „ esse contentus, sed iisuti ad instanter orandum, & ubiores impetrandas.
 „ Ut justus sim, justior tamen non sum quam Adam in terrestri Para-

„ diso. Adam in terrestri Paradiso non semper actu habebat omnem virium
 „ mensuram necessariam ad perseverandum in justitia, cum ideo cecide-
 „ rit, quod quemadmodum poterat ac debebat, auxilium non petierit
 „ ad perseverandum necessarium. Nec ut hæc intemerata durarent suppli-
 „ citer implorando, incolumes constare nequieverunt. Potiori igitur ratione
 „ omnium insanissimus essem in hoc infirmitatis statu, in quam me A-
 „ dæ lapsus dejectit, viribus quas habeo, contentussem, nec mihi neces-
 „ sarium putarem ubiores petere.

„ In hunc plane modum prudens quisque ex nostris principiis ratio-
 „ cinabitur; sed tua intererat nos aliter ratiocinantes fingere ac diffi-
 „ mulare, quod cum S. Thoma dicimus, minimam gratiam posse maximæ
 „ cupiditati resistere, non de immediata potestate, quæ særissime deest,
 „ & Adæ ipsi, ut vidimus, in innocentia statu interdum deerat, esse
 „ intelligendam.

„ Quod ad hunc pertinet S. Thomæ locum, te mirifice contines;
 „ videre tamen mihi videor, te ut firmitatem quamdam præferas, eo
 „ implicatum. Revera hic Doctoris Angelici textus disertus est adeo
 „ adversus tuum systema, ut dubitari non possit quin ille ipse sit,
 „ quem Jansenius refellere in animo habuit dum scripsit: est enim pa-
 l. 3. de
 Gr.Chr.
 sic. 15. „ radoxum in principiis Augustini quod charitas quantumvis minima sufficiat ad
 „ quamcumque tentationem superandam.

Pag. 18. „ Tu vero ut a textu te expediias, qui tam aperte tuo adversatur sy-
 „ stemati bilancis, juxta quod alterum duarum delectationum pondus a-
 „ ctu fortius necessario semper alterum superat, aī primo, S. Thomam
 „ eo in loco de habituali gratia loqui; idque Turnelius non negavit;
 „ addis secundo, eum unice de illa loqui, nihilque a S. Doctoris men-
 „ te alienius excogitari posse, quam cum Turnelio asserere gratiam habitua-
 „ lem secundum S. Thomam semper esse gratia actuali sufficienti conjunctam,
 „ ubi de vincenda aliqua tentatione, aut aliquo implendo præcepto agitur.

„ Hac tuæ responsionis summa est. Quam ut directe repellam, ostendam nihil in S. Thomæ, omniumque verorum Thomistarum princi-
 „ piis certius esse, quam quod audes fictionem vocare ab ejus doctrina
 „ maxime diffitam; seu juxta D. Thomam, omnesque veros Thomistas,
 „ gratiam habitualem ubi de vincenda aliqua tentatione, aut aliquo implendo
 „ præcepto agitur, habere semper gratiam actualiem sufficientem conjunctam.

3. p. q. „ Primum argumentum ex ipso, de quo agimini, loco duci potest.
 70. a. 4. „ Ait enim ibi conceptis verbis S. Thomas: minima gratia potest resistere
 „ cuilibet concupiscentiæ; sed idem S. Doctor innumeris aliis in locis, ac
 „ præsertim 1.2. q. 109. a. 9. docet hominem, qui in statu gratiæ sit,
 „ bonum agere non posse, quin actualis gratiæ auxilio adjuvetur; id-
 „ que æque innocentia statui ac nostro accommodat. Dum igitur ait,
 „ hominem minima gratia resistere posse cuilibet concupiscentiæ, d-
 „ gratia habituali intelligendus est, quæ semper adnexam habeat gra-
 „ tiæ actualiem.

„ Fateris ipse, hanc esse revera S. Thomæ sententiam; contendistam
 „ men hanc gratiam, quæ secundum S. Thomam ipsis justis necessaria
 „ est ut resistent concupiscentiæ, atque implere præcepta possint, esse
 „ solam gratiam efficacem sine qua nihil possumus: Qua in re tuis con-
 „ stas

„ stas principiis; sed hoc loco adfirmare vere possum, tuum hocce re-
 „ sponsum somnium esse valde a S. Thomae doctrina alienum. Nam juxta
 „ S. Doctorem vere dicimus semper, hominem, vel minima gratia re-
 „ sistere posse cuilibet concupiscentiae; certum porro est, gratiam ha-
 „ bitualem non semper gratiae efficaci conjungi; dum ergo S. Thomas
 „ ait, *minimam gratiam posse resistere cuilibet concupiscentiae*, nonnisi de gra-
 „ tia habituali intelligi potest ut gratiae sufficienti conjuncta.

„ Hanc esse germanam S. Thomae mentem ex eo confirmo, quod a-
 „ lio in opere, ubi etiam ait, vel minimam charitatem posse maximam
 „ tentationem vincere, hanc suae sententiae rationem adfert, quod qui
 „ charitatem habet infirmissimam, peccat temptationi consentiens; at, per-
 „ git ille, *nullus peccat in eo quod non potest vitare, ut Sanctus Augustinus*
 „ dicit. Si ergo habens charitatem, non posset cuilibet temptationi resistere, vide-
 „ tur quod temptationi consentiens non peccaret. Cum ergo sumi non possit,
 „ justum temptationi consentientem non peccare, necessario sequitur, ha-
 „ bere illum semper resistendi facultatem; cuius rei hanc S. Thomas in
 „ corpore articuli rationem reddit: *cum Deus pugnanti auxilium SEMPER*
 „ *administret*. Quo in loco scite animadvertis P. Nicolai Dominicanus:
 „ *quod autem subjungitur, Deum pugnanti semper auxilium administrare, an*
 „ *cum Fanseniana blasphemia convenient, Apostolico anathemate fulminata, quod*
 „ *Justis volentibus & conantibus ad vincendas temptationes & præcepta imple-*
 „ *da, Dei gratia desit?*

„ S. Thomas suam quoque clarissime explicat mentem in Commen-
 „ tario in hæc verba capituli primi primæ ad Corinthios epistolæ. *Fide-*
 „ *lis Deus est. Non autem, inquit, videretur fidelis Deus, si nos vocaret ad*
 „ *societatem Filii, & nobis denegaret, quantum in ipso est, ea per quæ ad eum*
 „ *pervenire possemus*. Quemadmodum igitur Deus fidelis non potest non
 „ esse, ita secundum S. Thomam negare Justis non potest auxilia suffi-
 „ cientia ad salutem, atque adeo habitualis gratia juxta S. Thomam
 „ non esse nequit gratiae actuali sufficienti conjuncta, ubi de vincenda
 „ agitur aliqua temptatione, aut quopiam implendo præcepto.

„ Eamdem doctrinam S. Doctor diserte tradit in Commentario in de-
 „ cimum ejusdem Epistolæ caput ad ea verba. *Fidelis Deus, qui non pa-*
 „ *tietur ut &c. Cum dicit Apostolus, fidelis Deus, ostendit paratum esse ad-*
 „ *jutorum in temptatione . . . dat nobis resistendi potentiam*. En iterum adju-
 „ *torum a gratia habituali distinctum nobis paratum in temptatione,*
 „ *quod Deus pro sua fidelitate denegare nobis non potest*.

„ Adeo persuasum S. Thomæ fuit, nunquam hocce auxilium deesse,
 „ ut in Commentario in Psalmum septimum illud vocarit auxilium ju-
 „ stitiae respectu justi, & misericordiae respectu peccatores. Auxilium justi-
 „ tie est respectu justi quia respondet aliquatenus merito. Quo loco S. Tho-
 „ mas S. Augustinum sequutus est in ejusdem Psalmi explanatione. Non
 „ ergo S. Thomas credidit, gratiam habitualem unquam sejungi ab a-
 „ stuali & sufficienti auxilio, ubi de temptatione vincenda, aut præcepto
 „ implendo agitur. Quare idem S. Doctor alibi docet novam legem
 „ *quantum est de se dare auxilium sufficiens ad non peccandum*.

„ Potest idem omnibus iis locis confirmari, in quibus S. Thomas do-
 „ cet nos a Deo nunquam deseriri, nisi ipse prius deseratur a nobis . 2.
 „ Ne

I. 2. q.

4. 106.

a. 2. ad

2.

„ Ne longior sim , satis mihi erit eos hic indicare in 1. dist. 40. q. 4.
 „ art. 2. in 2. dist. 37. q. 2. art. 1. ad 3. In 3. dist. 25. q. 2. art. 1.
 „ ad 1. De malo q.3. 1. 2. q. 112. art. 3. ad 2. In Joann. c. 1. leq. 3.

„ Ceterum S. Thomas non justis solum sed omnibus generatim ho-
 de verit. „ minibus gratiam dari docet, ut cum ait: *hoc ad divinam Providentiam*
q. 14. a. „ *pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, & cum alibi Deus,*
11. ad 1. „ *inquit, quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare . . . sed illi*
& 1. p. „ *soli gratia privantur, qui in se ipsis impeditum gratie prstant: sicut So-*
47. a. 2. „ *Cant. le illuminante in culpam imputatur ei qui quulos claudit.*

gent. c. Innocentius V. Papa antiquissimus omnium qui citari possit, Thomi-
 159. „ mista cum S. Thoma docet, *minimam charitatem posse quantacumque*
in 3. dist. „ *tentationi resistere;* neque dubitari potest quin gratiam habitualem in-
31. q. 1. „ telligat ut gratiae actuali conjunctam: docet enim, ne in ipso quidem
a. 4. „ *innocentia statim potuisse hominem sine gratiae actualis auxilio tenta-*
14. q. 1. „ *tioni resistere;* haec actualis gratia in Innocentii V. sententia nunquam
a. 2. „ *deest justis, ut in justitia perseverent, nec peccatoribus ut resipiscere*
in 2. dist. „ *possint. Deus, inquit, monet nos ad eum converti, non quia sit totaliter*
28. q. 2. „ *a. 4. ad 1.* „ *in potestate naturae secundum se, sed naturae per gratiam gratis datam adjute,*
QUAE NULLI DEEST. En tibi gratiam gratis datam omnibus generatim
 „ hominibus, atque adeo nunquam justis denegatam, ubi agitur de vin-
 „ cenda temptatione aut implendo precepto.

„ Eamdem doctrinam invenies clare traditam a Cajetano 1. 2. q. 109.
 „ art. 9. & Joan. cor. c. 10. a Capreolo in 4. dist. 2. quest. 2. art. 1. a
 „ Medina 1. 2. q. 109. art. 10. prop. 3. a celebri Lemosio Tom. 4. l.
 „ 4. part. 1. Tract. 3. c. 13. ac prasertim c. 4. n. 47. ubi hisce ver-
 „ bis, quæ non possum non reddere, tractationem suam claudit: Itaque
 „ potest minima charitas cum Dei supernaturali auxilio actuali etiam non ma-
 „ gno sed illi charitati minimæ proportionato tentatio-
 „ ni cuicunque gravi resistere. Docet Lemosius sequenti capiti, auxilium
 „ hoc actuale omnibus justis dari.

„ Inutile esset in aliis citandis immorari, notorium enim est, eos
 „ hac in re idem omnes sentire. Saltem te provoco ut vel unum ap-
 „ pelles, qui ante Jansenismi ortum contrarium docuerit. Ab illo et-
 „ iam tempore vidimus incassum contra tua secta nitente præcipuos e-
 „ jus Scholæ Theologos pro antiqua doctrina, quam a patribus suis he-
 „ reditario veluti jure suscepserant, acerrime decertantes. Accipe unius
 „ P. Lodovici Baniel testimonium, quod ceterorum quoque suffragia

T. 2. p. „ exhibit: omnes Thomistæ & communiter alii Doctores docuerunt semper,
 „ 125. „ quod toties quoties aliquod preceptum obligat hominem, datur ipsi auxilium
 „ actuale divinæ gratiae saltem sufficiens, per quod proxima & omnino expedi-
 „ ta redditur ejus potentia ad illud implendum: & quod si tale auxilium ei de-
 „ negaretur, homo excusaretur a peccato, etiamsi preceptum non observaret.

„ Constat igitur, quod purum putumque *figmentum a S. Thomæ men-*
te longissime distatum judicasti, veram ejus esse doctrinam, suaque scho-
lae in qua nullus unquam dubitavit, quin habitualis gratia semper com-
juncta sit cum gratia actuali, saltem sufficiente, ubi agitur de tenta-
tione vincenda, implendoque precepto. Enimvero quomodo in Thomi-
 „ starum schola dubitatum fuisset ea de re quæ non arbitraria opinio-

„ est.

„ est, sed nostræ fidei certissimum dogma? Ita est; certissimum est Catholicae fidei dogma, justum cum habituali gratia habere semper auxilium saltem sufficiens actualis gratiae, quo sit ut aut tentationi resistere, aut præceptum implere possit.

„ Audi hac de re disserentem celeberrimum Meldensem Episcopum Bosuetum in libello, quem repudiare non potest, cum tuæ sectæ ex eo vindicari se posse sperantis artibus, curisque editus sit. Audi, inquam illum, & intelliges quo pretio novæ Ecclesiæ caput purgari ab accusationibus possit. Loquitur ille de hac additione, & adjuvat ut possit, S. Augustini textui facta, atque ex ejus Patris doctrina deprompta. Mais aut reste, inquit ille, cette addition du Concilio fait

*Justification
des Re-
flex.mor.*

„ voir pleinement en Dieu une volonté PERPETUELLE d'aider les justes, soit pour faire ce qu'ils peuvent déjà, scit pour demander la grace de le pouvoir, ce qui explique parfaitement DANS TOUS LES IUSTES, ainsi p. 29. que parle l'Ecole, la possibilité mediate ou immediate, mais TOUJOURS PLEINEMENT SUFFISANTE de gorder les commandemens; puisqu'on peut TOUJOURS dans l'occasion, ou les pratiquer en eux-mêmes, ou par Ib. p. 55. une humble priere obtenir la grace de le faire. Ainsi, dit-il encore, en quelque maniere qu'on veuille entendre que S. Pierre & les autres justes qui tombent, soient des hommes sans la grace & laissez a eux mèmes ce n'est jamais & l'exclusion de toute grace mediate ou immediate, puisque S. Pierre, selon tous les Peres; pourroit toujours, en se déifiant de soi-même eviter l'occasion, ou obtenir en tout cas par une humble & perseverante priere, ce qui lui mai quoit pour pouvoir confesser Jesu-Christ dans la rencontre où il le renonça.

„ Viden quid Bosuetius doceat, idque ut fidei articulum clare definitum; addit enim: sur ce fondement que Dieu est fidele, les justes sont assuerez qu'il ne permettra jamais qu'ils soient tentez par-dessus leur forces. Ils ont donc TOUJOURS le pouvoir de garder les Commandemens a la maniere que l'a DEFINI le Concile de Trente, & que nous venons de rapporter. IL EST AUSSI DETERMINE dans le second Concile d'Orange, que selon la Foi Catholique, secundum Catholicam fidem, apres la grace du Baptême, tous les baptizés avec le secours de Jesus-Christ, qui les aide & coopere avec eux, peuvent & devoient accomplir les Commandemens de Dieu, s'ils veulent fidèlement travailler. Ibs le peuvent donc: il ne tient qu'à eux avec la grace qu'ils ont la grace ne leur manque pas: il ne leur manque que la volonté, qui ne leur manque que par leur faute.

„ Non ergo figmentum est, sed fidei articulus ab infallibili Ecclesiæ auctoritate definitus ac decisus, omnes justos cum habituali gratia habere semper gratiam actualem saltem sufficientem, ubi agitur de tentatione vincenda, aut implendo precepto. Ab hoc actuali auxilio habent illi potestatem mediatam, aut immediatam, sed plene sufficientem mandatorum, ad quæ tenentur, implendorum. En quid justi proximorum fidei innixi se habituros certi sint. Unde etiam idem Episcopus, ait: jamais il n'arrive au juste de ne pouvoir rien, jusqu'à exelire pag. 18. par ce terme, RIEN, même le pouvoir de prier.

„ Jamvero tumetipse vide, num satis consulte pronunciatum tanta confidentia a te fuerit, non debere nos deinceps loqui de hoc S. Thomæ loco, cuius citatio abs re nimis sit, quique post animadversa ab illustri

, Epi-



„ Episcopo Cammeracensi Episcopi confutatore . . . non amplius , bona fide appellari potuit . Appellabitur tamen , ac vani conatus , quibus eum nobis eripere studuisti , id unum efficient , ut Catholicis integrum semper sit illum tibi tuisque opponere .

Pag. 18 „ Ad locum tandem devenimus , ubi postquam in tota tua Epistola sumpsisti , gratiam juxta Turnelium debere semper dare immediatam , potestatem vincendarum tentationum & implendarum præceptorum , tandem agnoscis eum nihil simile docuisse , imo & contrarium confirmasse . *Dissimulandum mibi non est* , inquis , Turnelium ipsum alloquens , tuam sententiam non esse , æquilibrii gratiam semper immediatam potestatem conferre ad implenda que Deus præcipit , opera difficultia ; contendis vero eam saltem mediatam potestatem largiri , quacum uberior auxilium , quod necessarium est ad bonum agendum , impetrari possit . Gratias de hac confessione tibi debemus ; sed nonne æquum fuerat , ut citius eam proferres ? Pudere te nunc enimvero non deberet tot falsarum rationationum , nec ego permolestam in illis revincendis operam insumpsisse me quererer .

Ibid. „ Verum id , quo uno tuæ omnes calumniæ , atque sophismata corrunt , ita confiteris , ut tamen velis , non posse nos in nostris principiis mediatae & immediatae potestatis distinctionem adhibere , eaque utentes ad nostrum systema ideas omnino alienas pertrahere . Nempe in nostris principiis , minima gratia ex hoc ipso quod æquilibrium instaurat , perfectam & expeditam confert ad omnia Dei præcepta implenda potestatem . Nec vides minimam gratiam unum æquilibrium mediatum instaurare , atque adeo nonnisi dementissime sumi , dare illam potestatem immediatam , perfectam & expeditam ad divina omnia implenda mandata ? Cur quæso nostrorum principiorum series in nostro statu æquilibrii immediati , quod ne in ipso quidem innocentia statu adstruimus , necessitatem nos cogat agnoscere ?

Pag. 19 „ In felici hoc statu , in quo æquilibrii libertatem admittis , gratia quæ primo homini immediatam dabat orandi facultatem , non ei potestatem immediatam , perfectam & expeditam conferebat ad omnia quæ Deus ipsi præcipiebat , implenda ; hanc enim gratiam a Deo suppliciter petere debebat , & quia non petiit , servare se bonus bonum non potuit ; incolumes constare nequiverunt . Quid ergo contendis in nostris principiis idem esse in nostro lapsæ naturæ statu non posse ? Non eam propterea divinæ Gratiæ injuriam irrogamus , quæ illi in tuo inferatur systemate , juxta quod Deum inter & corruptum hominem pugna perpetua est ; in qua ut in aliis semper fit , ut fortior vincat , quemadmodum ajebat Mirapicensis Episcopus . Non equidem tuo exemplo gratiam ponderamus au marc , & a le livre , uti animadvertis illus Sucionensis Episcopus multo gloriosior tuæ sectæ odiis , contumeliis , ac venenata rabie quam omnium Catholicorum ejus scriptis plaudentium amore ac laudibus . Etsi tamen gratiam non ponderamus au marc & a la livre , nihilo tamen minus defendimus , in nostro æque atque in innocentia statu Deum gratiam nobis dantem immediatam orandi potestatem nobis propterea non dare , quod solum ad eum orandum nos excitet .

„ Id adeo certum est , & intellectu facillimum in nostris principiis ,
 „ ut negare credere voluisse te serio illud in disputationem adducere .
 „ Quare eo te demum redigas , ut dicas , ubi etiam liceret nobis di-
 „ stinguere mediata & immediata potestatem a gratia collatam ,
 „ hoc tamen æquilibrium , quum æque hominis superbiæ faveat , non minus quam
 „ aliud fore execrabile . At dic quæso , qua in re hoc æquilibrium homi-
 „ nis superbiæ tantopere faveat ? Quid interest , inquis , non habere me actu
 „ sufficienes vires ad temptationem vincendam , si meum tantummodo est (adde
 „ cum gratia quam Deus impertiatur) illas continuo babere ? Plurimum
 „ interest ; nam si primum ponatur , numquam mihi præsto esset occa-
 „ sio meæ miseriae , mearumque necessitatum agnoscendarum ; quod sane
 „ meæ superbiæ faveret ; si contra alterum sumas , meam infirmitatem in-
 „ telligo : mihi de metmetipso diffidere , atque ad Deum perpetuo con-
 „ fugere cogor ; quod ad superbiam amovendam , animique demissio-
 „ nem fovendam maxime facit .

„ Verum quidem est , me tamen posse ex arbitrio peccare vel non pec- *Ibid.*
 „ care ; nam nonnisi apud tuos peccat homo quin peccare non possit . Hinc
 „ tamen , inquis , supremus meæ fortis arbiter sum ... Actu vim non habeo ad *Ibid.*
 „ cupiditatem vincendam ; præsto tamen mibi est orandi æquilibrium . Quæ phra-
 „ ses ! quodnam ratiocinandi genus absurdum ! quia cum gratia , quam
 „ Deus mihi largitur , meam infirmitatem , egestatemque possum agno-
 „ scere , Deo meas necessitates exponere , ab eo auxilium quod necessarium
 „ mihi agnosco , & ab una ejus misericordia expecto , postulare possum (huc
 „ enim demum redigitur hocce tuum orandi æquilibrium) colligis me in-
 „ dependentem esse , supremumque meæ fortis arbitrum ? Fatendum equidem
 „ est , magnas quasdam dicendi formulas a te usurpari , dolendum ta-
 „ men illas esse adeo boni succi expertes .

„ Tandem quod a nostra potestatis mediata & immediata distinctio-
 „ ne te avertit , est , hinc fieri ut defendamus , et si non semper nobis
 „ præsto est immediata præceptorum implendorum potestas , in nostra
 „ saltem potestate esse gratiam , quæ illam nobis conferat , impetrare .
 „ Sed quod abhorres , omnium Catholicarum scholarum doctrina est ,
 „ ne Thomistica quidem excepta . Audi P. Massuoliè , qui quum a Mi-
 „ rapicensi Episcopo tot landibus cumulatus fuerit , suspectus tibi esse
 „ non debet . Locum Jansenii adfert , in quo ille in Theologum suppresso
 „ ejus nomine declamat , quod docuerit , reos nos esse , dum superna
 „ præcepta minime implemus , et si efficax gratia ad ea implenda est
 „ necessaria , quia in potestate nostra est habere hanc gratiam quam Deus ne- *Jansl. 3*
 „ mini denegat . *de grat.* *Ch. c. 14.*

„ Hoc illud est , quod veluti Pelagianismum maxime detestandum
 „ Jansenius , non fecus ac tu , oppugnat ; sed quid hac super re scribat
 „ P. Massuoliè , habeto : *Quis hic fuerit Scriptor non vacat querere : Alva-* *T. 2. diff.*
rem tamen fuisse existimo. Sed certum est Discipulorum Sancti Thomæ hanc *4. q. 3. ar.*
esse sententiam. Revera Thomistæ omnes ita respondent , ubi super phy- *3. p. 359.*
sicæ eorum prædeterminationis necessitate urgentur : ac Lemos fate- *col. 1.*
tur , unum hoc esse responsum , quo magna isthac difficultas evanescat .
Cardinalis quoque Norisius , ut ab heresi Janseniana , cuius accusatus
fuerat , se se purgaret , in omnibus justis , qui labuntur , agnoscere de-
, buit

Janse- „ buit auxilium *sine quo non*, quocum orare possunt, *absque eo quod indi-*
 niant er- „ *geant ulterioris auxilii* (ut reapse orent) *additione*. Integrum igitur est
 roris ca- „ ipsi hoc uno orandi auxilio impetrare auxilium quo, *sive gratiae effica-*
 lumnia „ *cis ac victoris, qua sola mandata reipsa implentur*. Qui ergo detestabilis
 depulsa „ p. 297. „ videri tibi possit doctrina, quam omnes Catholicae Scholae tradunt,
 Ib. p. 296. „ quam etiam Auctor propugnat a tua secta sæpiissime apotheosi qua-
 dam in cælos evectus.

„ At, inquis, hæc mediata potestas a Gratia collata in infidelibus
 Pag. 20. „ faltem locum habere nequit, qui *quum verum Deum non agnoscant, ha-*
 „ *bere non possunt per gratias actu præsentes proximam divini ejus auxilii po-*
 „ *scendi facultatem*. Verum else sumis, non posse hos Infideles, si verum
 „ Deum non agnoscunt, habere immediatam orandi, & uberiora au-
 „ xilia oratione sibi demerendi facultatem; sed falleris, dum falso su-
 „ mis mediatam resipiscendi potestatem in una orandi facultate consi-
 „ stere. Infideles hi non habent quidem per gratiam præsentem proxi-
 „ mam orandi Dei potestatem; habent tamen facultatem eleemosynæ
 „ erogandæ, ab injuriis in proximum abstinendi, honorandorum pa-
 „ rentum, & ceterorum implendorum legis naturalis præceptorum, quæ
 „ si fideliter impleant cum gratia quam habent, Deus, ut ex S. Thoma
 „ accepimus, novas illis gratias largietur, & ubi opus sit Angelum quo-
 „ que ad eos mittet Evangelium eis nunciaturum, atque salutem adla-
 „ turum. Vides ergo, hos Infideles absque proxima orandi potestate posse
 „ tamen optime habere mediatam suæ conversionis potestatem.

„ Hæc habui dicenda de secunda tua ad Turnelium Epistolam. Equi-
 „ dem credo, me a te accusatum non iri quod ullam tuarum difficul-
 „ tatum dissimularim; videor etiam mihi illis tam solide respondisse,
 „ ut verisimile non sit te novam petiturum esse responcionem. Ceterum
 „ si tertio nos aggredi te non pigeret, tui honoris causa monenduses,
 „ ne ut nos oppugnes, nobis doctrinam tribuas, quam a nobis minime
 „ defendi ipse nosti. Cave autem cum primis, ne consequtiones con-
 „ geras quas constanter improbabimus, & improbare ipse cogeris, si ad
 „ innocentia statum transferantur. Consule diligentius sapientiam tuam,
 „ atque a tuæ phantasie vi tibi caveto; tum enimvero desines infirmis
 „ in nos uti argumentis, quæ doctrinæ a te oppugnatæ ne hilum qui-
 „ dem nocere possint, quia in tuum ipsius caput relabantur, teque tui
 Dan. 18. „ nutantis systematis ruinis opprimant: recte mentitus es in caput tuum.
 v. 55. „ Vale.

(*)

F I N I S.

